DE STATU ECCLESIÆ, DE HIERARCHIA IN STATU ECCLESIÆ ET PRÆROGATIVIS ECCLESIÆ SALISBURGENSIS IN HIERARCHIA ECCLESIASTICA

DISSERTATIO

QUAM
SUB CLEMENTISSIMIS AUSPICIIS
CELSISSIMI, AC REVERENDISSIMI
DOMINI DOMINI
SIGISMUNDI
CHRISTOPHORI
Archi-Epiſcopi, S. R. I. Principis Salisburgenſis &c. &c.
In Alma Archi-Epiſcopali Benedictina Univerſitate Salisburgenſi
PUBLICÆ DISPUTATIONI SUBJECIT
ILLUSTRISSIMUS, AC GENEROSISSIMUS DOMINUS
FERDINANDUS S. R. I. COMES DE WILDENSTEIN, Styrus Græcenſis, Ejusdem Altefatæ Celſitudinis Ephebus
AUTHORE ET PRÆSIDE
P. GREGORIO ZALLWEIN, Ord. S. P. Bened.
in Antiquiſſ. Super. Bavariæ Monaſt. Weſſofontano Profeſſo, J. U. Doctore, Altefatæ Suæ Celſitudinis Conſiliario Eccleſ. & SS. Cannon Profeſſore Publico, & Ordinario.
Die 29. Auguſti Anno à Partu Virginis M. DCC. LVII.

SALISBURGI, Typis Joannis Joſephi Mayr, Aulico-Academici Typographi p. m. Hæredis.

4

13428
16/6/91

Bibl. Univ. Heidel.

CELSISSIMO

AC

REVERENDISSIMO

DOMINO DOMINO

SIGISMUNDO

CHRISTOPHORO

ARCHI-EPISCOPO,

ET

S. R. I. PRINCIPI

SALISBURGENSI,

S. SEDIS APOSTOLICÆ LEGATO

NATO, GERMANIÆ PRIMATI,

Ex Illustrissima, Et Antiquissima Prosapia

S. R. I.

COMITUM DE SCHRATTENBACH,

DOMINO DOMINO,

PRINCIPI ET MÆCENATI

CLEMENTISSIMO &c. &c.

CELSISSIME
AC
REVERENDISSIME
ARCHI-EPISCOPE
ET
S.R.I. PRINCEPS
DOMINE, DOMINE
AC
MÆCENAS
CLEMENTISSIME &c. &c.

QUamquam cumulata Tua in me Beneficia, & præclariſſima præcipuarum gratiarum monumenta tanta, tamque innumerabilia eſſe probe perſpectum habeam, ita ut meis decoribus, quibus me longe munificentiſſi-

tiſſimus exornaveras, vix aliquid accedere poſſe arbitrer. Celſiſſime Princeps! tamen vel hac una gratia, qua Clementiſſime conceſſiſti, ut in arenam litterariam puriſſima Canonum dogmata contra infenſiſſimos veritatis hoſtes propugnaturus deſcenderem, omnem longe gratiarum cumulum ſuperaſti, nihilque jam tantis gratiis ſuperaddere poſſe videaris. Si enim excelſiorem quandam Perfectionem, & perfectionum omnium Complementum quoddam in Tryade conſiſtere intelligimus, Tu Auctor mihi ſummæ Perfectionis & omnimodi decoris modo exiſtis. Ante aliquos annos Clementiſſime copiam mihi feciſti, in Philoſophica paleſtra ſelectiores ſanæ Philoſophiæ ſententias propuguandi. Elapſo anno Tua munificentia Jurisprudentiæ Feudalis defenſor comparui. Nunc vero tertium, quæ ſingularis Tua liberalitas, & optimarum litterarum amor eſt, glorioſiſſimis Tuis Auſpiciis, Tuaque Copioſiſſima Beneficentia campum ingredior. Quis igitur tam demens,

 tam-

tamque injuſtus rerum arbiter extiterit, qui non intelligat in tantis gratiis ſummam omnium perfectionem, & perfectiſſimum gratiarum eſſe Complimentum? Quamobrem redeant in ampliſſimum gratiarum pelagus, unde copioſiſſimi pleno alveo dimanarunt rivi. Tibi omnia mea decora, Celſiſſime Princeps! in acceptis lunato poplite refero; Tu præſidium, & dulce decus meum es; Tuo etiam Celſiſſimo Nomini, quod mihi in ſuperioribus Concertationibus tam proſperum, tamque glorioſum fuit, hoc opus Canonicum inſcribo, & ſubmiſſiſſimo reſpectu nuncupo. Et cuinam potiſſimum lucubrationem iſtam de Statu Eccleſiæ, Hierarchia Eccleſiaſtica, & Juvavienſis Eccleſiæ prærogativis devoveam niſi Celſiſſimo Nomini Tuo? Tu enim, Celſiſſime Princeps! ille es Archi-Epiſcopus, ille Sedis Apoſtolicæ Legatus Natus, ille Germaniæ Primas, ille S. R. I. Princeps, qui in Eccleſiaſtica Hierarchia ceu fulgdiſſimum inter minora ſidera eluceſcis, & in orbem Catholicum uni-

ver-

verſum fœcundiſſimo influxū omnē commodum ac emolumentum quam copioſiſſime diffundis. Te Archi-Epiſcopum veneratur Eccleſia, qualem priora ſæcula Vigilantiſſimum, ſalutisque ovium ſtudioſiſſimum vix ac ne vix quidem tulerunt. Quanto enim zelo Supremus Paſtor, oves tibi ſubditas fœcundiſſimis paſcuis foves, quid non agis, ne infernalis lupus tam pinguem Tuæ curæ commiſſum gregem, non dicam, in perditionis barathrum rapiat, ſed ne peſtilenti quidem ſuo afflatu eidem noceat. Hæc Tibi cauſa fuit, quod ſollicitus Paſtor tales præprimis miniſtros paſcendo gregi conſtituas, quorum ſingularis pietas, eximia doctrina, in agendis rebus dexteritas, incredibilis in docendo zelus multis Tibi argumentis probatus eſt. Hæc cauſa, quod inaudito ardore docilem puerorum ætatem ad omnem Chriſtianæ fidei exactitudinem informari cures, ne, ſi malevoli adverſæ partis homines lupina induti veſte, quod non raro contigiſſe triſtiſſima nos docuit experientia,

gre-

gregem pretioſiſſimo Servatoris vindicatum ſanguine, diſpergere, tam facile poſſint, ſed potius ut iidem Chriſtianis inſtructi armis contra omnes adverſariorum machinationes athletice ſtare, ſtrenue pugnare, & fortiter vincere valeant. Hæc cauſa fuit, quod nullis, utut maximis parcas ſumptibus, quo media ſubminiſtrare, ſapidiſſimum panem dulciſſimo mixtum lacte porrigere, nihil intermittere valeas, quod non ſpiritualis cibi cupidiſſimis ovibus ſuave, utile, & commodum videatur. Magna quidem hæc eſſe arbitror, ſed tamen ſunt alia majora. Non enim contentus eſſe videris, quod ſupremam Tuam Poteſtatem ab Eccleſia concreditam in ejusdem emolumentum impendas, ſed ulterius progrederis. Ipſum quoque Principis decus, quo Te S. R. Imperium exornavit, non in ejusdem tantum commodum, ſed in Eccleſiæ præcipue utilitatem dirigere omni ſtudio, totaque animi contentione ſatagis. Te Auguſtiſſimum Romanum Imperium in tantæ Altitudinis gradu

ſuſpi-

ſuſpicit, ut alternis vicibus totum Romani Imperii ſtatum in publicis Comitiis dirigas, Normamque agendarum rerum præſcribas. Et quantum in iisdem rebus pro Eccleſia Catholica admiramur zelum? quo fervore tectis fraudibus obrepentes Acatholicorum machinationes eludis, & firmiſſimum Te toti Chriſtiano orbi probas Achillem, qui præcipue Romanæ Eccleſiæ rem fulciat, ſuſtentet, atque corroboret. Quid vero dicam de fulgidiſſimo Apoſtolicæ Sedis Legati Nati munere? O quanta illud adminiſtras ſollicitudine! quæ merita exinde in Sacram Sedem, & totam Eccleſiam redundant? Tempora vivimus ſanctiſſimo Clero non admodum faventia, & ſi effari liceat, prorſus inimica, & afflictiſſima. Poſtquam enim mixta fuere Sacra profanis, & livido ſemper oculo Divi Petri Patrimonium, Piorum vota, & Cleri commoda, orbis hodiernus ſuſpicit, nihil intentatum relinquis, quo magis Cleri prærogativas minuere, commoda

avertere, piorum vota ſubdole interpretari, & Eccleſiaſticæ libertati derogare valeat. Tu vero unus uſque fuiſti, qui Eccleſiaſticæ imunitatis Stator audieras. In id unum omnis Tua cura, omnis labor collimabat, ut ne latum quidem unguem ab Eccleſiæ tramite diſcederes, ſed incredibili fortitudine quidquid potentiſſimæ vires opponerent, contra ires, Eccleſias ſublevares, Cleri decus & commoda conſervares, omnem denique Eccleſiæ rem ſalvam & imunem tuereris. Et, ut alias Tuas prærogativas cumulatim proſequar, laudes omnes ſuperare videtur S. R. I. per Germaniam Primatus. Vix enim Tibi par reperiri poterit pro Romano Imperio ſollicitudo, qua Primatus Tui Nomen, re atque opere ad amuſſim adimples. Imminebat toti Germaniæ horridum & funeſtum nimis bellum, quod fors ultimam eidem, & Catholicæ Fidei peſtem minitabatur. Tu vero Primus omnium, quod ſalutis patriæ expoſcebat ſtudium, omnia ita diſpoſuiſti,

ſuiſti, ut Germanæ Reipublicæ prō viribūs Tuis ſuccurreres, futura damna averteres, exemplo Tuo alios R. I. Principes ad ferendam opem accenderes, Teque vere S. R. I. Primatem probares. Alia adhuc forent, quæ non minus magna, & maximo animo Tuo digna ſunt; ſed quis hæc omnia oratione complecti poſſe videatur, quæ in Eccleſiam pia, in Romanum Imperium utilia, in Tuos ſubditos optima feciſti? Charta me deficeret, ſi ſplendidiſſima Virtutum decora ordine ſuo proſequi vellem. Quamobrem Virtutum Tuarum admirabundus cultor potius quam facundus orator vela contraho unanimi Germaniæ noſtræ voce nixus, quæ Te & optimum Principem, & maximum Archi-Epiſcopum adorat, omnibusque laudum præconiis ad aſtra tollit. Quæ cum ita ſint, cum Tua in Eccleſiam merita tanta ſint, in Imperium innumerabilia, quem exiſtimem clarius laboribus meis ornamentum afferre poſſe! Suſcipe igitur Clementiſſime Prin-

)( )(2 ceps!

ceps! hoc de Statu Eccleſiaſtico opus Canonicum, Celſiſſimo Tuo Nomini inſcriptum, quod Tuas laudes, Tuasque prærogativas in ſeram uſque poſteritatem transmittet. Ego vero pro tam ſingulari gratia Supremo rerum omnium Moderatori DEO ſupplex accidam, ut Te, quo publica omnium ſalus continetur, incolumem ſemper ac florentem & Romanæ Eccleſiæ, & Imperio conſervet.

Reverendiſſimæ Celſitudinis
Tuæ.

Humillimus, & Subjectiſſimus

DEFENDENS.

APPROBATIO
Sacræ Facultatis Theologicæ.

QUidquid ad propugnandam Status Eccleſiaſtici ſublimitatem tum ab eruditione & Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ notitia, tum à Doctrinæ Soliditate peti poteſt, id omne complectitur Tractatus hic, quo tam fides Romano-Catholica ſupra Petram Fundata roboratur, quàm boni mores per obedientiam Eccleſiæ Rectoribus præſtandam conſolidantur. Videbunt ex his, ni oculos invidia obvelaverit, Novatores, non cæco quodam præjudiciorum impetu raptos Sacram Hierarchiam pro dignitate ſua ſuſpicere Catholicos, ſed ponderatis etiam eorum, ad deprimendam Eccleſiæ ſublimitatem conquiſitis rationibus, quas non minus fideliter refert, quàm nervoſè refellit Auctor Clariſſimus. Lucem igitur publicam aſpiciat opus hoc Clementiſſimis ac Celſiſſimis Auſpiciis illuſtratum,, atque non tantùm Illuſtriſſimo D. Defendenti victrices palmas ex arena literaria referendas portendat, sed & Auctoris ſui Nomini jam dudum inclareſcenti novum, idque immortale decus ſuperaddat. Ita cenſet

P. Rupertus Sembler, O. S. B.
ex Lib. ac Imp. Monaſt. ad SS.
Udalr. & Afr. Aug. SS. Theol.
Doct. & in Specul. Dogm. Prof.
Ord. Celſiſſimi ac Reverendiſſimi
S.R.I P. & Archi- Epiſcopi Salisb.
&c.&c. Conſil. Eccleſ.Sac. Facult.
p. t. Decanus.

APPROBATIO

Inclytæ Facultatis Juridicæ.

STatum Eccleſiæ Romanæ non minus, quam Hierarchiam illius, per varios dignitatum & officiorum gradus tam miro compaginatam ordine, quam intimo nexu cum ſuo capite cohærentem tanta Eruditionis copia, ſtyli elegantia veluti vivis coloribus adumbratam ab oculos hic ſiſtit Author Clariſſimus, ut non minus in ea Regalis Sacerdotii Majeſtas reluceat, quam admiranda Numinis Providentia, & Eccleſiæ ſuæ usque ad conſummationem Sæculi duraturæ firmitas inde appareat. Digniſſimam proin, quia uberrimum Lecturis fructum allaturam, præſentem hanc de Statu Eccleſiæ &c. Diſſertationem cenſeo, quæ ſub Celſiſſimis Clementiſſimi Principis ac Domini, Domini Noſtri &c. &c. Auſpiciis ad immortale decus Clariſſimi ſui Authoris in lucem publicam prodeat, unaque Illuſtriſſimo D. Comiti Defendenti excellentis ſuæ in Jurisprudentia hauſtæ Doctrinæ perpetuum figat ad poſteros monumentum. Ita cenſet

Franciscus Josephus Carolus Schlosgangl, ab Edlenbach, J. U. Doctor, Celſiſſimi ac Reverendiſſimi Archi-Epiſcopi & S.R.I. P. &c. &c. Conſil. Actualis Aulicus, Juris Publici Naturalis & Gentium, nec non Codicis Profeſſor Ordinarius, Facultatis Juridicæ p. t. Decanus.

PRÆFATIO.

ARgumentum ſcribendi in hac Diſſertatione aſſumpſimus ſua amplitudine vaſtiſſimum, dignitate nulli ſecundum, in toto jure Eccleſiico Publico ferme præcipuum. Scribimus enim de Statu Eccleſiæ, vel potius ſyſtemate Religionis Catholicæ prout ſyſtemati Religionis Proteſtanticæ oppoſito. Atque hoc eſt illud argumentum, cui illuſtrando hodierni Doctores Proteſtantici omnem ſuam locaſſe operam videntur. Hoc illud argumentum, à cujus accuratiori dilucidatione tota quanta dependet authoritas Eccleſiæ, tota qaanta ſalus Religionis Catholicæ: aut enim in Eccleſia ſtatum Reipublicæ ſuſpiciemus, aut cum Proteſtantibus illam ad infima cujusdam Societatis, & Collegii ſimplicis ſubſellia detrudemus? Si primum, immota ſtabit ſua Eccleſiæ authoritas, ſua Pontifici Primatia, ſua Epiſcopis jurisdictio. Si ſecundum? actum erit de authoritate Eccleſiæ, Vicariatu, & Primatu Pontificis, ſucceſſione & jurisdictione Epiſcoporum, imo de omnibus dogmatibus fidei, quorum definitionem Eccleſia ex traditione divina mutuavit. Excudit, aut certè excoluit hoc ſyſtema magni apud Proteſtantes nominis vir Samuel Puſendorfius in ſuo opuſculo de Habitu Religionis inſcripto, cujus tanta erat authoritas, ut mox omnes Proteſtantes in ſuam ſequelam traxerit, quamquam hi ipſi poſtea in diverſa principia, & tot abierint ſyſtemata, ut vix in numerum cogi valeant. Quare in eo multum operæ collocavimus, ut illorum ſyſtemata & principia in plenum poneremus meridiem, unaque commonſtraremus, in quæ extrema fuerint delapſi, ita ut me-

rito,

rito, illi ſaltem, quibus ſanior intellectus humani Phœbus illuxit (plebs ea tantum ſapit, quæ ſunt carnis & libertatis, non vero, quæ ſunt ſpiritus & ſanioris rationis) deplorare debeant, quod, dum evitare charybdin voluerunt, in ſcyllam inciderint, nihil aliud utilitatis reportantes, niſi quod excuſſo jugo Papali aliquam ſuarum conſcientiarum libertatem in via ſalutis profecto periculoſam ſibi vindicaverint, de cætero autem duriorem longe ſuis cervicibus impoſuerint ſervitutem, ſuamque Eccleſiam ſuorum Principum ſæcularium fecerint Vaſallam longe miſerrimam. Non ignoramus, quod non pauci, iique inſignes Theologi, quorum authoritati omnino aſſurgimus, copioſiori longe eruditione hoc argumentum excutiendum aſſumpſerint: porro autem quum hi intra limites & principia Theologiæ ſubſtiterint, haud inanem nos navaturos operam exiſtimavimus, ſi in ſubſidium alia argumenta ex Jure Publico Univerſali mutuata aſſumeremus, ea potiſſimum ex ratione, quòd ipſi etiam Proteſtantes ſuum ſyſtema in illis ſingulariter fundare, & in argumentis ex Jure publico ſeu naturæ depromptis ſuam proram & puppim collocare conſueverint. A ſtatu Eccleſiæ tranſitum facimus ad Hierarchiam Eccleſiaſticam & in illius originem, officia, jura, & prærogativas annexas inquirimus. Ab his demum deſcendimus ad Prærogativas Eccleſiæ Salisburgenſis, quæ tot, & tantæ ſunt, ut cum omnibus orbis Catholici Eccleſiis de Primatu dimicet, & in quibusdam omnes & ſingulas quam longiſſime ſuperet. Haud ignoramus, quod viri plures omni eruditione ſumme conſpicui excuſſis ſedulo documentis Eccleſiaſticis Hiſtoriam Eccleſiæ Salisburgenſis mirum in modum exornaverint; verum hi omnes fuere Hiſtorici, qui prærogativas ſecundum ordinem rerum geſtarum ſimpliciter recenſuerunt, quin eas in certum ordinem redegerint, multo minus ex principiis Juris Eccleſiaſtici illuſtraverint. Itaque induſtria noſtra quantalacunque in id collimavit, ut & prærogativas Eccleſiæ Salisburgenſis in vaſtiſſimis Tomis diverſimode diſperſas in unum velut compendium redigeremus, & earum excellentiam ex principiis Juris exornaremus. Tu, quisquis has pagellas legere dignatus fueris, ſi quæ minus accurate aut nimis jejune ſcripta legeris, cogita, Authori aliquoties neceſſaria ſubſidia, non raro tempus ipſum defuiſſe. Cæterum vale, & fave.

DIS-

DISSERTATIO
DE
STATU ECCLESIÆ &c.

IN tria Capita noſtram Diſſertationem dividere placuit, in quorum *primo* quædam ex Juris Prudentia univerſali de *Statu* in genere & in ſpecie diſſeremus, & tunc primum quæſtionem principalem, an videlicet in Eccleſia detur *Status*, ſeu *Reſpublica* examinabimus. In *ſecundo* ipſam *Hierachiam Eccleſiaſticam* ſecundum diverſos gradus, prærogativas & præeminentias illorum, qui eam conſtituunt, luſtrabimus. In *tertio* demum prærogativas *Eccleſiæ Salisburgenſis*, quas illius *Archi-Epiſcopi*, ſeu qua *Archi-Epiſcopi*, ſeu qua *Legati Nati*, ſeu qua *Primates Germaniæ* habent, aliaque ſingularia jura hiſce dignitatibus ſive ex Jure communi ſive ex privilegio annexa dilucidabimus.

CAPUT I.
DE STATU ECCLESIÆ.

§. I. *Præmittuntur quædam de Juriſprudentia Publica univerſali, illiusque ſtudio.* II. *Quid ſit Status in genere?* III. *Primaria illius diviſio in naturalem & civilem ſeu adventitium, cui quædam aliæ diviſiones velut ſecundariæ ſubjunguntur.* IV. *Status naturalis cum ſuis annnexis diſcutitur.* V. *Status adventitius, civilis, ſeu moralis, qui communius vocari ſolet, ſocietas, quid, quotuplex, & quæ illius origo?* VI. *De Societatibus ſimplicibus.* VII. *De Societatibus æqualibus compoſitis.* VIII. *De Societate inæquali, quam vocamus Civitatem, ſeu Rempublicam.* IX. *De illius origine.* X. *Structura, fine, & conſequentibus.* XI. *Civitas alia eſt regularis, alia irregularis ex multiplici capite.* XII. *Nos agimus de Civitate irregulari ex defectu formæ Regiminis.* XIII. *Forma Regiminis eſt triplex, & quælibet ſub ſe continet plures ſpecies, & undenam Imperantes ſuum Imperium & poteſtatem acceperint?* XIV. *De forma Regiminis Monarchica.* XV. *Ariſtocratica.* XVI. *Democratica.* XVII. *De Civitatibus irregularibus, in ſpecie de Civitatibus ſyſtematicis.* XVIII. *Fit tranſitus ad Statum Eccleſiæ, & aperitur ſtatus quæſtionis.* XIX. *Quale ſit ſyſtema Catholicorum, & Proteſtantium.* XX. *Quænam ratio, quod Proteſtantes ad hoc ſyſtema delapſi fuerint.* XXI. *Quanti interſit Eccleſiæ, ut hæc quæſtio fundamentaliter examinetur.* XXII. *Utrum ſyſtema Proteſtantium ſit novum, & quis illud inſtauraverit, vel excoluerit?* XXIII. *Quomodo varient Proteſtantes in explicando ſuo ſyſtemate.* XXIV. *Proponuntur illorum argumenta potiſſimum ex Puffendorfio, aliisque Doctoribus Proteſtanticis deſumpta.* XXV. *Proponitur, & defenditur Dogma Catholicum.* XXVI. *Obviatur argumentis AA.* XXVII. *Qualenam ſit Regimen in Statu Eccleſiaſtico remiſſive.*

§. I.

§. I.

EXplanaturi ***Statum*** Eccleſiæ à Salvatore noſtro in Lege nova inſtitutæ pro aliquali, eaque omnino neceſſaria notitia, & faciliori dicendorum intelligentia quædam tum de Jurisprudentia Publica & Univerſali, tum de *Statu* in genere & in ſpecie præmittenda eſſe duximus, ea nempe, ſine quibus nec ipſe ſtatus quæſtionis, quam principaliter diſcutiendam aſſumere conſtituimus, ſufficienter intelligi, nec vera unquam notio, conceptus, & Idæa Eccleſiæ noſtris illabi poteſt mentibus. Abſit tamen, ut immenſo nos committamus Oceano, qualem jure optimo dixeris Jurisprudentiam Naturalem Publicam, ſeu ſcientiam illam inter cæteras Philoſophiæ Moralis ſive Practicæ rerum argumentorumque pondere, neceſſitatis, utilitatisque ubertate facile principem, in eo unice occupatam, ut ex pri is Juris naturæ principiis, atque ulterioribus inde deductis concluſionibus accuratiori methodo ea tradat, doceatque, quæ ad ſtatum hominis tam naturalem quam civilem, ad officia illius erga DEUM, ſeipſum, & maxime Societatem recte colendam, ac ſalutem publicam inde procurandam pertinere noſcuntur. Atque hæc illa eſt diſciplina, quam veluti Moderatricem Civitatum, Directricem Societatum, vitæ ſocialis morumque Magiſtram longe præſtantiſſimam ſuſpiciunt omnes, qui eidem excolendæ ſuam locarunt operam. Hæc illa ſcientia quæ dirigit ſceptra Regnantium, ordinat obſequia Obedientium, regulas præſcribit Principibus, leges dictat ſubditis, omnesque actiones hominum in Bonum publicum ordinat. Hæc illa diſciplina, cui excolendæ, perpoliendæque tot doctiſſimorum virorum ingenia ita inſudant, ut, licet hoc noſtro ævo artes & ſcientiæ omnes ſummo excolantur ſtudio, huic tamen præcipue ferme omnes intellectui ſui vires, nærvos, roburque conſecraſſe videantur, quorum vel nomina vel libros, & commentaria recenſere immenſi laboris opus foret. (a) Hæc illa ſcientia, in qua hodier-

(a) Paucos eorum, eosque omnibus & ſingulis notos nominaſſe ſufficiat, quos inter agmen ducunt Hugo Grotius & Samuel Pufendorffius. Longo agmine ſecuti ſunt celeberrimus ille Wolffius, Huberus, Nicolaus Hertius, famoſus ille Hobbeſius, Heineccius, Bœhmerus, Purlemaquius &c. Ex Catholicis tres tantum allegare liceat, Magnificum P. Franciſcum Schmier, cujus *Jurisprudentiam univerſalem* etſi non pauci parvipendeant, ideo fortaſſis, quod ab Authore Catholico fuerit ſcripta, attamen ſat laudari nequit, Clariſſimum P. Corbinionum Thomas in ſuo *Jure Naturæ Theologiâ expenſo*, & ſane profundiſſime ſcripto, Clariſſimum P. Ignatium Schvvarz S. J. quibus addere liceat Virum Clariſſimum Anſelmum Deſing in variis opuſculis contra Wolſium, & Authorem opuſculorum inſcriptorum. *l'Eſprit des lois* editis.

dierni Pſeudo-Chriſtiani, & Pſeudo-Politici ſuam proram puppimque collocare, eidemque veluti lapidi fundamentali ſua ſyſtemata ſeu Religionis ſeu Politicæ ſuperædificare conſueverunt. Sed quod dolendum, quamquam hæc diſciplina ſe ipſam plurimis commendet utilitatibus, excellátque prærogativis ampliſſimis, dubitari tamen jure optimo valet, plusne utilitatis hactenus, aut detrimenti ex ea in Rempublicam ſeu Eccleſiaſticam ſeu Politicam redundaverit. Cauſam enim ſi inquiras, eccur huic potiſſimum ſcientiæ tantum ingenii, virium, laboris, atque induſtriæ conſecretur, eam eſſe duplicem facile deprehendes, quarum una Religionem, altera Rempublicam Politicam ſpectat. Quum enim non pauci ſint, qui ſe externè profitentur Chriſtianos, interne tamen & in animo Atheismum, vel Deismum, vel certe Pyrrhonismum, Naturalismum, Syncretismum & Indifferentismum nutriunt, foventque, his profecto ad exterminandam Religionem omnem, aut certe cudendam fabricandamque novam, eamque intellectui humano accommodandam, atque introducendam credendi libertatem ampliſſimam opportunius & efficacius medium occurrere non potuit, quam ut Religionem *revelatam*, & *naturalem*, principia *fidei*, & *Juris naturæ*, *fidem*, & *intellectum* humanum inter ſe colliderent, quaſi vero intellectus hominis tantarum eſſet virium, ut ſua cognoſcendi vi ipſam Jovis Diphteram inſpicere, Majeſtatem ſcrutari, occulta DEI conſilia penetrare, atque immenſam DEI Omnipotentiam, Sapientiam ac Providentiam inter anguſtiſſimos ſuos limites complecti valeret, jamque Supremo Numini id omne impoſſibile foret, quod ipſe aut impoſſibile aut DEO indignum, aut rationi humanæ minus congruum judicaret. Hi ergo, ordine præpoſtero agentes, dum rationem naturalem ad ſuprema Imperii culmina elevant, & econtra Religionem ad infima usque ſubſellia detrudunt, id effecerunt, ut jam ratio humana velut imperioſa Domina Religioni dominetur, etſi ſervato ordine eidem velut humilis ancilla obtemperare deberet. Inde factum eſt, ut tot opinionum, ſententiarumque monſtra prodirent in lucem publicam (a), quibus omnis Religio, fides, pietas, & Juſtitia peſſumdatur, ſacra prophanis, & prophana ſacris miſcentur: atque multis via ad Libertinismum ſternitur latiſſima. Sunt etiam alii, qui ſeu ſtudio adulandi ſuis Principibus, ſeu odio, & invidia, quo feruntur in Statum Eccleſiaſticum, in jura ac bona Eccleſiaſticorum, per transverſum & velut

(a) Talia paſſim in mox ante citatis Authoribus legere licet. Exemplo ſit ſolus Hobbeſius, quem bellum omnium in omnes ſtatuiſſe nemo eſt, qui ignoret, licet aliqui ſint, qui ipſum excuſare contendunt.

lut à tergo in Religionem, & Eccleſiam agunt, atque in ſuis conſiliis, queis imponunt Imperantibus, ferme unicè ad Jus naturale velut ad Cynoſuram provocant, eaque principiis unice ex Jure naturali (ſi Superis placet) depromptis ſtabiliunt, hocque modo Jura Eccleſiaſticorum, & ſubditorum quorumcunque ſubvertunt, Principes ſæculares nova & ante hanc diem inaudita Metamorphoſi in Deos terreſtres, & omnipotentes, transformant, grande illud Politicorum Idolum (*Dominium altnm* & *eminens* cum *Ratione ſtatus* conjunctum intelligimus) ſupra aram ſtatuunt, coram quo haud ſecus quam ante ſtatuam Nabuchodonoſoris omne genu flectendum, omnéque thus, quod aut ſubditorum gleba progerminat, aut opificum ſudor, & artificum induſtria producit, adolendum eſt, atque hoc modo aut Machiavelismum, aut Deſpotismum in orbem introducunt univerſum, illud continuo obgannientes: *quidquid Principi placet, legis babet vigorem.* (a) Rationem horum ſi petas, vel ad Rationem ſtatus (b), vel ad l. 20. ff. de LL. ablegaberis, in qua leges: *non omnium eorum, quæ à Majoribus* (dicere liceat à Novioribus) *ſtatuta ſunt, ratio dari poteſt.* His de Jurisprudentia naturali Publica præmiſſis, jam ea breviter dicemus, quæ in hac diſciplina de Statu in genere & in ſpecie tradi conſueverunt.

§. II.

STatus à *ſtando* dicitur, & eſt nomen ab entibus Phyſicis ad entia moralia translatum; nam, prout haud inepte diſcurrit Samuel Pufendorfius (c), quemadmodum ſubſtantiæ Phyſicæ quoddam ſupponunt ſpatium, in quo ſuam ponunt exiſtentiam, ſuasque operationes exercent, ita etiam entia moralia concipiuntur eſſe in aliquo ſtatu, qui iisdem veluti ſubſternitur, ut in eo ſint, & ſuos effe-

(a) L. 1. ff. de Conſtit. Princ. ubi ulterius legitur: utpote *quum lege Regia populus ei, & in eum omne ſuum imperium & poteſtatem conferat.* ubi notamus, hactenus nondum conſtare, an, quæ & qualis fuerit illa *lex regia.* quin imo ex hac ipſa lege non pauci iique vere Catholici probant, quod poteſtas legislativa & Rectoria proximè derivanda ſit à populo, & in dubio, an Princeps hoc vel illud Jus ſubditis auferre valeat, pro populo ſit pronuntiandum. ſed de hoc infra.

(b) Quid proprie loquendo ſit *Ratio ſtatus* nondum convenit inter Authores & ipſos Politicos, etſi ad illam communius & ordinariè provocetur. Nobis videtur: quod Author ille ſub ementito nomine *Hyppoliti à Lapide* de *Ratione Status*, utut peſſime ſcribens, & propterea jure proſcriptus, haud inepte illam definiverit, dum dixit, *quod ſit certus quidam Politicus reſpectus, ad quem tanquam ad normam & Cynoſuram aliquam omnia conſilia, omnesque actiones in Republica diriguntur, ut eo felicius, ac expeditius ſuum finem, qui eſt ſalus, & incrementum Reipublicæ conſequantur.*

(c) De Jure Naturæ lib. 1. cap. 1. §. 6.

effectus exſerant: quare naturam Status haud inepte exprimi putat, ſi dicatur, quod Status ſit *ens morale ſuppoſitivum propter analogiam cum ſpatio*, non quidem ens primarium, ſed quaſi ſecundarium utpote aliis entibus moralibus ſubſtratum, quia non datur *Status* per ſe, & propter ſe, ſed ut cæteris entibus velut ſubſternatur, eaque ſuo modo ſuſtentet. (a) Hæc quamvis Heineccio ridicula, nobisque ipſis ſaltem nimis ſubtiliter & Philoſophice dicta eſſe videantur, nihilominus ad naturam *Status* rite explicandam quamplurimum facere videntur, quippe quem aliter concipere non poſſumus, quam per modum conditionis vel qualitatis (cum bona venia Philoſophorum hoc termino uti liceat) homini quaſi advenientis: & ideo Juris-Conſulti ad Tit. de Statu Hom. Statum comunius definire ſolent, quod ſit *conditio, vel qualitas faciens, ut homo hoc vel illo jure utatur.* Interim tot circumferuntur definitiones Status, ut in numerum vix cogi valeant. Dicamus, quod Status ſit *conditio*, ſeu qualitas moralis ex poſitione ad varias res, quæ ipſum circumſtant, reſultans, variasque in homine limitationes producens, quibus homo ad varia officia obligatur, ſimul eidem variis frui Juribus conceditur. (b) Hoc ipſo enim, quod Status homini adveniat, qualitas denominatur, neque aliter ipſi advenire poteſt, niſi ex rebus ipſum circumſtantibus (c), unde neceſſario variæ reſultare limitationes debent, & hæ, ſi cum effectu loqui velimus, quid aliud producunt niſi varias obligationes & officia, una tamen hominem variorum Jurium participem efficiunt. (d)

§. III.

PRimaria diviſio *Status* eſt in *naturalem*, ſeu *primigenium*, *innatumque*, & in *civilem*, ſeu *adventitium*. *Status naturalis* eſt illa qualitas vel conditio, quæ hominem non quidem ex ipſis eſſentiæ humanæ principiis, neque ex libero arbitrio, vel facto proprio hominis, ſed ex

(a) Loc. cit.

(b) Vel enim conſideramus hominem in Statu naturali ſecundum corpus & animam, prout ab ipſo conditore naturæ habet innumeras limitationes ex parte tam corporis quam animæ e. g. hebetem intellectum, corpus vel recte formatum, vel monſtroſum, vel in Statu civili, & iterum ſubſtat variis limitationibus & officiis; eſt enim vel paterfamilias, vel filius, Maritus, Dominus, Civis &c. Varia inde reſultare jura aliunde clarum eſt.

(c) Nemo nobis vitio vertat, qud in definitione Status nomine *qualitatis* utamur, quod nomen in hodierna Philoſophia male, & quidem jure merito audit. Quis enim ignorat, quod in entibus moralibus definiendis parum ſcrupuloſi eſſe ſoleamus, & præcipue Juriſtæ amplioribus privilegiis quoad hoc gaudeant.

(d) Alia enim ſunt officia & jura Domini, alia ſervi: alia Patris, alia filii &c.

ex lege DEI ab ipſa Nativitate comitatur, in qua liberæ illius actiones, prout id natura illius Status exigit, lege naturali limitantur. *Status adventitius* ſeu civilis eſt, qui homini vel ex facto proprio, vel alieno ſupervenit, illiusque actiones diverſis legibus tam naturalibus quam poſitivis limitat, variorumque Jurium facit participem. (a)

§. IV.

ALiter *Status naturalis* accipitur à Philoſophia, & aliter à Jurisprudentia Publica. Philoſophi ſcrutantur naturas & proprietates hominis prout contradiſtincti à brutis, Jurisconſult econtra officia & Jura homini ex liberrima DEI ordinatione & ſolis legibus naturalibus ſpectatis citra ullum factum quaſi congenita, adeoque ſumunt *Statum naturalem* prout oppoſitum Societati *Civili adventitio*, ſeu Statui ſociali. Dixi notanter *Statui ſociali civili*, quia ut mox dicemus *Status naturalis* excludit quidem *Societatem civilem* in facto hominis proprio vel alieno, in pacto, fœdere, vel lege poſitiva fundatam, non tamen ſocietatem quaſi *Civilem* ſuppoſito genere humano & multitudine hominum iisdem juribus, ac bonis fruentium ſolo humanitatis vinculo innixam. Ut rem clarius dicamus: *Status naturalis* ſuam menſuram unice mutuat à libera DEI voluntate; quare diſpiciendum, qualem Author naturæ juxta ſapientiſſimas ſuæ Providentiæ leges præfixerit, an pure *naturalem* extra omne commercium generis humani reperibilem, quem recte dixeris *ſolitarium*, qualis foret, ſi DEUS creaſſet hominem ſibi ſoli viventem, ſibi ſoli permiſſum, nulli alteri homini communicantem, aut plures homines in diverſis Regnis & Provinciis longiſſime inter ſe diſſitis agentes, ita ut nulli cum alio agendum foret, neuter alterius ope, auxilio, vel commercio indigeret, vel *Statum naturalem* ſuo modo *ſocialem*, non quidem civiliter ex facto proprio vel alieno reſultantem, ſed *naturaliter ſocialem*, qualis eſt in moderna Providentia, ſecundum quam homo ſolo humanitatis vinculo homini conjungitur, & cum eo vivere neceſſum habet citra ullam tamen obligationem vel ex facto. pacto, vel lege promanantem. Statum pure *naturalem* fuiſſe poſſibilem negare non audemus: Statum vero *quaſi mixtum*, & ſuo modo *ſocialem* à ſapientiſſimo rerum omnium Conditore fuiſſe inſtitutum & credimus, & videmus, & ſcimus. Ex quo conſequitur 1.mo normam agendi in hoc Statu fore ſolam legem naturalem,

(a) Viddi.cenda ad § V.

lem, omnéſque leges poſitivas exulaturas, atque ex hac lege naturali fluere triplicis generis Jura & officia hominis, nempe erga DEUM, ſe ipſum, & cæteros homines ſolo humanitatis vinculo ſibi conjunctos: quapropter homo in hoc ſtatu conſtitutus obligatur ad DEUM colendum, eique obtemperandum, ad ſe ipſum amandum, conſervandum, & perficiendum, alios denique homines tanquam ſeipſum diligendos, neminem nec in bonis animi, nec corporis, nec fortunæ lædendum, ſuum cuique tribuendum, ad omnia humanitatis officia aliis præſtanda. Inde conſequitur 3.tio ex his officiis invicem impendendis varia profluxiſſe Jura, nempe jus ſe ipſum defendendi, vim vi propulſandi, ſua ſibique jure perfecto debita vi extorquendi, non tamen ad officia humanitatis & beneficentiæ præſtanda cogendi, niſi quis pacto ad illa exhibenda alterum ſibi obſtrinxiſſet; non enim Status naturalis neceſſario excludit pacta, neque pacta neceſſario inducunt ſocietatem civilem, niſi ſocii eundem ſibi finem communem præfigant, & ad illum conſequendum eadem adhibeant media. Quin imo in hoc ſtatu vel maxime pactis opus eſſe inde colligitur, quod, quum homines ad humanitatis officia præſtanda nullo juris vinculo adſtricti forent, intervenientibus pactis illa ſibi ſtipulari deberent. Conſequitur 4.to abſurdam & monſtroſam eſſe opinionem Hobbeſii Statum naturalem in ſtatum mere bellicoſum transmutantis, ac omnibus & ſingulis jus in omnes, & omnia tribuentis, quam tot Viri doctiſſimi jam pridem profligarunt (a); conſequitur 5to duas fore proprietates Status naturalis, nempe æqualitatem, & libertatem. Ex lege tam æqualitatis quam libertatis fluit, quod nemo foret ſuperior, nemo ſubditus, nec imperio, nec ſubjectioni, nec dignitatum diſcrimini locus foret, exulare deberent omnes Magiſtratus, omnes leges poſitivæ, pœnæ, & quidquid ſine alterius præ altero prærogativa poteſtateque intelligi non poteſt.

§. V.

STatus igitur *adventitius* eſt ille, quem facto proprio adoptamus, vel facto alieno adoptare cogimur, & hunc *Statum* vocamus *Societatem civilem*. Quoniam vero omnis Societas fundatur in conſenſu duorum, vel plurium, ſocii vero communem ſibi præfigunt finem, & ad hunc finem conſequendum certa eligunt media, ſequitur neceſſario ad omnem Societatem ſeu *Statum ſocialem* requiri duo nem-

(a) Inter alios vid. Claiſſ. P. Corbinianum Thomas in ſuo Jure Naturæ Theologice expenſo.

nempe *conſenſum* vel *expreſſum* vel *tacitum*, vel etiam *præſumptum* (a) quin etiam *extortum*, & *coactum* ſufficere, dummodo ex poſt ratihabitione convaleſcat, res nobis videtur eſſe indubitata. (b) Alterum requiſitum eſt, quod in eundem finem & media ad illum conſequendum neceſſaria ſocii vel qui habentur inſtar ſociorum, conſentire debeant, quo ceſſante ceſſat ſocietas, & qui alium ſibi finem præfigit ſocius eſſe deſinit. (c) Porro autem ex his ſequi neceſſum eſt dari ex diverſitate finium diverſas ſocietates (d), aliquæ ex ſuo fine ſunt *juſtæ*, quales ſunt ſocietates *Matrimoniales*, *Heriles*, *Mercatorum*, *Opificum &c.* aliæ *injuſtæ* e. g. *Latronum*, *Piratarum*, *Dardaniorum &c.* aliæ *ſpontaneæ*, aliæ *coactæ*, quæ tamen non ſemper ſunt injuſtæ, aut, ſi earum vitioſa fuerit origo, à vitio purgantur per ſupervenientem ratihabitionem illorum, quibus vis, & violentia legem impoſuit jugum ſocietatis ſibi ipſis imponendi. (e) Aliæ iterum ſunt *ſimplices*, & aliæ *compoſitæ*, illæ ex pluribus hominibus, iſtæ ex pluribus ſocietatibus coaleſcunt. Societetes *compoſitæ* iterum ſunt vel *Minores*, vel *Majores*, vel omnino *Maximæ*. *Minores* conflantur vel ex pluribus diverſarum familiarum (f) vel ex paucioribus familiis. *Majores* conſurgunt ex hujusmodi ſocietatibus minoribus, & vocantur vel *Civitates*, vel *Reſpublicæ*, quales ſunt integræ Provinciæ. *Maximæ* demum coaleſcunt ex pluribus Rebuspublicis, & dicuntur *Syſtemata Civitatum*. (g) Demum ſocietates aliæ ſunt *æquales*, aliæ *inæquales*, prioris generis illæ ſunt, quæ in mero pacto & fœ-

B de-

(a) Quid interſit inter conſenſum *tacitum* & *præſumptum* explicant paſſim Doctores Jurium, nempe prior eſt verus, alter fictus & à jure ſæpe etiam contra invitum ex æquitate naturali inductus, uti in contractibus quaſi talibus e.g. in negotiorum geſtione. Hujusmodi conſenſus præſumptus habetur in ſocietate inter parentes & liberos; hi enim conſentire præſumuntur, priusquam conſentire poſſunt.

(b) Hujusmodi exempla habemus in Societate Herili, caſu quo ſervi bello capti ſunt, & proſtant ferme in omnibus gentibus, illis maxime, quæ alienis armis alterius imperio ſubactæ ſunt.

(c) Et hinc diverſitas ſocietatum præcipue menſuranda eſt ex diverſitate finium, & ideo alia eſt ſocietas *Matrimonialis*, alia *Herilis*, alia *Familiæ &c.*

(d) Vid. mox antea dicta de conſenſu *coacto*.

(e) Simpliciſſimæ ſunt ſocietates *Conjugum*, *Parentum & liberorum*, *Dominorum*, & *ſervorum*, quibus addatur ſtatus *Familiæ*.

(f) Minores ſunt *pagi*, *vici*, *urbes &c.* *Majores* ſunt *integræ Provinciæ*. *Maximæ* ſunt plures Reſpublicæ quaſi in unam coalitæ. Nimirum ſi minores ſocietates non ſufficiunt fini adſequendo, ex plurium conſociatione majores, & demum ex his Maximas naſci neceſſe eſt. Sic enim olim Gallorum, Germanorum, Britannorum Provinciæ in plurima Regna & Civitates ſcindebantur, ſed ſucceſſive vel vi oppreſſæ, vel ob imminens periculum fœdere inter ſe junctæ in ſyſtema aliquod majus Rerumpublicarum coaluerunt.

(g) Tales ſocietates ſunt Collegia Scientiarum, Artium &c.

dere fundantur, omne imperium & ſubjectionem & coactionem inter ſocios excludunt communi conſilio omnia agenda agunt, & ad finem ſibi propoſitum ordinant, ita tamen, ut ad evitandam confuſionem vel unum vel plures quaſi Directores conſtituant, quibus propoſitio agendorum, directio negotiorum, eorumque executio ſine ulla tamen poteſtate regendi, jubendi, leges ferendi, aut cogendi incumbit. *Inæquales* iterum vel ſunt *imperfectæ*, vel *perfectæ*, illæ ſunt, quibus unus vel plures præſunt cum poteſtate dirigendi, aliqua jubendi, vel exequendi ſine ullo tamen imperio civili cum poteſtate civiliter cogendi conjuncto. Iſtæ ſupponunt perfectam ſubordinationem Imperantium & obedientium in Imperio vere tali, jure gladii, aut poteſtate cogendi fundatam. Societates iſtæ non omnes eandem habent originem, quædam earum ex Jure naturali ſaltem hypothetico (a) quædam ex Jure civili dimanant. (b) Dein ferme ſingulæ diverſas reſpiciunt cauſas, quæ illarum inſtitutioni præbuere occaſionem, & ideo vix non omnes, & ſingulæ diverſos fines ſibi præfixos habent (c), de quibus ex mox dicendis magis patebit.

§. VI.

AGe, jam hæc ſecundum ordinem non nihil accuratius excutiamus, & primitus de Statibus *ſimplicibus* agamus, de quorum numero inter Authores non convenit. Nam quidam non niſi duos videlicet *Statum conjugalem*, & *Parentum ac liberorum* inter ſe, alii tres addendo *Statum familiæ*, alii quatuor adjungendo *Statum Herilem* ſtatuunt. Nos primæ opinioni accedimus, quum enim duo poſteriores non raro ex diverſarum familiarum perſonis coaleſcunt, jure optimo potius *compoſiti*, quam *ſimplices* dici merentur.

Status conjugalis eatenus Juris naturæ eſt, quatenus Providentiſſimum Numen illum pro conſervando genere humano inſtituit, & hoc ipſo ſcortationem ſeu vagam libidinem utpote omnibus finibus Matrimonii repugnantem prohibuit. (d) Simul tamen eſt Status civilis

(a) Ex Jure Naturali hypothetico, nempe ſuppoſito, quod DEUS per generationes à maſculis & fœminis genus humanum conſervari voluerit, pertinet *Status Matrimonialis*. Ipſas etiam Societates *Majores*, ſeu *Civitates* ſuppoſita rerum diviſione, auctoque genere humano non pauci Doctores ad Jus Naturæ reducunt.

(b) E. g. *Status Herilis*.

(c) Alia cere cauſa impulſiva, & alius finis ſocietatis *ſimplicis*, & *compoſitæ*, *minoris*, & *majoris* &c.

(d) De hoc præter DD. Catholicos videantur Pufendorfius lib. 6. cap. 1, ubi hanc theſin fuſiſſime probat.

vilis eatenus, quatenus non omnibus & ſingulis abſolutam neceſſitatem illum amplectendi impoſuit, adeoque illius electionem libero hominum arbitrio ſubmiſit. (a) Itaque conjugium eſt ſocietas ſimplex perſonarum diverſi ſexus procreandæ educandæque ſobolis cauſa inita, de quarum officiis agere huc non pertinet.

Alter Status *adventitius* ſeu *civilis* eſt *Societas Parentum & liberorum* eatenus talis, quatenus ex facto proprio videlicet ex Matrimonio liberrime inito dependet. Officia autem illam conſequentia ſunt Juris naturalis, & ex parte parentum fundantur in conſenſu illorum expreſſo vel tacito, ex parte autem liberorum in conſenſu præſumpto. (b) Etiam hic ſtatus eſſet ampliſſimæ disquiſitionis, & hinc à nobis merito prætermittendus, quibus ſufficere debet ad conſequendum finem à nobis intentum hæc pauca inſinuaſſe. (c)

Tertius Status *adventitius* èſt *Status Herilis*, per quam intelligitur *ſocietas inter Dominum, Dominamve, & ſervos, ac ancillas*, in qua hi ad ſua præſtanda ſervitia, illi ad hos alendos, & plerumque ad certam mercedem præſtandam obligantur. Eſt hæc ſocietas, uti dictum ſuo modo *ſimplex*, & *compoſita*, eſt *inæqualis*, & *rectoria*: num ipſa natura quosdam fecerit ſervos, prout docuiſſe Ariſtoteles perhibetur, cujus tamen veſtigia hodiernis temporibus nemo ſequitur, nolumus diſcutere. Profecto jure naturæ omnes ſumus æquales, nemo Dominus nemo ſervus. Servitutem neceſſitatibus & utilitatibus hominum congruere & hoc ipſo Juri naturæ non repugnare nemo eſt, qui neget. Aut enim de ſervitute *pactitia*, aut *legali* loquimur (d)? Eccur enim quis libertati ſuæ renuntiare nequeat, aut cur Victor ſervituti addicere non poſſit, quos jure belli occidere ſibi liceret (e)? De ſervitute Jure civili introducta vid. ad Tit. de Jur. perſ. & ſeq.

Quarta ſpecies Status *ſimplicis* & in certo ſenſu *compoſiti* eſt *Status familiæ*, cujus ſignificationem originalem, *familiæ* nempe, a Græ-

(a) Præceptum nubendi paſſim adſtruunt Acatholici, & ideo Cælibatum perpetuum, & indiſſolubilem veluti Juri naturæ repugnantem rejiciunt, aliquem tamen Cælibatum nempe diſſolubilem etiam ipſi admittunt, eoque quosdam Abbates, & Abbatiſſas in quibusdam ſuis Eccleſiis tam immediatis, quam mediatis ligant, prout videre eſt apud Bœhmerum Tom. 2. Tit. 3. §. 24.

(b) Jam enim ſupra diximus, quod liberi ante obtentum uſum rationis conſentire nequeant.

(c) Vid. Magnif. Schmier Lib. I. Can. 2. Sect. I. §. III.

(d) Servitus *pactitia* ex pacto libero provenit, & habet locum apud famulos conductitios, *Legalis* eſt illa, quæ à Jure civili fuit introducta, & introducebatur vel *Nativitate*, vel *Captivitate*.

(e) Vid. Hugo Grotius de Jur. Bell. & Pac. quandonam nempe hoſtes occidere liceat, & an illos etiam, qui ſe ſponte dedunt.

cis, apud quos *familia* idem ſignificat, ac *Domus*, mutuat, illiusque uſum multiplicem ex Briſſonio fuſius deducit Huberus (a), eamque ultimato definit, quod ſit *Status plurium perſonarum, quæ unius poteſtate, natura aut jure quotidiani uſus cauſa ſunt ſociatæ.* Coaleſcit familia ex triplici ſtatu antea exſplicato, nempe *Conjugali*, *Parentum & liberorum*, ac *Herili;* ex ſtatu enim *Conjugali* naſcuntur liberi, & hi faciunt ſtatum Parentum & liberorum, ab his procreantur Nepotes, Pro-Nepotes &c. & hi conſtituunt *familiã* imperfectem. Ad uſum *familiæ* communem, remque domeſticam plurimũ conducunt *ſervi, famuli, famulæque* ſub ejusdem *Patris-familias* poteſtate conſtituti, & exinde conſurgit *Status familiæ perfectæ.* (b) Ex his perſonis natura conſociati ſunt *Maritus* cum *uxore*, *liberi* cum *Parentibus*, jure autem *ſervi*, utut omnes & ſingulos jure & natura junctos eſſe negari nequeat. (c) Porro autem caput *familiæ* eſt *Paterfamilias* ita dictus (d), qui eidem poteſtate prorſus inæquali præeſt, nempe poteſtate ſuo modo *Regia* ſeu *politica* cum pietate potius, quam atrocitate conjuncta liberis, poteſtate *herili* & velut *deſpotica* ſervis, cum multa *æqualitatis* obſervatione Uxori. Atque hæc eſt *familia perfecta* triplicem involvens conjunctionem *Patrisfamilias* cum *uxore*, *liberis*, & *ſervis*, quod ſi una ex his deficiat ex defectu *Matrisfamilias*, *liberorum*, vel *ſervorum*, erit *Status familiæ imperfectus.* Numerus tamen *familiæ* nullo jure legitur eſſe determinatus. (e)

§. VII.

(a) Sumitur enim originaliter pro *multitudine famulorum*, pro *corpore ſervorum*, qui certi uſus gratia habentur uti *grex gladiatorum*, pro bonis & patrimonio, unde *familiæ emptor*, pro omnibus, qui ab eodem *ſanguine* proficiſcuntur. l. 195 ff. de V. S. pro *ſtirpe peculiari gentis*, ſic teſte Suetonio duæ familiæ claruerunt *Calvinorum*, & *Ænobarborum*, pro *corpore hominum*, qui ſunt in eadem domo, & in hoc ſenſu hic accipitur. Cit. Auth. lib. 2. de Jur. Civ:r. Sect. 1. cap. 2. Briſſonius de V. S lib. 4.

(b) Perfecta enim familia conſtat triplici conjunctione nempe Patrisfamilias *cum uxore*, cum *liberis*, cum *ſervis.*

(c) Nam etiam ſervos natura eſſe ſociatos ſuo Domino haud ſecus quam uxorem marito (ſuppoſito tamen pacto inter ſervum & Dominum) vult. cit. Magnif. Schmier. loc. cit. Sect. I. Num. 59.

(d) Paterfamilirs in l. 196. de V. S. definitur, quod ſit *Princeps familiæ & in domo dominium habet.*

(e) Bene animadvertit Huberus, quod aliquando major poſſit eſſe *Familia*, quam *Civitas.* Dantur enim *Civitates*, quæ vix trecentos in armis exhibere poſſunt, quum tamen Abrahamus tot, quin plures de ſua familia adverſus Reges Meſopotamiæ eduxiſſe legatur. De *Fundario* Præfecto ſcribit Tacitus, quod 500. ſervos ſub uno tecto habuerit. Imo fuere, qui teſte eodem *nationes ſervorum* habebant. Huberus loc. cit.

§. VII.

AD *Societates compoſitas* delabimur, quas triplicis eſſe generis ſupra diximus. Hic de Societatibus *compoſitis minoribus* agere conſtituimus. Societas igitur *compoſita minor* nobis eſt *Cœtus perfectus ex pluribus vel familiis, vel diverſarum familiarum perſonis ſub ſimplici directione, & regimine, excluſo tamen imperio inter ſocios ad certum aliquem finem ſibi communem coadunatus.* (a) Itaque hujusmodi ſocietates nobis ſunt *Univerſitates* (b) & *Collegia*, quamquam inter *Univerſitates*, & *Collegia*, atque inter *Societates* ſubtiliter diſtinguat Huberus. (c) Dictum fuit primo quod Societates ſint vel *perſonarum*, quales ſunt *Collegia Artificum, Academiæ ſcientiarum* ad excolendam hanc vel illam artem & ſcientiam erectæ (d), quorſum jure optimo reducimus Capitula Canonicorum in Eccleſiis tam Cathedralibus quam Collegiatis inſtituta, in quantum *corpus ab Epiſcopo ſeparatum* conſtituunt, (e) vel *familiarum*, quales ſunt *vici, pagi, oppida & urbes.* Hæc tamen collegia vel maxime deflectunt à natura Collegiorum, eo quod vel nulla vel pauciſſima habeant *Jura Collegialia*, atque in omnibus ſuis bonis & juribus per ſubordinatos à Domino territoriali Magiſtratus regantur. Dictum fuit 2.do *ſub ſimplici directione*, ſunt enim hæc Collegia *Societates æquales*, à quibus omne imperium exulat, maxime ſi ſint Collegia *privata*. Ne tamen ſit perpetua quaſi rerum confuſio, & turbatio ſolet communiter ſimplex aliqua Collegiorum directio ſi-

 ne

(a) Tres perſonæ ad conſtituendum Collegium requirnntur. Requiritur etiam unio inter ſe, utpote quæ eſt anima Collegiorum, & hæc unio debet collimare ad finem communem.

(b) De Univerſitatibus habetur integer Titulus in ff. quod cujusque Univerſit. nomine &c. Paſſim tamen confunduntur Univerſitates & Collegia. Bene vero Huberus inter Collegia, & Societates diſtinguit, ſi nempe ſocietatem ſumamus, prout ſumitur in Jure civili in materia contractuum; datur enim in Collegiis aliquod quaſi regimen; & ut plurimum per ſuffragia majora concluditur, habent univerſales Arcam communem, ſigillum commune, Syndicum. Quæ ferme omnia ſe aliter habent in Societate, & illud præcipuè, quod in Collegiis per majora concludatur, quum tamen in Societatibus vota majora non prævaleant, ſed commune illud obtineat, quod in re communi melior ſit conditio prohibentis l. 28. ff Comm. Divid.

(c) Talia collegia hinc inde ſunt erecta Pariſiis, Viennæ, Bononiæ &c. Interim hæc Collegia nun ſunt confundenda cum illis Collegiis, quæ *Univerſitates*, eoquod in iis ferme omnes artes & ſcientiæ ſub imperio alicujus Rectoris doceantur, dicere conſuevimus: Hæc enim quaſi rempublicam aliquam nempe literariam repræſentant.

(d) Nam juxta hodiernam formam Capitula duplex repræſentant corpus, nempe unum reſpective ad Epiſcopum, cum quo faciunt unum corpus, ita ut illius Caput ſit Epiſcopus, membra vero ſint Canonici, & hoc in ordine ad *Jura Eccleſiæ communia*, alterum reſpective ad ſe ipſos, in quantum habent *Bona & Jura ſeparata*, quæ ab ipſis ſub quodam Directore, qui ordinarie eſt Decanus, adminiſtrantur,

ne imperio, conſiſtens in propoſitione agendorum, informatione membrorum, executione concluſorum, vel in unum vel in plures transferri, ita tamen ut jus finaliter concludendi decidendi penes ipſum reſideat Collegium, atque ordinarie vota membrorum majora obtineant. (a) Dictum eſt 3.tio *ſine imperio inter ſocios*; nam Principi territoriali competere inſpectionem generalem in has Societates, ne videlicet abuſus quidam bono publico nocivi irrepant, illasque imperio, ac Juribus Majeſtaticis ſubjacere nemo eſt, qui dubitet. Interim non eſt in poteſtate Principis Societatum *Jura collegialia* turbare, tollere, demere &c. niſi omnem ſocietatem è medio tollere velimus A (b) At vero inter *Jura Maieſtatica* & *Collegialia* recte diſtinquere, atque ambobus ſuos aſſignare limites, hic labor, hoc opus eſt. (c) Atque hoc quaſi prævie animadvertere, & propter DD. Proteſtanticos dictum volumus utpote qui, poſtquam Eccleſiam, quam tota antiquitas inſtar *Civitatis*, & *Reipublicæ* habuit, è ſuo throno deturbarunt, atque ad infima ſubſellia ſimplicis Collegii & Societatis æqualis detruſerunt, atque hac ratione illam ad inſtar aliorum collegionem ſuperioritati territoriali ſubjecerunt, mirum in modum in ſalvandis Juribus *Principum* & *Collegiorum*, in regundis finibus inter *Jura Majeſtatica* & *Collegialia* torquentur & ferme in innumeras ſententias inter ſe ipſos ſcinduntur, prout infra videbimus.

§. VIII.

DEnique ad *Societates Majores*, quas communi nomine *Civitates*, vel *Reſpublicas*, vel etiam *Status* veluti per Antonomaſiam compellare conſuevimus, earumque originem explanandam devolvimur. Itaque *Civitas* ſeu *Reſpublica* ex noſtra mente eſt *Societas perfecta cum debita imperantium & obedientium ſubordinatione propter beatitudinem Civilem coadunata.* Ex quo ſequitur 1.mo, quod omnis *Civitas* ſupponat multitudinem hominum, num vero *familianem*, vel tantum *perſonarum* haud faci-

(a) Multum intereſt inter Directionem ſimplicem, & Imperium. Iſtud enim ſupponit ordinem imperantium & obedientium, involvit vim cogendi, compellendi, & pœnas graviſſimas infligendi, non item ſimplex Directio. Quod autem in Collegiis plerumque per vota majora concludatur patet ex Jure Communi, ferme ex omnibus Collegiis, & maxime Capitulis Cathedralibus, Collegialibus, & Regularibus, quamquam aliquoties vota ſingulorum, aliquoties duæ tertiæ, ſicut in Electione ſummi Pontificis requirantur.

(b) De hoc infra dicemus, ubi demonſtrabimus, quomodo Proteſtantes, qui Eccesiam ad infima ſubſellia alicujus Collegii æqualis detrudunt, contra ſua propria princ ipia agant, & ſuis Principibus ſæcularibus multa jura Collegialia injuſte attribuant.

c) Etiam de hoc infra.

cile dixeris. Ferme communis opinio Doctorum tenet, ex ſola hominum multitudine quasdam coaluiſſe Civitates, & in hodiernam usque diem poſſe coaleſcere. (a) Sequitur 2.do quod omnis Civitas hoc ipſo quod ſit Societas, fundetur in pacto vel *expreſſo*, vel *tacito*, vel *præſumpto*, quin etiam *per metum extorto*, prout dicetur §. ſeq. ubi de *ſtructura Civitatum* agemus. Sequitur 3.tio omnem *Civitatem* eſſe *Societatem inæqualem*, etiamſi forma Regimis ſupponatur eſſe *Democratica*. (b) Sequitur 4.to Notam velut characteriſticam *Civitatis* eſſe ſubordinationem non qualemcunque aut in quacunque poteſtate Rectoria, ſed in imperio cum poteſtare ferendi leges, infligendi pœnas, coercendi &c. conjuncto fundatam. (c)

§. IX.

JAm ad quæſtionem illam famoſiſſimam, inter Juriſconſultos tanta animorum contentione agitari conſuetam venimus, qua quæritur, undenam petenda ſit origo *Civitatum*, ſeu, prout alii ſtatum quæſtionis ponere conſueverunt, quænam fuerit *cauſa impulſiva*, ut homines in Civitatem coirent, ſibique ipſis deſerto ſtatu libertatis aureæ, & æqualitatis prorſus inæſtimabilis homines ſuper capita ſua, unaque jugum ſervitutis, aut ſaltem ſubjectionis velut inſupportabile impoſuerint? hujus quæſtionis ex ea ratione plurimi intereſt, quod ſine illius accurata dilucidatione neque de Officiis Imperantium, neque obedientium certi aliquid cum fundamento ſtatui valeat, quum officia non aliunde, quam ex fine, finis vero non niſi ex cauſa ad hunc vel illum ſibi præfigendum impellente menſurari valeant; nam ut Officia Doctoris metiri valeas, ipſum ſcholarum finem ante oculos tibi ponas, neceſſum erit, ſed neque finem tam prompte intellexeris, niſi in cauſam, quæ ad ſcholas publicas conſtituendas erigendásque primos Authores impulit, ſedulo inquiſiveris.

In hac quæſtione ferme tot ſunt ſententiæ, quot capita. Haud pau-

(a) Nam, uti loquitur Huberus Lib. 1. Sect. 2. cap. 2. videtur Roma fuiſſe Civitas, priusquam matrimoniis, ſine quibus non eſt familia, potiretur. Sunt Coloniæ, in quibus generatio advenarum non habet ſucceſſum vitalem, quæ ſi viris ſubmiſſis perpetuentur, Civitates eſſe poſſent. Sic & Clerus Catholicus eſt Civitas, & tamen non habet familias.

(b) Nam poteſtas regendi, gubernandi, & imperandi transfertur in certas tribus, quibus ſubditi in particulari obedire tenentur: ſecus foret mera confuſio, uti videre eſt in Helvetia.

(c) Hac enim ratione Civitas diſtinguitur à Statibus æqualibus, & inæqualibus, ſed Minoribus.

pauci, iique magni nominis DD. Catholici originem Civitatum in ipſum Authorem naturæ, (a) alii cum Ariſtotele in naturam hominis, hoc ipſo quod homo ſit animal ſociale. (b) Alii in rerum indigentiam, (c) plures hodierni vel in ambitionem, vel in vim, vel in metum ex aliorum præpotentia, ambitione dominandique que libidine, violentiis, latrociniis obortum refundunt. (f)

Equidem Summum Numen eſſe Authorem Rerumpublicarum omnium, nemo ſanus negaverit. Porro autem, quod DEUS ipſe ſua lege naturali hominibus indiſpenſabilem neceſſitatem impoſuerit, ut pro majori ſecuritate, vitaque tranquille agenda in Societatem & Civitatem coirent, Statum naturalem libertatis & æqualitatis cum Statu Civili, ſubjectionis & ſervitutis commutarent, ſe ſuaque bona, facultates, jura imo & voluntates ſuas voluntati imperantium ſubmitterent, ipſis vero Imperantibus formam Regiminis conſtituerit, certos Imperii fines deſignaverit, jamque in integram Civium mnltitudinem, jam in Proceres, jam in unum Sceptrum Regiminis transtulerit, id ipſum eſt, quod nemo ſanus dixerit. (d) Sed de hoc infra. Neque in ipſam naturamhominis, quaſi vero homo ex lege ſocialitatis non ſine vi interna ac quaſi impetu naturæ in ſocietatem rapiatur, originem Civitatum reduxeris. Eſto enim homo ſit animal ſociale, extra Statum Societatis miſerum, indigum, quin imo, prout depingit, Pufendorffius, miſerrimum, num propterea ad Societates maximas, quales ſunt Civitates, ipſum eſſe proclivem, quin ab ipſo naturæ impetu trahi rapique dicemus? Nunquid beate feliciterque vivere poterit homo in Statu familiæ (e) ipſum hominis naturam ex una, ex altera vero parte incommoda vitæ ſocialis in Civitate vel Republica ad ſeveriorem trutinam vocemus: nunquid homo eſt libertatis amantiſſimus, ſuorum commodorum ſtudioſiſſimus, ab omni ſubjectione quam alieniſſimus? nunquid, prout dicere amamus, homo homini lupus? num ergo hominem ex ipſis naturæ ſuæ legibus ad li-

(a) Hos vide apud Magnif. Schmier lib. 1. cap. 2. Sect. 4. §. II.

(b) Et hi Authores parum differunt ab opinione priorum.

(c) De his vid. Pufendorfius lib. 7. cap. 1. §. VI. & Heineccius Element. Jur. Nat. lib. 2. cap. VI. z. CI.

(d) Vid. Pufendorfius loc. cit. Heineccius loc. cit. §. CII. Bœhmerus Introduct. in J. P. U. lib. 1. cap. 2.

(e) Tres formæ Regiminis quas ſolent vocare *Regulares*, eſſe inventum mere humanum quis neſcit?

(f) Nunquid extra Civitatem vixere Abrahamus, Iſaac, Jacob &c. & tamen beate, commode, & ſuaviter vixiſſe legimus.

libertatem ſuam abdicandam, commoda vitæ abjicienda, jugum ſubjectionis inſupportabile ſponte ſubeundum proclivem eſſe, imo violenter rapi trahique dicemus? ut nihil dicamus, de plurimis incommodis, oneribus, quæ Statum Civitatis preſſo ſequuntur pede, & in omnibus ſuis viis comitantur. (a)

Sed nec feliciori Marte pugnant, qui Civitatum originem, aut potius illarum cauſam impulſivam in *hominum indigentiam* refundunt: num enim tantam hominis fuiſſe indigentiam extra Civitatem credimus, ut non haberet, unde viveret, ac propterea in Civitatem coire, libertatem omni auro pretioſiorem abdicare, frœna imperii mordere, innumera commoda Statum liberum concomitantia contemptim habere, atque jugum ſervitutis cum innumeris vitæ incommodis conjunctæ ſibi ipſi imponere voluerit, aut omnino debuerit?

Ex his & ſimilibus rationibus dubitare licet de duplici illa, eaque plauſibiliori famoſiorum Juris naturalis Interpetum opinione, quorum aliqui cum Bœhmero, (b) Heineccio aliisque à ſe citatis (c) vim atque violentiam cum immenſa imperandi libidine conjunctam pro cauſa impulſiva adſtruunt, alii vero cum Hobbeſio, & Puffendorfio (d) ſolum metum ex quorundam præpotentia, ambitione, regendique libidine cauſatum homines ad colendam Societatem, atque circumponenda ſibi præſidia contra mala ſibi imminentia compuliſſe aſſerunt. Priores illi tum ad ipſam Scripturam, & exempla inde producta tum ad Hiſtorias provocant. Ex ſcripturis proferunt exemplum Caini, (e), Gigantum, (f) Nemrodi, (g) Eſavi, (h) quos omnes regnandi libido, ambitio faſtus ſupra Societates quasdam veluti Rectores ſublimavit. Exemplis etiam ex Hiſtoria diverſarum gentium depromptis ſuam opinionem ſtabiliunt; perluſtremus enim, inquiunt, diverſarum gentium &

(a) Huc faciunt exempla mox antea adducta.

(b) Loc. cit.

(c) Loc. cit.

(d) Loc. cit.

(e) De hoc legimus, quod fratrem ſuum Abelem occiderit, id quod fecit ex dominandi libine, faſtu, ambitione &c. prout diſcurrit Bœhmerus loc. cit. §. XV. ubi etiam Cainum velut primum Civitatis conditorem proclamat.

(f) Geneſ. 6. v. 4. hos enim fuiſſe tyrannos, oppreſſores, graſſatores, & latrones paſſim obſervant eruditi.

(g) Hunc incepiſſe fieri *potentem*, & fuiſſe ſtrenuum venatorem ipſa loquitur Scriptura: hæc autem prædicata quid aliud deſignant niſi hominem bellicoſiſſimum, & violentiſſimum.

(h) De Eſavo pariter teſtatur Scriptura, quod fuerit homo hirſutus, rigidus, venator, bellicoſus &c.

Rerumpublicarum ortus & incrementa: nunquid aut vis & violentia, latrocinia & deprædationes, aut regnandi libido illis ſua dedit initia? an non pleræque aut certe plures Reſpublicæ à primæva ſua origine mera fuerunt latronum ſodalitia? Prima certe fundamenta Monarchiæ Aſſyriorum poſuit regnandi libido cum oppreſſionibus & violentiis conjuncta, eadem ſceptrum ab Aſſyriis ad Perſas, à Perſis ad Græcos, à Græcis ad Romanos tranſtulit. De Republica Athenienſium & Lacædemoniorum ſimilia memoriæ prodidiſſe Scriptores legimus. Initia Romæ nunquid erant latronum colluvies (a)? de noſtris Germanis quid dicamus? ſolius Taciti, & Julii Cæſaris teſtimonia ſufficiant (b). Similia ferme de omnibus regnis teſtantur Scriptores omni exceptione majores (c). Animo indifferenti expendamus, quænam illa ſit cauſa velut Matrix, ut Gentes cum Gentibus, Regna cum Regnis, Principes cum Principibus in pacta & fœdera coeant, bellis ſe invicem laceſſant, numeroſiſſimos exercitus conducant, & in eos tam belli quam pacis tempore totum ſuum ærarium, marſupia, facultates, patrimonia, & bona ſuorum ſubditorum effundant, ita ut ferme ſoli Principis militi ſudet agricola, laboret opifex, ſtudeat artifex, negotietur mercator, oret, pſallat, & prædicet Clerus &c., nunquid ut aut ſuas ditiones in fines ampliſſimos extendant, aut vim ſeu illatam ſeu inferendam propulſent?

Ferme his ipſis, vel ſimilibus argumentis utuntur illi, qui cum Pufendorfio originem Civitatum in *juſtum metum* refundunt: quum enim cæteri homines, qui ſua ſorte contenti vitam beatam tranquillamque agebant, quantum curæ œconomicæ, & pax domeſtica permittebat, & neque rerum habendarum cupidine, nec regnandi libidine in transverſum rapiebantur, ſibi ex omni parte pericula imminere viderent, neceſſum habebant, ut ſe contra inju-

(a) *Apud Romanos* ait vir quidam celeberrimus, *non populus ſibi quaſivit regem, ſed rex populum.*

(b) Tacitus lib. 3 habet ſequentia: *poſtquam exui cœpit æqualitas, & pro modeſtia ac pudore ambitio & vis incedebat, provenere dominationes, multosque apud populos æternum manſere.* J. Cæſar lib. 6. de Bel. Gall. cap. 23. de Germanis inquit: *Latrocinia nullam habent infamiam, quæ extra fines cujusque Civitatis ſunt &c. atque ubi quis ſe in Concilio dixit ducem fore, ut, qui ſequi velint, profiteantur, conſurgunt ii, qui & cauſam & hominem probant, ſuumque auxilium pollicentur.*

(c) *Omnibus populis, qui florerent imperio, & Romanis quoque ipſis, ſi juſti eſſe velint, hoc eſt, ſi aliena reſtituant, ad caſas eſſet redeundum, & in miſeriis jacendum legitur apud* Lactantium lib. 5. cap. 16. & apud Halicarnaſſ. lib. 8. *Si unusquisque populus partem ſuam ſibi per vim contra jus & fas ereptam velit repetere, ac recipere, nihil erit tam parvum, tam debile, egenum, quam Res publica Romana &c.*

juſtos aggreſſores præſidiis munirent, mutuis auxiliis circumvallarent, in ſocietates junctis familiis coirent, ſibi ipſis quoſdam veluti Principes conſtituerent, atque in hos poteſtatem regendi gubernandique ſocietatem, ferendi leges, coercendi criminoſos transferrent: prout mox amplius dicetur. Quænam ex his opinionibus rem acu tetigerit, definire non audemus, & neque uni, neque alteri ſententiæ ex integro accedimus. Præplacet ſententia Heineccii (a), qui utriusque ſententiæ principia adoptat, & duplicem Civitatum originem ſtatuit: aut enim loquimur de illis Societatibus, quæ ad vim aliis inferendam, aut de illis, quæ ad vim vi repellendam coaluerunt? priorum originem omni jure ambitioni, violentiis & oppreſſionibus, poſteriorum vero juſto metui inde neceſſario in animis patrumfamilias reſultanti adſcribere licebit.

Sed quid multis, & fruſtra fatigamus ingenia? dicamus paucis, multitudinem hominum, indigentiam, ambitionem, quorumdam præpotentiam, multorum violentias, metum &c. conſtituendis Civitatibus occaſionem præbuiſſe, neque ulla ratione determinari poſſe, quænam ex his præcipue homines eo adegerit, ut relicta libertate cæco veluti impetu jugum ſervitutis ſubirent, atque in Societates coirent.

Ut autem etiam de penu noſtra aliquid addamus, in hac quæſtione perquam difficili ipſam naturam hominis Scripturam, Religionem, ſaniorem Philoſophiam, Patrum & Theologorum, placita eſſe conſulenda, illorumque ſententiæ, quippe quos veluti purioris Philoſophiæ Magiſtros omnis ætas Chriſtiana ſuſpexit, tanquam Doctoribus de cathedra loquentibus eſſe aſſurgendum exiſtimamus. Quemcunque ex his conſulueris, in vim ſententiæ audies, tribus potiſſimum animi affectibus hominem regi, turbari ac in transverſum agi: aut enim felicitatem ſuam, quam naturaliter appetit, in rerum, divitiarum, bonorumque abundantia, aut in dominandi, atque ſupra cæteros eminendi libidine, aut in voluptatum, commodorumque, atque illecebrarum affluentia collocat, jamque nunc ambitione in altum ſupra cæteros homines erigitur, nunc voluptatum illecebris agitatus bruto haud abſimilis ad ima deprimitur, nunc rerum habendarum cupidine extra ſeipſum rapitur (b). Hisce ſuis paſſionibus animi ut homo ſui impos ſatis-

(a) Lib. 2. de Jur. Nat. Lib. 2. c. 6 §. CVI.

(b) Dari in homine tres affectus ſeu paſſiones animi veluti prædominantes docet Scriptura 1. Joan. 2. v. 16. *Omne, quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ.* Idem docent SS. Patres, Philoſophi, Aſcetæ &c. Idem ex ipſa noſtra natura diſcere licet.

tisfaciat, quid non agit, audet, & tentat? Quoniam vero ſibi ſoli homo non eſt ſufficiens, ut ea, quæ inordinate appetit, conſequatur, alios ſui ſceleris ſocios ſibi adſciſcit, junctoque fœdere peſſima ſua conſilia armis, violentiis deprædationibus executioni mandare, poſthabitis omnibus legibus, aggreditur. Inde autem quid conſequi neceſſum eſt: niſi furta, rapinas, oppreſſiones, bella inteſtina, tyrannidem, & ſi quid aliud ſceleris, & criminis nominari poteſt? jam vero ne homo hominem opprimat, aliena rapiat, trucidet, & mactet altera inevitabilis conſequebatur neceſſitas, ut nempe cæteri boni Patresfamilias, quos nec immoderata illecebrarum cupido, nec immenſa ſuperbiendi libido, nec habendi, poſſidendique inſatiabilis cupiditas agitaverat, in Societates coirent, familiæ cum familiis jungerentur, junctisque viribus vim vi propulſarent. Porro autem ſola virium præpotentia minime conſultum erat utrique Societati, ſeu priori hominum peſſimorum, ſeu poſteriori bonorum. Ut enim ambæ ſuum conſequerentur finem opus erat ingenio, conſilio, rerum agendarum dexteritate, certo ordine, legibusque, quibus ſocii in omnes nefas aliunde proclives intra certos limites coërcerentur, ne innata hominibus contradicendi vi ſaluberrima conſilia peſſumdarent, aut ingenti, quo in omnia ſcelera & crimina rapiebantur, impetu leges omnes eliderent: itaque cogitandum erat de ſaluberrimis legibus conſtituendis, pœnis in transgreſſores ſtatuendis, ordinando Imperio, eligendisque Imperantibus, quibus ſuprema ferendi leges, coercendi delinquentes, gnbernandique præcipua cura incumberet, ſecus enim metuendum erat, ne tota compages Societatis utriusque brevi diſſoluta in ſuum nihilum corrueret. Inde factum eſt, ut quidam plus virium robore, ingenii acie, & rerum agendarum dexteritate valentes aut ſua ſponte Societatum gubernacula ſibi vindicarent, aut ipſæ Societates in eos, in quibus plus fortitudinis, virium, ingenii & perſpicacitatis ſuſpicerent, ſceptrum regiminis ſub diverſa tamen forma transferrent, hoc modo Civitatem ſeu Rempublicam in ſubordinatione imperanrium & obedientiom fundatam conſtituerent. Atque hæc nobis videtur eſſe veriſſima Civitatum Origo.

§. X.

EX his facile emetiri licet, quæ ſit interna Civitatis ſtructura, eſt nempe ille ipſe nexus civilis, quo ſubditi tam inter ſe ipſos, quam

quàm cum ſuis imperantibus conglutinantur in ordine ad finem ſibi præſtitutum per media apta & proportionata conſequendum. Quoniam vero nexus dari nequit ſine unione voluntatum ad finem communem, & hæc unio ſine obligatione concipi nequit, ipſa autem obligatio ſupponit voluntatem ſe ſe obligandi, neceſſario conſequitur, quod omnis Societas, & præcipue Civitas, de qua nobis hic eſt ſermo, fundetur in conſenſu & pacto vel *expreſſo*, vel *tacito*, vel *præſumpto*, prout ſupra explicavimus (a). Jam quæ illa ſint pacta, quibus intervenientibus Civitas coaleſcit, inveſtigandum eſt: nobis ad minimum tria intervenire videntur, ſive dein conſociationem inæqualem *liberam*, ſive *neceſſariam*, ſive *violentam* ſupponamus, (b) primum pactum illud eſt, quo homines in ſocietatem æqualem ac inter ſe ipſos conglutinantur: qua enim ratione alias concipere poſſumus *ſocietatem inæqualem* ſive *violentam* ſive *voluntariam*, niſi ſupponamus *ſocietatem* quamdam ſeu Cœtum hominum communi nexu conglutinatum (c)? hæc autem ſocietas aliquoties ex mutua cohabitatione (d), non raro ex ſpontanea eaque vel impia, vel juſta conglutinatione naſcitur. (e) Poſtquam homines in talem ſocietatem coierunt, ſubſequitur alterum pactum non quidem expreſſum, ſed tacitum, (f) quo in Rempublicam aliquam conſtituendam ex cauſa quacunque (g) atque formam Regiminis introducendam conſenſu vel *expreſſo*, vel *tacito*, vel *præſumpto* pro diverſita-

(a) Expreſſum habetur, quando familiæ libere coeunt in ſocietatem. Tacitus: quando ex neceſſitate Hypothetica coaleſcunt e. g. defenſionis cauſa contra injuſtos invaſores. Præſumptus, dum à potentioribus ſubjugantur, & imperio inviti ſubjiciuntur.

(b) Triplex hæc conſociatio ex triplici conſenſu mox explicato declaratur.

(c) Incredibile enim eſt, quod ſinguli homines ab uno inſtar ferarum beſtiarum fuerint occupati, donec ſufficiens numerus adfuerit, quibus imperare victor potuiſſet. Hæc autem ſocietas eſt æqualis, & ſinguli nullius imperio ſunt ſubjecti.

(d) Dum nempe ex una ſtirpe plures naſcuntur, & unam conjunctim incolunt terram. Tales Societates & Civitates fuiſſe videntur Cainiticæ, & Nimrodicæ.

(e) Ad ſocietates impias pertinent ſodalitia latronum, quorundam Barbarorum, qualia deſcenderunt ex proſapia Cainitica, & fuere inter varias gentes, & ipſos etiam Germanos. Ad ſocietates juſtas ſpectant illæ, quæ mutuæ defenſionis cauſa coaluerunt.

(f) Falluntur ergo, qui ſibi aliquem quaſi proceſſum fingunt, quaſi vero homines inter ſe convenerint, quod de ſtatu libertatis exire, ſibi vid. ipſis Imperantes imponere, & formam quamdam Regiminis eligere velint. Heinec. lib. 2. §. CXI. Huic opinioni contrariantur graviſſimæ rationes, & facta hiſtoria quamplurima, cum ne veſtigium quidem de hujusmodi *pactis placitis* exſtet, & ut plurimum neceſſitas homines in ſocietatem coire, ſibi Imperantes eligere, formam Regiminis conſtituere coegerit. Interim non deſunt exempla, quibus probari poteſt, quod talia pacta fuerint inita maxime apud Romanos.

(g) Cauſæ hujusmodi jam ſupra fuere allatæ, quales fuere vis & violentia, metus, neceſſitas &c.

te nempe Civitatis conſentiunt. (a) Poſt decretam formam Regiminis novo opus erit pacto, quo populus ſibi Imperantem vel Imperantes eligat, & in illum vel illos ſceptrum Imperii transferat, eisque formam Imperii jam antea decretam præſcribat, quæ forma tunc nomine *legis fundamentalis* venire conſuevit. (b) Hæc pacta ſe aperte produnt in Civitatibus libere vel etiam ex neceſſitate hypothetica (c) à populo conſtitutis: porro autem quando populus à populo potentiore, gens à gente victrice, Civitas â Civitate ſubigitur, & in unam coaleſcit Rempublicam acutiori oculo opus eſt, ut hæc pacta videamus. Illud primum, quo homines in ſocietatem æqualem coaleſcere diximus, jam præceſſiſſe aliunde certum eſt: illud alterum de conſtituenda Civitate tacite intervenire ex ipſo facto colligimus, ut quid enim oblatas à victoribus conditiones acceptat, & ſe illius jugo ſubmittit? quoad formam Regiminis, & electionem Imperantium ſententia deditiorum vix audietur, illisque in ſola obſequendi neceſſitate ſua relinquetur gloria. (d) Contingit etiam aliquoties, ut victo populo nova obtrudatur forma Reipublicæ, victorque ſibi certas conditiones ſtipuletur, quo in caſu procul dubio pactum, de quo hic ſermo eſt, intervenire conſpicitur, at vero populum non ultro ſed coactum in hæc omnia conſentire quis non perſpiciat (e)? Ex his pactis mutuas conſurgere obligationes ex parte tam Imperantium quam ſubditorum nemo non videt, ita tamen ut longe major ſit obligatio ſubditorum quam Imperantium, ſubditi enim poteſtati coactivæ ſubjacent, Imperantes vim cogendi reverentur nullam, niſi *Monarchomachiam* ſupponamus. (f) Quare communiter rejicitur ſententia Hobbeſii, Adriani Houtuyni, & Ulrici Huberi, qui non niſi unicum pactum admittunt, quo ſubditi Imperantibus, non vero Imperantes obſtringuntur ſubditis. Hobbeſius hanc opinionem am-

(a) Vel enim ſponte Civitatem conſtituerunt homines, & aderat conſenſus expreſſus, vel neceſſitas ad repellendam vim ſibi illatam vel inferendam ſocietatem illis perſuaſit, & aderat conſenſus tacitus, aut vi ſuppreſſi ſunt populi, & aderat conſenſus præſumptus.

(b) Rei hujus exempla affert Heineccius lib. 2. § CXII.

(c) E. g. in regnis electivis in Germania, in Anglia, in Suecia &c.

(d) Aliquoties tamen duriores, aliquoties mitiores præſcribuntur leges, prout nempe certa, vel ambigua eſt victoria.

(e) Morem hunc obtrudendi novas formas Regiminis apud Athenienſes, & Lacædemonias fuiſſe in uſu teſtatur Heineccius lib. 2, cap. 6. §. CXIV. Hujusmodi fortunas non raro expertæ ſunt aliæ Civitates.

(f) Monarchomachi dicuntur illi, qui ad exterminandum Regimen Monarchicum ſubditis concedunt jus reſiſtendi poteſtati Principis, & ferme totum Regimen in manu dant populi.

amplexatur fuit, ut majori cum energia contra Monarchomachos, quorum ſyſtema impugnandam aſſumpſerat, pugnare poſſet falſo exiſtimans, quod ex obligatione Principis qualicunque reſultet ex parte ſubditorum jus reſiſtendi Principi à Monarhomachis aſſertum. Sed quis prudentum ita unquam ſomniavit? nemo eorum unquam Principes poteſtativæ coercitivæ ipſius populi ſubjecit. Obligatur Princeps datam ſervare fidem, bona & jura ſubditorum tueri, ſecuritatem publicam procurare, ita tamen, ut ſubditis obligatio obtemperandi, ſine jure tamen leges pro ſuo libitu elidendi, injuſte contradicendi, aut imperium in ipſum Principem exercendi remaneat: Profecto in his principiis nihil apparet, quod aut authoritati Imperantium eſſe contrarium, aut viam ad Monarchomachiam ſternere cuiquam videri poſſet, quum econtra opinio Hobbeſii viam ad introducendum *deſpotismum* paret ſpatioſiſſimam. Quæſo qua ratione obtinebitur finis, quem ſibi populi in conſtituenda Civitate præfixit, qui certe alius non fuit, quam recedere à ſtatu belli, & ſecuritati publicæ conſulere? Quomodo conſultum erit ſecuritati publicæ, ſi Principem faciamus quaſi Exlegem? aut enim manebit hoſtis perpetuus, aut ſubditis debet dare fidem de ſervanda pace: illud prius eſt abſurdum, alterum vero neceſſario inducit vinculum morale in Principe, á quo ſe ipſum ſolvere crimen foret graviſſimum. Veſtigia Hobbeſiii ſequuntur hodierni Politici, de quibus in §. I. diximus, illi nempe, qui Dominium altum & eminens Principum velut Idolum ſupra aram collocant, & ſubditis præter ferream obtemperandi neceſſitatem juris nihil relinquunt. Hujus ferme opinionis fuit Houtuynus, qui ex pacto, quo imperium transfertur in Principem, nihil obligationis in illum transfundi exiſtimat, eo quod hoc contra conditionem Imperantis eſſe videatur. Sed nunquid hoc eſt tollere animam Civitatis, quam in ipſo nexu civili conſiſtere mox dicemus? Nunquid hoc eſt inducere novum belli ſtatum, quem populus introducendo Civitatem evitare voluit? itaque populus incidit in Scyllam, dum voluit vitare charybdin. Alio principio regitur Huberus, qui unicum tantum admittit pactum ex ea potiſſimum ratione, quod exiſtimet, ex pacto ſingulorum cum ſingulis etiam tacito mox oriri *Democratiam*, quaſi vero inter plures non poſſit dari *ſocietas æqualis* absque imperio civili. Quo ſuppoſito non niſi unico pacto opus eſſe videtur, mediante quo videlicet illa ipſa imperandi ratio, quam populus antea exercuit, in optimates, vel Principem transfer-

tur. (a) Huic opinioni duo petiſſimum obſtant, 1.mo quod in coalitioe hominum mox *Democratiam* adeoque ſocietatem inæqualem ſupponat, id quod pugnat contra fidem hiſtoricam. (b) Alterum, quod credat eandem imperii rationem in Principem transferri, quam antea populus in Statu exercuit Democratico, quaſi vero populus non poſſit aut minorem, aut majorem poteſtatem in Imperantes transfundere.

Ex his jam ſequitur, quod ſtructura Civitatum conſiſtat in illo nexu civili inter Imperantes & ſubditos ex pactis antea explicatis reſultante. Ipſe tamen nexus ſecundum tria dijudicandus eſt, nempe ſecundùm *pacta*, *finem*, & *formam imperandi.* De pactis hactenus egimus. Quis ſit *finis* ultimatus Civitatum, nondum in aprico eſt. Si illum ex origine Civitatum emetiri velimus, ille profecto alius eſſe non poteſt (loquimur de Civitatibus juſtis ſine violentia introductis) quam *Securitas publica*, & *beatitudo* Civilis & quidem, ſi hodiernos Politicos audiamus, mere *externa*, apud quos commune illud tanquam prima lex fundamentalis invaluit: *Salus populi ſuprema lex eſto.* Atque hæc ipſa illa lex eſt, ex cujus laxiori interpretatione tot prodierunt ſententiarum & legum politicarum monſtra; dum multi laxe nimis eam interpretantur inde inferentes, Cynoſuram unicam, ad quam imperantibus in ordine ſui regiminis reſpiciendum eſt, eſſe *ſalutem populi externam*, eisdemque incircumſcriptam prorſus poteſtatem vindicant ea omnia agendi, quæ ad procurandam ſalutem Reipublicæ externam eis vel neceſſaria, vel utilia videbuntur, quidquid leges Divinæ, Eccleſiaſticæ, & Civiles reclament. Videntur nobis hujusmodi vel nullius vel laxioris conſcientiæ Interpretes id ipſum facere, quod illi facturi eſſent, qui ex Jure gladii Principibus conceſſo vindicare vellent illimitatam poteſtatem addicendi rogo, damnandi ad furcam, plectendi capite omnes & ſingulos ſine diſcrimine ſexus, ætatis, & culpæ, illos etiam, quos nulla ſceleris conſcientia reos agit. An neſciunt hi tales, quod, ſicut omnis regula, ita etiam omnis lex ſuas habeat exceptiones, variasque recipiat limitationes ex variis legibus non modo naturalibus (c) ſed etiam divinis, & humanis. Da-

(a) Ipſas leges naturales admittere Epickiam improprie talem nemo eſt, qui neget. Alias nunquam malefactores occidere liceret, pereundum eſſet fame in extrema neceſſitate, omnia bella forent injuſta, reddendus foret gladius ſuo domino, etſi quis præviderer, quod hoc gladio ſit occidendus.

(b) De his omnibus vid. Pufendorfius lib. 7. cap. 2. Bœhmer. lib. 1. cap. 2.

(c) Non enim Gentes quaſi ex condicto, uti ſupponit Huberus, convenerunt, neque mox in unum

Damus, quod ſalus Reipublicæ ſit finis Civitatum, ſed non niſi mediis proportionatis procuranda, ita nempe ut ſuus ſtet vigor legibus non modo naturalibus, ſed etiam divinis, imo etiam Eccleſiaſticis: ſecus enim actum erit de Beatitudine ſupernaturali, de Republica Chriſtiana, & Eccleſia Catholica. Sapienti pauca. Quantum ad tertium ſeu de forma Regiminis, de hac ſingulariter nobis agendum erit, unde ſit

§. XI.

AD *internam Civitatum ſtructuram* vel maxime pertinet *forma Imperii*, quæ, prout ad hunc locum pertinet, non tam ex ipſa majori vel minori poteſtate Imperantium, vel ipſo modo regendi Rempublicam, quam ab ipſo *ſubjecto*, cui imperium radicaliter inhæret diverſimode nominari & menſurari conſuevit, & nihil eſt aliud, quam illa diverſa imperii habitudo ex diverſitate ſubjecti, cui radicaliter inhæret, reſultans. Triplicem autem formam Imperii DD. communiter ſtatuunt: aut enim populus ſummam Imperii in *unum*, aut in *plures*, aut in *univerſam multitudinem* transfert. Primo caſu oritur *Monarchia*, altero *Ariſtocratia*, tertio *Democratia*. (a) Ex quo conſequitur, quod, cum ſumma Imperii à libera populi translatione dependeat, triplici huic formæ opponantur tria potiſſimum vitia, nempe *Monarchiæ* opponitur *tyrannis*, ſi quis præter jus & fas Imperium occupet, aut juſte occupatum crudeliter exerceat. (b) *Ariſtocratiæ* contrariatur *Oligarchia*, ſi pauci quidam excluſis cæteris Optimatibus faſces Imperii arripiant. (c) *Democratiæ* repugnat *Ochlocratia*, ſi turba quædam aut fæx hominum loco totius populi ſceptrum teneat. (d) Hisce addunt vitium commune omni Statui, quod *ANARCHIAM* vocant, dum nempe diſſoluto vinculo communi nullus ordo Regiminis, nulla ſubordinatio Imperantium & obedientium habetur. (e)

unum populum coaluerunt. Præceſſit rudis conſociatio ſingulorum ſine regimine ſolis pactis ſuffulta, & ſucceſſive primum forma regiminis ſtatuta vid. Hertius diſſert. de modo conſtit.

(a) Scriptores veteres ferme omnes non niſi tres formas admittunt: *cunctas Nationes, & urbes aut populus, aut primores, aut ſinguli regunt*, ait Tacitus lib. 2. Annal. *interdum populus eſt, quem timere debemus, interdum gratioſi in ea timentur Viri, interdum ſinguli, quibus poteſtas populi, & in populum data eſt*, *Seneca epiſt. 14.*

(b) Ex defectu tituli tyrannus fuit Cronvvellus, adminiſtratione Nero, Domitianus &c.

(c) Prout fecere Cæſar Pompejus, Craſſus, Antonius, qui Triumviratum occupavere.

(d) E. g. turba Nautica.

(e) Talis Status aliquoties fuit in Anglia, & tempre Magni Interregni videtur fuiſſe in Germania.

Jam forma Regiminis alia *regularis*, alia *irregularis.* Quænam autem ſit illa regula, à qua menſurari debet *regularitas* vel *irregularitas* Civitatis tam prompte non dixeris? putamus rectitudinem Civitatis haud ſecus quam ædificii eſſe menſurandam ab ipſa illius ſtructura interna quam in tribus conſiſtere nempe in *nexu*, *fine*, & *forma Regiminis* ſupra diximus; quare haud abs re Statum Civitatis regularem illum dixero, qui vel à nexu Reipublicæ, vel ab illius fine, vel à forma Regiminis *regulari* ab hominibus in ſocietatem coeuntibus pro ſuo libitu ſecuritatis publicæ cauſa aſſumpta deflectit: *irregularem* econtra, qui in nullo à regulis ſtructuræ internæ recedit. Quænam autem ſint illæ Civitates, §. XVII. dicemus. Hic autem unice juvat agere de Civitate *Regulari* & *irregulari* ex forma Regiminis, pro quo ſit

§. XII.

TRes paulo ante adſtruximus Imperii formas, *Monarchicam*, *Ariſtocraticam*, & *Democraticam*: quas ſolas eſſe *regulares* communis eaque antiquiſſima fert opinio. Porro autem inde ſcrupulus nobis incidit haud inanis, quare hæ tres formæ ſolæ ſint *Regulares*, cæteræ autem omnes *Irregulares?* num enim ex interna Civitatum ſtructura omne Imperium debere eſſe indiviſim *Monarchicum*, *Ariſtocraticum*, aut *Democraticum* dicemus? Sed quis neſcit, eſſentias rerum eſſe indiſpenſabiles: conſtat vero, quod quamplurimæ Civitates vigeant, floreantque ſub imperio *irregulari.* Aut non fuit in arbitrio populorum Imperii fines ſecundum ſuum arbitrium conſtituere, dividere, coadunare? num forſan, quod à primæva Civitatum origine fuerint inſtitutæ? ſed nemo iſtud tam facile nobis demonſtraverit. An, quod ſint utiliores, & ad ſecuritatem publicam obtinendam magis accommodæ? ſed neque hoc tam prompte quis dixerit, imo experientiam ſibi obloquentem hic talis habebit, quum multæ Civitates longe feliciores fuerint, magisque floruerint, atque in hodiernam usque diem floreant ſub forma Imperii *Irregulari,* quam *Regulari.* Et nunquid, quænam forma Imperii ſit optima pro hac vel illa Republica quamplurimum dependere videtur à genio & ingenio, cultura, & moribus populorum? Placet nobis, quod Pufendorfius licet terminis obſcurioribus inſinuat, dum dicit: *Regularitatem autem Civitatis in hoc conſiſtere arbitramur, us omnes & ſinguli ab una velut anima videantur regi, ſeu ut ſummum Imperium indiviſum, & in-*

con-

convulſum ab una voluntate per omnes Civitatis partes, *atque negotia exerceatur.* *Exinde*, *quid ſit irregularis Civitas collectu non eſt difficile.* (a) Nos iſta diſtinctius dabimus. Conſtat ex dictis, quod ex pactis ad conſtituendam Civitatem neceſſariis reſultet *unitas voluntatum* velut anima Civitatum, eatenus, quatenus populus libere in Civitatem conſentiens ſuam voluntatem Imperanti vel Imperantibus ſubmiſit. Hæc igitur voluntas habet ſe in corpore *Politico* ad modum, quo ſe habet anima rationalis in *corpore humano* : ſive ergo hæc anima *Politica* reſideat in uno, ſive in pluribus, ſive in tota multitudine, erit anima una, haud ſecus, quam anima rationalis, ſeu illam cum hodiernis Philoſophis in medullio cerebri, ſive cum Ariſtotelicis totam in toto corpore, vel pluribus corporis partibus reſidere dixeris, dummodo ſua imperia per omnes corporis partes diſpenſet. Quod ſi ergo hæc anima ſeu unitas moralis voluntatum aut dividatur, aut tollatur, atque in participium Imperii admittantur aliæ corporis partes, ſtatus *irregularis* reſultabit, haud aliter, quam ſi in cœlo duo ponantur ſoles, ut præſint diei, aut duæ lunæ, ut præſint nocti. Itaque illas Civitates ex forma regiminis *regulares* eſſe dicimus, in quibus hæc unitas ſalva, ſarta, & tecta manet, *Irregulares* econtra, in quibus Imperium de ſe inconvulſum ac indiviſum dividitur, atque in participium Jurium *Majeſtaticorum* ſeu populus, ſeu Magnates admittuntur. Ex quo ſequitur, Civitates *vitioſas* neutiquam eſſe confundendus cum *Irregularibus*, neque dedecori eſſe Civitatibus, ſi forma Imperii *Irregulari* gubernentur, neque ſemper utilitatibus Civitatum omni meliori modo eſſe conſultum per formam Imperii *Regularem :* an enim neſcimus, quod non paucæ Civitates ſummo ſibi honori ducant, quod excuſſo jugo *Monarchico* quædam Imperii jura ſibi vindicaverint? an non ut plurimum illas Civitates, in quibus jura Imperii aut mixta, aut diviſa ſunt, vitam agere tranquilliorem, ſecuriorem, & beatiorem, atque bonorum abundare copia abundantiſſima conſpicimus? Et profecto pauciſſimæ in hanc usque diem repertæ ſunt Civitates, quæ unam ex tribus illis formis elegerunt, ſed pleræque vel omnes illas formas in unum conflarunt, vel duas ita commiſcuerunt, ut una alteram velut in officio contineret (b).

 §. XIII.

(a) Lib. 7. cap. 5. §. 2.

(b) Hujus rei teſtimonia vid. apud Heineccium lib. 2. cap. 6. §. CXVIII. ubi adducit inter alia teſtimonium Polyb. dicentis : *manifeſtum eſt*, *eam Rempublicam cenſeri debere optimam*, *quæ ex omnibus iſtis formis ſit compoſita.*

§. XIII.

SUpponamus jam triplicem illam Imperii formam *Regularem* hactenus aſſertam, quælibet earum alias & alias habet proprietates, aut, ſi dicere licet, in diverſas abit ſpecies. De *Monarchica* ſi loquamur, hæc vel eſt *ſucceſſiva*, vel *electiva*, in illa ſuccedunt decendentes in Imperio: in hac jus Imperii cum perſona extinguitur, & in aliam per viam Juris transfertur (a). *Monarchiam* ſub nomine *Regni* Ariſtoteles (b) dividit in *Heroicam*, quando Imperans unus eſt, qui tamen omnia agit conſilio Civium (c). *Barbaricam*, ubi Rex omnia agit ſuo arbitrio, & ſubditis utitur tanquam mancipiis (d). *Æſymneticam*, ubi Monarcha extra ordinem eligitur, quoties majoris momenti cauſa majorem authoritatem exigit (e). *Laconiam*, ubi Rex tempore belli jura Majeſtatis vel ſolus, vel cum Senatu exercet, tempore vero pacis non niſi vices primarii Senatoris ſuſtinet (f). Et *perfectam*, ubi omnis poteſtas eſt penes Regem, ita tamen, ut Civibus, non Mancipiis imperet (g). Pariformiter *Ariſtocratia* vel eſt *Electiva*, quando exſtinctis Senatoribus alii per electionem ſurrogantur (h). Vel *ſucceſſiva*, quando Senatores ex certis tantum familiis tanquam Magnates naſcuntur cum jure dicendi ſententiam in Senatu (i). In Democratia vel maxime opus eſt ad tollendam confuſionem diſtributione populi in certa ſyſtemata, veluti Athenis in *Tribus*, Romæ in *Curias*, & *Tribus*, & hinc aliam vocant Ariſtocratiam, vel Democratiam *Urbicam*, ubi Proceres vel Tribus in una tantum Civitate ſunt conſtituti (k). Aliam *Provincialem*, ubi Proceres ex tota Provincia, vel univerſo populo Rempublicam adminiſtrant (l).

Ad quæſtionem hic devolvimur ſane ſummi momenti, & inter DD. antiquos non modo, verum etiam noviores, & hodie vel

(a) Succeſſiva eſt in Gallia, Hiſpania, Electiva in Polonia, Suecia &c.
(b) Lib. 3. Polit.
(c) Talis Monarchia ex mente Homeri fuit apud Reges Græciæ, qui Trojam oppugnatum venerant.
(d) Tale olim fuit Regnum Perſicum, & hodie eſt Turcicum, & omnia Orientalia.
(e) Huc pertinet Dictatura Romanorum.
(f) Tales olim fuerunt Reges Spartanorum.
(g) Tale fuit Regnum Macedonicum, & hodie pleraque Europæ Regna.
(h) Uti olim Romæ.
(i) Uti hodie Venetiis, Genuæ &c.
(k) Sicut olim Athenis, & hodie Venetiis.
(l) E.g. in Belgio fœderato.

vel maxime inter Politicos ſumma animorum contentione agitatam, undenam nempe origo ſummæ Poteſtatis ſit derivanda, num Imperantes eam immediate à DEO tanquam Authore omnium Rerumpublicarum, aut potius à populo acceperint? Hodierni Politici, quum ſuis Principibus imperium illimitatum, & incircumſcriptum in omnia ſacra & prophana vindicent, & ſubditis præter ferream obediendi neceſſitatem vix umbram Juris relinquant, illam immediate à DEO (quamquam alias ad leges DEI æternas rarius confugere ſoleant) derivare conſueverunt, docentes, quod poteſtas Imperii im̃ediate à DEO in Principes fuerit translata. Hujus opinionis eſſe ferme omnes DD. Catholici videri poſſent, qui unanimi calculo originem ſummæ Poteſtatis à DEO deſcendere aſſerunt, de quibus videri meretur Magnif. P. Schmier in ſua Jurisp. Publ. Univ. (a) ubi ingentem Doctorum cohortem allegat. Porro autem, ſi mentem horum Authorem intimius perſcrutemur, tantum abeſt, ut principiis Pſeudo-Politicorum aſſurgant, ut potius ab iis quam longiſſime recedant. Conſulatur deſuper cit. Author, ubi diſtinguit inter originem, & actualem collationem Poteſtatis ſummæ, illam immediate à DEO deſcendere, hanc immediate fuiſſe factam populo, & ab hoc ulterius in Imperatores fuiſſe translatam validiſſimis probat argumentis. Atque hæc eſt veriſſima ſententia omnium Catholicorum: quum enim DEUS ſit primarius Author rerum omnium, Rerumpublicaram, Civitatuum, & Statuum omnium ac ſingulorum: eo ipſo Poteſtatis Imperatoriæ authorem, & veluti fontem Originarium illum revereri neceſſe eſt: atque huc pertinent innumeri textus, quos Authores ex S. Scripturis agglomerare ſolent (b). Sed ut omnis æquivocationis ambiguitas evitetur, jam ulterius inquirendum eſt, in quo ſenſu DEUS ſit Author Poteſtatis ſummæ?

Age, tentemus vadum, & quid nobis videatur, libere edicamus. Omnia eſſe à DEO tanquam fonte originario nemo niſi Atheus negaverit: ſed non omnia æquali modo ab hoc fonte derivari quis neſcit? quædam im̃ediate, quædam non niſi mediate à Deo procedunt, quædam à DEO jubentur, quædam prohibentur, quædam approbantur, quædam permittuntur, in quibusdam DEUS agit Generali,

(a) Lib. 2. cap. 1. Sect. 3. §. 1.

(b) Huc pertinent textus ſequentes: *per me Reges regnant, & principes imperant.* Prov. 8. v. 15. & 16. *Data eſt vobis poteſtas à Domino, & virtus ab Altiſſimo.* Sap. 6. v. 4. *Non eſt poteſtas niſi à DEO, quæ autem ſunt, à DEO ordinata ſunt, itaque qui reſiſtit poteſtati, DEI ordinationi reſiſtit.* Rom. 13. v. 1.

rali, in quibusdam Providentia ſpeciali. Aliter ſi dicamus, eadem erit omnium rerum origo, nihil libero arbitrio, nihil induſtriæ, nihil poteſtati hominum erit attribuendum, ceſſabit diſcrimen inter virtutes infuſas & acquiſitas, inter leges naturales, divinas & humanas, eadem erit vocatio & illorum, quos DEUS ſingulari vocatione ad Miniſteria & Gubernia Reipublicæ ſeu ſacræ ſeu prophanæ vocavit, & aliorum, quorum liberrimam aſſumptionem ſubmiſit libero hominum arbitrio, quin etiam illorum, qui per fraudes, & crimina peſſima ſibi viam ad Imperium ſtraverunt, ſibique homines rapinis, furtis, ac violentiis ſubjugarunt. Quæſo quæ hæc rerum monſtra! Jam qua ratione ſumma poteſtas ſit à DEO videamus. Juvabit pro hac quæſtione dilucidanda iterum ante oculos ponere *Originem* & *Structuram* Civitatis, ad quam conſtituendam ex dictis requiruntur varia pacta, finis, & forma Imperii. Originem ſi ſpectemus, illa aut fuit *vitioſa & injuſta*, & hoc ipſo à DEO niſi permittente eſſe nequivit, aut *recta*, & DEUS illam coadunationem hominum ad ſummum approbavit, neutiquam vero juſſit, præcepit, mandavit.(a) Pacta ſi conſideres, ea utique liberrime ex una, ex altera vero parte DEO neutiquam imperante, ſed ſuadente, conſulente, & approbante fuerunt inita? Ipſum vero finem, quem ſibi homines in conſtituendis Civitatibus præfixerunt, à DEO eſſe approbatum, quis negaverit? quoniam vero ſine imperio finis Civitatum obtineri non poſſet, Dominus DEUS hoc ipſo quaſi particulam ſuæ ſupremæ poteſtatis in Imperantes derivare debuit, non quidem, quod ipſe illam immediate transtulerit, fines Imperii determinaverit, formam regiminis præſcripſerit, ſed relinquendo id arbitrio hominum, ut eam, in quem vel in quos vellent, liberrime, & quibus vellent conditionibus, & limitationibus, transferre, reſtringere, aut ampliare poſſent. Aliter ſi dicamus eadem erit vocatio ad ſceptra imperii Davidis, & impiiſſimi Neronis, Pharaonis, ac Moyſis, Regis legitimi, ac tyranni. In hoc ergo ſenſu *Civitas* & ex conſequenti poteſtas imperii eſt à DEO, quod ſupremus hic Naturæ Author hominibus facultatem præbuerit ſeſe in ſocietatem coadunandi, imo ut in ſocietates coirent, ſuaſerit, conſuluerit, finem ab ipſis intentum approbaverit, pro conſtituenda Civitate particulam ſuæ ſupremæ poteſtatis communicaverit, illamque ab ipſo populo in ſuos Imperantes, prout ipſis viſum fuerit, & ſecuritas Reipublicæ exegerit, transfundi; aut ſi qui eſ-

(a) Vid. dicta de Origine Civitatum.

eſſent homines, qui illam violenter occupare tentarent, hujuſcemodi temerarios auſus, & uſurpationes potius permittere, quam approbare voluerit. Atque hæc nobis omnino videntur eſſe certa.

Supereſt, ut hæc firmioribus ſtabiliamus argumentis, atque id ſingulariter demonſtremus, quod ſumma Poteſtas non immediate à DEO, ſed mediante populo in Principes translata fuerit. Et quidem 1.mo: iterum ad Originem Civitatum retroſpiciendum erit: aut enim loquimur de Civitatibus *liberis*, vel *coactis*? in poſterioribus ipſa ambitio ſibi arrogavit imperium, formam imperii conſtituit, finesque exercendæ poteſtatis ſibi deſignavit. In prioribus aut juſtus metus, aut amor vitæ beatæ, ac tranquillæ Patribusfamilias, ut in Civitatem coirent, ſibique ipſis Imperantes quosdam ſuper capita ſua imponerent, aut perſuaſit, aut omnino neceſſitatem fecit. Perſcrutemur 2.do prima incunabula ferme omnium Rerumpublicarum, an non ab initio ferme omnes Respublicæ moribus potius, & conſuetudinibus à ſe ipſis liberrime introductis regebantur, nunquid ferme omniũ Rerumpublicarum ſtatus primordialiter erat *Democraticus?* à Statu *Democratico* ad *Ariſtocraticum* perventũ fuit, quando ad regendum populum ſuffragio vel expreſſo, vel tacito imperium ad Optimos ſeu Magnates fuit translatum. A Statu flemum *Ariſtocratico* ventum ad Statum *Monarchicum*, dum populo ad evitandam confuſionem, exterminandam ambitionem, invidiamque que propulſandam ex optimis *optimum*, uti credebat, eligere, illiusque imperio juxta fines eidem præſtitutos ſuas voluntates ſubmitterere placuit. Præcipuas Græciæ Respublicas Athenienſium & Lacedæmoniorum intueamur, nunquid ambæ primordialiter fuere *Democraticæ*, & ſucceſſu temporis factæ ſunt vel *Ariſtocraticæ*, vel *mixtæ?* Statum Reipublicæ Romanæ præcipue ad accuratiorem trutinam vocemus, atque hic quantas varietates & viciſſitudines imperii juxta liberrimum populi arbitrium ſubiit? ſtabat primo ſub Regibus ſine legibus. (a) Poſtea Romulus ferebat leges per *Curiarum ſententias*. Ejectis Regibus iterum incerto jure regebatur populus. Deferebatur ſumma Imperii duobus Conſulibus, ita tamen ut provocatio fieret ad populum. quo rerum ſtatu rogabant Conſules, definiebat populus. Paulo poſt è Græcia adducere libuit *Leges XII. Tabularum*. Sed nec hoc modo conſultum ſibi eſſe credebat populus, & facta ſeceſſione ipſa ſibi aſſumpſit regulas, quæ vocabantur *Plebiſcita*. Jam faſces Imperii conſignabantur Senatui, à quo emanarunt *Senatus-Conſulta*. Demum ſumma rerum devoluta ad unum,

Ju-

(a) L. 2. ff. de O. J.

Julius Cæſar primitus per vim Principatum uſurpavit, quo devicto ſubintravit Auguſtus, qui prudenti Oeconomia utendum ratus quasdam antiquæ poteſtatis reliquias penes Senatum reliquit, usque dum Imperatores cæteri excluſo populo ſummam Imperii ſibi ſolis vindicaverint. Anne hæc omnia dirigente, jubente, ac præcipiente Numine facta eſſe exiſtimamus: num DEUM ipſum tot Imperii viciſſitudines introduxiſſe credimus, num ipſe poteſtatem Imperii nunc in Reges, nunc in Tribunosplebis, Conſules, Senatum, Trium-Viros, ac demum Imperatores trantulit, poteſtatem Imperii nunc reſtrinxit, paulo poſt ampliavit, aut omnino mutavit? nunquid in his omnibus rerum viciſſitudinibus, quidquid erat poteſtatis, ac Imperii, totum quantum à populo in Imperantes profluxiſſe videmus? Juriſconſultum audiamus: *Quidquid Principi placet, legis habet vigorem, quum lege regia, quæ de ejus imperio lata eſt, populus ei & in eum omne imperium ſuum, & poteſtatem concedat.* (a) De noſtris Germanis quid dicamus? Moribus populi potius quam legibus ſcriptis illos fuiſſe gubernatos teſtis omni exceptione major eſt Tacitus. (b) Tota illorum Reſpublica licentia militari fuit vel conflata, vel diſcerpta. Ille imperio & poteſtate eminebat, qui majori alios invadendi libertate utebatur, ita tamen ut Imperantium poteſtas moribus populi fuerit circumſcripta, & vel maxime ex Satraparum ac militum verſatili judicio limites nunc arctiores, nunc ampliores receperit. Eminebant cæteris Reges Francici: verum his etiam ſuum imperium accomodare Statuum, ac Procerum arbitrio neceſſe fuit. In tantum vero ſucceſſive excrevit Magnatū poteſtas, ut *Majores Domus* re ipſa Reges eſſent, ipſi autem Reges ſolum nomen regium retinerent, usque dum Dynaſtia Carolingica Imperii faſtigium altius extulerit. Hac exſtincta Germania priſtinam libertatem ſibi vindicavit, Imperatores ſibi ſuffragiis populi libere elegit, atque faſces Imperii in ipſos tranſtulit, ita tamen, ut Duces & Principes notabiliſſimam illius partem ſibi vindicaverint, eamque ſibi hæreditariam fecerint, usque dum Imperatoria poteſtas ad anguſtias, quibus hodie circumſcribitur, coarctata fuerit. Nunquid & cætera Germaniæ Regna, Poloniam, Angliam, Sueciam ſimiles Imperii viciſſitudines ſubjiſſe legimus? Inde ſequitur 3.tio ineptiſſime prorſus potius argutari, quam argumentari illos, qui poteſtatem Imperii, quam pro ſuo libitu à populo datam, reſtrictam, arbitrariis conditionibus circumſcriptam, & modo in unum, modo in plures transfuſam legimus, ab ipſo DEO immediate deſcen-

(a) L. I. ff. de Conſtit. Princ. (b) Lib. 3. Annal. cap. 26.

ſcendere aſſerunt : num enim *homo ſeparet*, *quod DEUS conjunxit?* aut fortaſſis dicere audebunt, penes populum aliam poteſtatem non reſidere, niſi deſignare perſonas, inquas DEUS ſummam Imperii transferri voluit ? Sed O Boni Superi ! quæ non exinde rerum monſtra ſequi neceſſum eſt ? nunquid hoc eſt tollere omnia pacta, quibus Societas civilis continetur, & leges omnes fundamentales plane proſternere, quo ipſo non poteſt non immenſa & nullis limitibus circumſcripta poteſtas adſcribi Imperantibus ? nunquid hoc idem eſt, ac inani imaginatione ſe ipſum deludere, quaſi vero *Majeſtas* ad inſtar olei quaſi cœlitus effundatur in perſonam à populo deſignatam, quod, qua ratione fiat, aut fieri poſſit, nemo ſibi facilè imaginari poterit ? quale in hac opinione erit diſcrimen inter injuſtos invaſores, tyrannos, & rebelles faſces Imperii impio auſu uſurpantes, & illos, quos vel populus ſibi elegit, vel DEUS ipſe ſingulari vocatione ad culmen imperii vocavit, aut ſingulari Providentia deſignavit? Porro autem ex his quid ulterius ſequi neceſſum eſt, niſi quod prudens dubitandi ratio illabi ſubditorum mentibus valeat, an DEUS homini injuſto, invaſori, raptori, qui per fraudes, & facinora peſſima ſibi viam ſtravit ad imperium, Majeſtatem conferre voluerit, quo ipſo fieri poteſt, ut populus anſam arripiat fovendi rebelliones, elidendi leges, contradicendi Imperantibus, denegandi obedientiam, & omnia ſusque deque vertendi, hoc ipſo, quod ſibi perſuaſum habeat, eidem ſuam poteſtatem immediate à DEO non fuiſſe collatam. 3.tio Hodiernos populi mores circumſpiciamus, an non Imperantium poteſtatem hinc inde vel pactis, conditionibus, & capitulationibus ad certos fines reſtringi, vel Comitiis, Senatui, Parlamentis alligari videmus ? Ex quibus omnibus facile colligitur, quo in ſenſu ſumma poteſtas à DEO ſit, & à DEO eſſe Scriptura dicat. Perſuaſit nempe lumen naturale hominibus ab ipſo authore naturæ inditum, ut pro vita tranquille & beate agenda in Societatem coirent & certam imperandi, parendique normam ſibi præſtituerent. profluxit hæc conſtitutio ex interno dictamine non præcipiente. ſed permittente, & ſuadente, ipſo ſupremo Numine grande hoc opus, quod meditabatur populus, approbante. Quoniam vero ſine imperio multitudo in antiquum chaos relapſura videbatur, aliorum imperantium judicio ac imperio ſe ſe ſubmittere neceſſum erat. Approbavit id ipſum Supremus rerum Dominus, atque particulam ſupremæ poteſtatis veluti communicavit populo, ut

 eam

eam pro indigentia, & neceſſitate, & utilitate Societatis in Imperantes transfunderet, reſtringeret, ampliaret &c. ex quo conſequitur, quod poteſtas imperii à DEO ſit haud ſecus, quam facultates quæcunque aliæ tanquam à fonte univerſali bonorum omnium, ipſa tamen, quod nunc uni, nunc pluribus, nunc toti multitudini ſit communicata, & nunc tanta ſit, nec major, nec minor ab hominum voluntate tanquam à *cauſa collativa* habet, quippe qui Rempublicam conformiter pactis inter ſe, & ſuos Imperantes nunc libere, nunc coacte pro diverſitate circumſtantiarum, rerum, ac temporum initis conſtituerunt. Quapropter, uti non nemo diſcurrit, principem eſſe, & tantum eſſe, quantus eſt, non à DEO eſt, ſed à Republica, licet ſecundum ſe poteſtas à DEO ſit: quam in rem pulcherrimè loquitur S. Chryſoſtomus dicens: *Non eſt poteſtas, niſi à DEO. Quid dicis: ergo omnis Princeps à DEO conſtitutus eſt? iſtud non dico. Non enim de quovis Principe mihi ſermo eſt, ſed de re ipſa, ſeu de ſua poteſtate* (a). Hæc ideo fuſius & majori cum energia dicta & ſcrivolumus, ut videant Politici, quam male conſulant bono publico, ſubditis, & imperantibus, dum in excolenda, & inculcanda ſuprema Majeſtate illimitata & incircumſcripta tantopere deſudant, & ad hunc ſuum finem conſequendum Deſpotismum ſtabiliendum, ſervitutem ferream introducendam illam ab ipſo DEO, cujus poteſtati nemo reſiſtere poteſt, derivare conſueverunt, longe melius certe conſulturi, ſi poteſtatem Principum ex conſenſu populorum, recto uſu bonorum Principum, & legibus Divinis, ac Eccleſiaſticis dimetirentur.

§. XIV.

PAucis jam de triplici forma Regiminis *Monarchica*, *Ariſtocratica*, & *Democratica* videamus: quantum ad *Monarchiam*, nomen iſtud derivatur à Græco vocabulo *μονος*, id eſt unus, & paſſim dicitur *Regnum*, *Imperium*, *Principatus*. Deſcribitur, *quod ſit Civitas, ſeu Societas, & Communitas perfecta, in qua ſumma Poteſtas penes unum reſidet.* Ex hac deſcriptione tum eſſentia, tum eſſentiale diſcrimen Status *Monarchici* à *Democratico* & *Ariſtocratico* per ſe patet, atque inde eruitur, quod licet non nunquam duo vel tres habuiſſe imperium legantur, neutiquam credendum ſit, quod Monarchia in *Dyarchiam*, & *Triarchiam* veluti formas plane monſtroſas & abominandas tranſierit, ſed unum fuiſſe Monarcham atque radicaliter ſummam Pote-

(a) Hom. 23. in epiſt. ad Rom.

teſtatis reſediſſe penes illum, qui primus ad imperium pervenit, aut ſi duo regnum eodem modo acquiſiviſſe, & exercuiſſe deprehenſi ſunt, hi duo vel plures ſceptrum regiminis pro indiviſo habuiſſe dicendi ſint (a). Modus acquirendi Imperium *Monarchicum* diverſus eſt: aut enim loquimur de Imperio per *vim injuſtam*, vel *juſtam* occupato: in priori caſu occupatio violenta ex ſupervenienti conſenſu quaſi extorto populi inter duo mala minus malum eligentis fuit modus acquirendi Imperium. Porro autem quomodo ex tali occupatione per conſenſum populi metu graviſſimo majoris mali evitandi cauſa extortum ſtabilita invaſoribus Jus imperii acquiratur, ipſisque ſubditis obligatio inevitabilis obtemperandi, atque jugum ſubjectionis coacte aſſumptum portandi naſcatur, quin vel Imperantem ſuo regno exuere, caſu, quo juſtum poſſeſſorem per vim & violentiam ſuo jure poſſeſſionis, ac proprietatis ſpoliavit, vel antiquam imperii formam poſtliminio introducere poſſint, caſu, quo talis invaſor aliam Imperii formam ſubditis obtruſit, & fortaſſis Democratiam, vel Ariſtocratiam in Monarchiam mutavit, tunc potiſſimum, quando opportuniſſa occaſio jura antiqua vindicandi ſe offert, hic Rhodus, hic ſaltus eſt. Quæſtio hæc quam ſæpiſſime occurrit in Jure tam privato, quam publico, & illius deciſio exinde dependere videtur, utrum pacta eaque tam privata quam publica gravi eoque injuſto metu extorta Jure naturæ valeant? quidquid de pactis privatorum ſit, quæ Jure naturæ eſſe invalida hactenus, ſemper nobis perſuaſum habuimus, longe aliud dicendum erit de pactis publicis metu etiam injuſto extortis, qualia ſunt fœdera inter gentes, & regna, inter Principes & ſubditos e. g. variæ Paces, ſpecialiter Pax Weſtphalica, quæ ſaltem ex principiis Catholicis metu injuſte illato fuiſſe extorta dici ſolet: talia enim pacta publica, maxime pactâ *Pacis*, ſi invalida dicamus, atque uni parti vim injuſtam ſibi illatam conquerenti oblata occaſione jus vindicandi poſſeſſiones ſuas aſſeramus, quis erit finis bellorum? nonne ipſa pax erit incentivum novi belli? qua ratione erit conſultum parti victæ, qua cum victor nullum faciet pactum, nullam inibit pacem, hoc ipſo, quod ſciat, paciſcentem adeo periculoſis agitari principiis, ut tamdiu ſibi ſtandum eſſe paci exiſtimet, quamdiu ſalus Reipublicæ & intereſſe proprium id exigit, atque adeo mutatis rerum circumſtantiis à pace recedere, & veluti fœdifragus fieri valeat, quandocunque oc-

 ca-

(a) Vid. Magnif. P. Schmier lib. 1. cap. 3. Sect. 1. §. 1.

caſio poſſeſſiones ſibi ablatas vindicandi occaſio ſe præbuerit. Ex hoc Capite DD. etiam Catholici (a). Valorem Pacis Weſtphalicæ pro aris & focis defendunt. Verum non vacat huic quæſtioni longius inſudare, quam alibi fuſius examinabimus. Interea deſuper vid. Hugo Grotius. (b)

Si vero loquamur de modis acquirendi juſtis, tres potiſſimum occurrunt, *Occupatio* juſta, *Electio*, & *Succeſſio*. Quantum ad *Occupationem juſtam* hæc toto cœlo differt ab *Occupatione* illa, quæ obtinet in rebus, quæ ſunt nullius. Hæc fit ſine vi & violentia, habet locum in rebus, uti mox dictum, nullius, fit ſine præcedente titulo, niſi illam ipſam facultatem ab authore naturæ nobis inditam hujusmodi res mediante occupatione acquirendi *titulum* vocare placuerit, quum econtra *occupatio Imperiorum* fiat per vim, obtineat in rebus, quæ ſunt alicujus, ſupponat titulum, & conſenſum illorum, qui imperio occupantis ſubjiciuntur. Quantum ad *Electionem*, hæc obtinet in regnis *Electivis*, quæ vel ſunt *ſimpliciter* vel *ſecundum quid* talia: priora habentur, ubi vacante regno poteſtas eſt penes populum, vel Magnates, vel quoscunque jus eligendi habentes, legitimis ſuffragiis deſignandi perſonam, atque in eam imperium una cum juribus eidem annexis transferendi, dummodo ſit perſona habilis, & ipſa electio fiat ſecundum normam imperii conſtituram, vel præſcriptam. Poſteriora habentur, quando ex certa ſtirpe vel familia perſona idonea aſſumi debet. *Electionem* ordinarie præcedit *Interregnum*, ſeu ſtatus Reipublicæ ſummo Imperante deſtitutus, quo tempore novi Magiſtratus vel ſuffragiis populi conſtituendi, vel lege publica antea jam deſignati (c). ſceptra imperii gerunt. Diſputat Pufendorfius, utrum tempore *Interregni* adhuc ſuperſit Reſpublica? & reſolvit non eſſe Rempublicam perfectam, ſed imperfectam, eo quod careat legitimo Imperante (d). Porro autem quid prohibet dicere veram eſſe Rempublicam, quum habeat Imperantem non quidem ordinarium, ſed extraordinarium, ne Reſpublica transmutetur in *Anarchiam?* quantum ad *Succeſſionem* hæc locum habet in *regnis ſucceſſivis*, in quibus decreto populi electa eſt familia quædam regnatrix, ut ſemper aliqua perſona ex illa imperio præſit, quamdiu ex poſteris aliqua per leges publicas præ-
eſſe

(a) Illuſt. D. Barthel in Diſſert. de Pacificat. Imper.

(b) Lib. 3. cap. 25. §. 7.

(c) e. g. in Germania mortuo Imperatore ſunt Varii Imperii, in Polonia Magnates, in Capitulis Cathedralibus Capitula &c.

(d) Lib. 7. cap. 7. §. 7. & ſeq.

eſſe poteſt, quibus omnino ſtandum erit (a) Quum res ſit notiſſima, quod ſucceſſio ſit duplex, *Teſtamentaria*, & *ab Inteſtato*, quærunt DD. an utraque in Regnis *ſucceſſivis* locum habeat? & communius diſtinguunt inter Imperia ſeu Regna *Patrimonialia*: & *uſufructuaria*, vel, ut alii vocant, *fideicommiſſaria*. Prioris generis illa eſſe dicunt, de quibus Imperans tam inter vivos, quam mortis cauſa libere diſponere poteſt, poſterioris generis vocant illa, in quibus facultas alienandi Imperantibus adempta, ac ſola ſucceſſio ab inteſtato ſubintrat. In prioribus quamcunque ſucceſſionem, in his ſolam ſucceſſionem ab *inteſtato* admittunt. Verum an hæc diſtinctio à Grotio (b) adinventa ſat firmo nitatur fundamento, nondum deciſum legitur. Profecto Heineccius graviſſimis rationibus illam impugnat, quia, ut ait, tali modo Regnum ceſſabit eſſe Reſpublica, & degenerabit in familiam, ſi in unius ſit patrimonio. Dein in tali Regno ceſſabit finis Reipublicæ, qui utique eſt ſecuritas publica, non privata, aut bonum proprium. Nolumus nos facere hanc litem noſtram. Nobis ſufficiat inſinuaſſe, quod hactenus in Regnis non paucis ſucceſſio *teſtamentaria* locum invenerit. (c) Ad exempla, magno numero afferri ſolita reſpondet Heineccius, quod non exemplis, ſed rectæ rationis principiis veritas rei probanda ſit, adeoque ſimilia exempla parum curanda.

Jam de prærogativis, & incommodis Status Monarchici pauciſſimis agendum eſt: Inter prærogativas numerant communiter *Antiquitatem*, *Præſtantiam*, *Convenientiam*, *Utilitatem*, & *Diuturnitatem*. Porro autem quum nondum inter DD. conveniat, quisnam Status ſit antiquior, præſtantior, vel utilior, quum plures quoad antiquitatem primas deferant Statui Democratico, quorum opinioni etiam nos accedimus, quoad præſtantiam vero Ariſtocratico, utilitas vero menſuranda ſit ex variis circumſtantiis, genio, ingenio, & moribus populi, merito ab earum longiori diſquiſitione abſtinemus. Vid. deſuper Magnif. P. Schmier. (d) Quantum ad incommoda noſtro potiſſimum ævo Status *Monarchicus* propter principia peſſima, quibus ducuntur Politici, & doctrinas periculoſiſſimas, queis non

(a) Sic in multis regnis ſucceſſio reſtricta eſt unice ad maſculos excluſis fœminis, in quibusdam ad ſolos deſcendentes, item hæc ſucceſſio communius pertinet ad Primogenitum, ubi nempe Jus Primogenituræ eſt introductum.

(b) De Jure Bel. & Pac. lib. 2. cap. 3.

(c) Vid. Heinec. in Prælect. ad Pufend. lib. 2. cap. 10. aliude nota eſt controverſia labente hoc ævo inter Auſtriacos & Burbonicos agitatata, & nonniſi longiſſimo bello terminata, ſitne Regnum Hiſpanicum Patrimoniale, vel Uſufructuarium.

(d) Lib. 1. cap. 3. Sect. 1. §. 2.

non pauci magni nominis Doctores neſcio quo animi affectu in transverſum acti orbi impoſuerunt univerſo. (a) Id præprimis in Statu Monarchico pertimeſcendum eſt, ne *Monarchia* degeneret in *Tyrannidem* vel *Deſpotiſmum*, ſi vel principia *Hobbeſiana* vel *Machiavellica*, vel dogmata *Monarchomachorum* adoptentur. Quænam autem horum ſint principia aliunde nota ſupponimus.

§. XV.

ALtera forma Imperii *regularis* eſt *Ariſtocratia*, quæ deſcribitur, quod ſit *Civitas ſeu Societas perfecta, in qua ſumma Imperii reſidet penes Collegium Magnatum.* Itaque fallit, & fallitur Hornius, dum Poteſtatem ſummam e Civitatibus *Ariſtocraticis* eliminat: quid enim prohibet quo minus Majeſtas poſſit reſidere in pluribus, non quidem ut pluribus, ſed unicam velut perſonam repræſentantibus, eo modo quo voluntates omnium Sociorum, & Civium in conſtituenda Civitate per modum unius voluntatis nexu indiſſolubili conjunctæ concipiuntur. (b) Quantus vero debeat eſſe numerus Imperantium jure definitum non legitur, ſicque varius, & nunc major, nunc minor eſt pro diverſitate Civitatum. (c) Itaque Magnates Jura Majeſtatis exercent, & quoniam unanimis ſingulorum conſenſus tum ob innatam hominibus contradicendi libidinem, tum, quod non omnes iisdem regantur principiis, & ducantur rationibus, in decernendis rebus majoritas votorum obtinebit: in pari vero ſententiarum numero nihil actum videtur, niſi vel is, qui præſidet Collegio, alterutri parti pondus addat (d), vel talis ſit cauſa, ubi *Calculus Minervæ* obtinet. (e) Modi acquirendi Imperii tres dantur in Ariſtocratia, *occupatio*, *electio*, & *ſucceſſio*. Occupatio obtinet in illis Civitatibus, in quibus Magnates Jus Imperii per vim quæſiverunt. Electio habet locum, quando in locum deficientium alii ex emi-

(a) Tales fuere Hobbeſius, Machiavellus, & non pauci ex hodiernis: quorum nomina recenſere non licet.

(b) Hornium egregie refutat Magnif. P. Schmier lib. 1. cap. 3. ſect. 2. §. 1.

(c) Hinc inde decem, triginta, vel quadraginta plures val pauciores ſufficiunt, alicubi centum, vel mille vel plures ſunt uti apud Venetos & Friſios, quin imo in Polonia ubi Imperium eſt penes Nobiles, numerus Magnatum ad 50000. excreſcit.

(d) Ne ergo ſit mera confuſio rerum, quamoptime moribus receptum eſt in quibusdam Rebuspublicis, ut quis ſit Præſidens, qui in pari votorum numero ſententiam dicat: tale quid contigiſſe in Hollandia ultimis belli temporibus, quis neſcit?

(e) *Calculus Minervæ* dicitur, quando in pari condemnantium & abſolventium numero reus à pœna criminis liberatur. Cur autem dicatur obtinere *Calculus Minervæ*, vid. in Poetis.

eminentioribus Civitatis per ſuffragia vel populi, vel illorum, quibus jus eligendi competit, ſubrogantur. (a) Neque quis putet, Ariſtocratiam degenerare in *Democratiam*, ſi omnes generis & ordinis homines nemine excluſo ſubrogari poſſunt, quum utique *Ariſtocratia & Democratia* non ex diverſitate hominum cujuscunque Ordinis ſed ex ipſo Collegio jus dicentium menſurari debeat, atque adeo Status *Ariſtocraticus* habeatur, ubi ſumma Imperii penes Magnates reſidet. Tertius modus eſt *ſucceſſio*, & viget in illis Civitatibus, in quibus dignitas Optimatum eſt *hæreditaria*, & Optimates non niſi ex certis familiis aſſumuntur, id quod apud *Polonos*, & *Venetos* obtinere ſcimus. De commodis, & incommodis Status *Ariſtocratici* vid. cit. Magnif. loc. cit.

§. XVI.

TErtia Imperii forma *regularis* eſt *Democratia*, quæ deſcribitur, quod ſit *Communitas perfecta, in qua ſumma Poteſtas toti competit populo.* Status hic proxime accedit ad Statum naturalem, non quod ante *Monarchiam* ab hominibus à ſtatu naturæ digreſſis fuerit introductus, id quod plures Hiſtorici negant, ſed quia in eo minus à libertate & æqualitate receditur, quam in cæteris Statibus. Forma hujus Status eſt fædus omnium cum omnibus, cujus ſumma in hoc conſiſtit, *ut quæ conſenſu majoris partis ſtatuuntur, ea cæteros obligent*: Eſt autem plurium ſuffragiorum prærogativa multo magis in hoc, quam in Statu *Ariſtocratico* neceſſaria, quod alioquin publicis conſiliis nullus dari poſſet exitus. Sed neque ſic conſultum eſt omni confuſioni, quæ ex multitudine populi ad comitia vocandi facili negotio oriri poteſt, quare, uti jam ſupra animadvertimus, moribus populorum receptum erat, ut populus in certa ſyſtemata divideretur, atque ſuffragia daret vel *curiata* vel *virilia*, idque in hodiernam usque diem obſervari ſcimus (b). Huberus (c) Democratiam dividit in *laxam*, & *reſtrictam*: *laxam* vocat, in qua omnis populus ad concionem vocatur, atque jura Majeſtatica per ſuffragia majora exercet, uti Athenis in Eccleſiis, Romæ in Comitiis. *Reſtrictam* dicit illam, quæ ad inſtar navis in mari vaſto fluctuantis duobus quaſi anchoris, id eſt per *Senatum* & *Magiſtratum* tenetur, firmaturque: quum enim ex una quotidie innumera occurrunt negotia, quæ remoram non patiun-

(a) In Belgio eligunt Optimates, in Friſia populus.

(b) Curiata obtinuere apud Romanos, Virilia apud Athenienſes.

(c) Lib. 1, Sect. 8. cap. 6. N. 11.

tiuntur, ex altera parte impoſſibile ſit populum quotidie ad Concionem vocare, neceſſarium omnino eſt, ut cauſæ quotidie occurrentes minoris momenti per Senatum & Magiſtratum expediantur (a). Quoad numerum ſuffragiorum id ſingulariter animadvertendum eſt, quod civium ſuffragia ſine diſcrimine perſonarum frequentius fuerint numerata (b), habuere tamen Romani occultas artes, quibus efficiebant, ut aliquoties vilior pars ne quidem fuerit interrogata, aliquoties pars minor populi majora ſuffragia faceret (c). Neque quis ſibi falſo imaginetur, in Statu *Democratico* exulare Civitatem præcipue in ſubordinatione imperantium & obedientium fundatam, quum nemo civium ſit ſuperior, nemo inferior, & omnes ſint æquales, & æqualibus fruantur juribus: non enim cives in particulari, ſed totus populus faſces imperii adminiſtrat: omnes & ſinguli ſubjacent legibus à toto populo latis, pars minor cedere debet majori, & illius ſuffragiis. Modum acquirendi Imperium putat Pufendorfius, eſſe unicum & uniformem, ſive dein populus mox ab initio Imperium Democraticum conſtituerit, ſive lapſu temporis expulſis Regibus, & Optimatibus imperium per ſeditiones ſibi vindicaverit: nunquam enim dici poterit, quod populus in ſe ipſum aliquod Imperium per violentiam acquiſiverit, quum in hoc Statu omnes ſint & imperantes, & obtemperantes. Emolumenta, & Detrimenta iterum vid. in cit. Magnif. Sect. 3. §. 2. & 3.

§. XVII.

TAndem delabimur ad *Civitates Irregulares.* memoria recolantur, quæ ſupra diximus, videlicet dari Societates *Irregulares* ex triplici defectu *finis*, *nexus*, & *formæ*. Ex defectu *finis* ſunt *Irregulares* illæ, quæ præter ſecuritatem & felicitatem publicam alium ſibi finem præfixum habent, quorſum pertinent 1.mo Civitates *beriles*, in quibus Imperantes ſua principaliter intendunt commoda, populi vero utilitatem non niſi per accidens curant, haud ſecus quam Paterfamilias in ſtatu familiæ, qui utilitatem ſervi ex accidenti quærit. Tales Societates ſunt illæ, in quibus ſubditi inſtar mancipiorum Glebæ addictorum ſe, ſuaque obſequia & ſervitia ferme unice in commodum Imperantis impendere debent. Hujus generis eſſe ple-

(a) Senatus decreta & populi, & ea, quæ ferme quotidie occurrebant, expediebat. Magiſtratus erat quaſi adminiſtrator, qui quotidie occurrentium curam gerebat.

(b) Et quidem recte Hubero apud Romanos in tabellis, apud Athenienſes in Oſtracis.

(c) De quibus vid. cit. Huberus loc. cit. N. 52. & 53.

pleraſque Aſiæ & Africæ Civitates perhibet Hertius apud laud. Magnif. (a). 2.do Civitates ***Patrimoniales***, quarum ſupra meminimus. Utrum Civitas ***patrimonialis*** revera ſit irregularis ***ex fine***, aſſerere non audemus: eſto enim Imperantibus ſit libera facultas alienandi, & tam inter vivos, quam mortis cauſa diſponendi, adhucdum primaria ipſorum cauſa ad ***ſecuritatem publicam*** tanquam finem primarium Civitatis cujuscunque collimare debet: nam quærimus, an talis Civitas ex conſenſu Civium vel ***tacito*** vel ***præſumpto*** (quidni dicere liceat extorto?) facta ſit ***patrimonialis***, vel an Imperantes ſeu arte ſeu Marte illam fecerint ***patrimonialem?*** quidquid dicamus, nec ipſi Cives primariam obligationem procurandi ſecuritatem publicam ſuis Imperantibus remittere voluerunt, nec ipſi Imperantes ab ea ſe eximere potuerunt. ***Irregulares*** denique ***ex fine*** ſunt Civitates omnes, quæ ſecuritatem publicam inter ultimas curas ponunt, finem primarium non niſi in dilatandis finibuſ, coacervandis opibus collocant, & quidquid habent facultatum & virium in alendos milites, illorumque numerum velut in immenſum augendum collocant, & tempore pacis non tantum bellum cogitant, id quod prudentiſſimorum eſt, verum etiam effective bellum gerere videntur, atque adeo in medio Statu Civitatis & ſecuritatis ***Statum belli*** fovent, & nutriunt, eo quod ſubditi æque tempore pacis ac belli exceſſivis exactionibus, & tributis ita graventur, ac quaſi emungantur, ac ſi Hannibal foret ante Portas, ut hoſtis ipſe, ſi agros fundosque depopularetur, vix majorem edere ſtragem poſſe videatur. Hæc & his ſimilia ſi quis ad ſtateram ſanæ mentis expendat, dubitare incipiet, an aliqua, & quænam hodiernis temporibus ſit illa Civitas, quæ ***regularis ex ſuo fine*** dici meretur? ***procul certe, & de ultimis finibus pretium ejus.*** Ne tamen omnibus & ſingulis Civitatibus detrahere videamur, præſtat diſtinguere inter ***hodiernas*** Civitates, haud ſecus, quam inter Civitates ***antiquas*** & ***primævas***: quemadmodum enim à tempore originis Civitatum fuere homines bellicoſi, libidine regnandi, ſuosque fines dilatandi ſtudio agitati, qui dum rapinis, furtis, violentiis alienos fines invaſerunt, bonis Patribusfamilias neceſſitatem fecerunt juſtæ defenſionis cauſa coeundi in Civitates, ita etiam dantur hodie, qui bella continua minitantur, & hoc ipſo mitioribus, pacis & ſecuritatis unice amantibus ferream faciunt nenceſſitatem, ut & ipſi numeroſum militem conducant, foveantque, atque immenſam divitiarum vim ſemper habeant paratam, qui-

(a) Lib. 1. cap. 4. Sect. 1. §. 1. ubi ulterius Civitatibus herilibus parum abſimiles eſſe Civitates Ægyptiorum, Turcarum, Moſcovitarum &c.

quibus immenſis bellorum neceſſitatibus in omnem eventum ſubveniri poſſit. Priores ergo Civitates erunt *Irregulares*, & *bellicoſæ*, non itidem poſteriores. In quo ſenſu Civitates *ex defectu formæ irregulares* dicantur, ſupra diximus, quare huc non pertinent Civitates *vitioſæ* ſeu *deformes*, in quibus vel *Tyrannis & Deſpotismus*, ſi de Statu *Monarchico* loquamur, vel *Oligarchia* in *Ariſtocratia*, vel *Ochlocratia* in *Democratia* principatum tenet. (a) Potius huc pertinent Civitates *Multiformes*, quibus non una, ſed multiplex ineſſe forma videtur, quæ propterea à non paucis *Civitates mixtæ* vocantur, in quibus nempe forma Regiminis, quæ ex ſua natura deberet eſſe indiviſa, & nexu indiſſolubili in una moraliter voluntate coadunata, in plures voluntates eſt diviſa. Cæterum *Irregularium* Reipublicæ formarum neque certus iniri numerus, neque certæ conſtitui poſſunt ſpecies: igitur vix ſupereſt aliud, quam ut *Irregularitatis* ſpecies ex illuſtribus exemplis penitus perſpiciantur: talia exempla dat Pufendorfius in antiqua Republica Romana (b), in Imperio Germaniæ (c), & hodie dantur in Anglia, in Suecia, Polonia &c. Num illa Civitas ſit *Irregularis*, in qua duo vel tres Auguſti indiviſim Imperium adminiſtrant, rerumque potiuntur, ſupra diximus. (d)

Ad Civitates *Irregulares* ex *defectu Nexus* delabimur, quas vel *Achaicas*, vel *Syſtemata Civitatum* vocare conſueverunt, in quibus exſplicandis Authores non conveniunt. Ex communiori opinione *Syſtema Civitatum* habetur, quando plures Civitates uno, eoque arctiſſimo fœdere ita connectuntur, ut unum corpus conſtituere videantur, communi conſilio, junctisque viribus omnia exſequantur ſalva tamen cujusque forma, independentia, ac Imperio. Qua vero ratione *Syſtemata Civitatum* conſtituantur, nondum deciſum legimus. Pufendorfius duas ponit ſpecies, unam ſi plures Civitates ex quacunque occaſione Matrimonii, Hæreditatis, Victoriæ, vel conventionis eundem habent Regem, ita tamen, ut in unum Regnum non coaleſcant, ſed ſingulæ juxta ſuas leges fundamentales regi debeant (e) alteram, ſi duæ vel plures Civitates fœdere & pa-

(a) Vid. dicta §. 11.
(b) In ſpeciali Diſſert. de Republ. Irreg.
(c) Idem Author ſub ementito nomine *de Mozambano*.
(d) §. XV. facta aliquoties fuit hujusmodi coadunato Imperii apud Romanos, ita ut Roma aliquoties *biceps*, aliquoties *triceps* appareret.
(e) *Per conventionem*, ſi plura Regna eundem Regem eligant uti olim Dania, Suecia & Norvegia, item Hungaria, & Bohemia. Per *matrimonium* coaluerunt Hungaria, Bohemia, Sicilia &c. per *victoriam* Anglia, & Hibernia.

pacto in unum corpus connectantur. (a) Porro autem hanc philoſophandi rationem Puſendorfii eſſe mutilam, mancam, & minus accuratam, plerique fatentur Authores; vel enim ſupponimus, quod utraque Civitas retineat ſua jura, privilegia, ita ut ferme nihil neque quoad formam Regiminis neque quoad bonum publicum & ſecuritatem utriusque publicam cum altera commune habeat. (b), niſi quod ab eodem Imperante regatur, vel ponimus, quod una alteri ſubjiciatur? (c) in priori caſu habentur duæ Civitates, & unus Imperans, in altero ſunt duo Reges, & unum Regnum. Itaque ut aliquod *Syſtema Civitatum* liquido conſpici valeat, ſtatuendus erit caſus tertius, qui certe non eſt alius, quam ſi duæ Civitates retenta ſua forma Imperii fœdere vel expreſſo (d), vel ſine præfinito conſilio & pacto (e) quaſi in unam per unionem voluntatum, ac virium coaleſcunt in ordine ad ſecuritatem publicam mutuis conſiliis, junctisque viribus procurandam: in hac enim Civitatum unione habetur *unitas*, *libertas*, (f) & *finis communis.* Hæc de Statu in genere quaſi in compendio dicta ſufficiant. Plura videantur in Authoribus, qui de Jurisprudentia in genere ſcribunt.

§. XVIII.

UT jam ad id veniamus, cujus gratia omnia hactenus dicta ſunt, quæſtio ſummi momenti & ingenti animorum contentione agitata, atque â nobis accuratius ventilanda in eo conſiſtit, utrum in Eccleſia noviter à Chriſto Domino inſtituta detur *Status*, vel potius *Status Civitatis*, qualem hucusque exſplicavimus. Adeoque an Eccleſia ſit Societas *æqualis*, à qua exulat omne Imperium, & in qua ad ſummum datur poteſtas mere *directiva* non *imperatoria* cum vi cogendi conjuncta, vel *Inæqualis* in perfecta ſubordinatione Imperantium & obedientium fundata.

(a) Uti e. g. Hungaria, Bohemia, Sicilia.

(b) Quo modo olim Romanis ſubjecta erant Regnum Macedonicum, Syriacum, Ægyptiacum, & hodie junctæ ſunt Anglia & Scotia, Polonia, & Lithuania.

(c) Huc pertinent Confœderati Belgi, & Helveti.

(d) Contingit hoc, quando plures Provinciæ ſub uno capite coalitæ paulatim in libertatem ſe ſe vindicant, ut *Autonomiam* quidem recipiant, ſed tamen adhuc inter ſe nexu quodam *ſyſtematico* cohæreant.

(e) Nam ſingulæ retinent jura Imperii *immanentia*, qualia ſunt jus ferendi leges, judicandi, exigendi tributa, & ſolummodo Jura Majeſtatis *tranſeuntia* e. g. jus belli, pacis, fœderum, & legatorum communicatis exercent conſiliis, & ſuffragiis e. g. in Belgio fœderato Hollandia, Friſia, Zelandia, in Helvetia &c.

§. XIX.

ALiud longe, illúdque novum *Syſtema* de *Statu Eccleſiæ* ſibi fabricarunt prætenſi Reformatores à tempore Reformationis, & aliud Catholici à primis Eccleſiæ Sæculis usque nunc imperturbato ordine tenuerunt. Inconcuſſa hactenus doctrina Catholicorum fuit, quod Eccleſia ſit *Societas inæqualis perfecta*, adeoque in Eccleſia detur *Status Reipublicæ* ab ipſo Chriſto Domino inſtitutus, in perfectiſſima imperantium & obedientium ſubordinatione fundatus, cum imperio ac poteſtate ferendi leges, decidendi cauſas, cogendi & compellendi, mediis tamen juxta inſtitutionem Chriſti, & ſpiritum ipſius Eccleſiæ proportionatis conjunctus: in quo vices Imperantium *Clerici*, obedientium vero ſuſtinent *Laici*, & fideles omnes, qui januam Eccleſiæ per ſuſceptionem Baptismi, quo huic ſocietati ſuum nomen dederunt, ingreſſi ſunt. (a) Stabilito hoc Syſtemate de Statu Eccleſiæ tanquam *Societatis inæqualis* ſeu *Reipublicæ* ulterius Catholici ſtatuunt *Hierarchiam* quamdam inter ipſos Imperantes ſeu Principatum ſecundum certos gradus tam *Ordinis*, quam *Jurisdictionis* diſtinctum (b), vi cujus unus eſt quaſi primus *Imperans* (c), cui cæteri, pro diverſitate tamen negotiorum & cauſarum ſunt ſubordinati, ita tamen, ut in quibusdam negotiis una cum ſuo primo Imperante ſuffragia efficiant majora (d), in aliis ſint quaſi independentes (e), in quibusdam demum ſe tanquam Inferiores judicio ſupremi Imperantis ſubmittere obligentur. (f) Cæterum de ipſa forma Imperii in Republica Catholica nondum inter ipſos Catholicos convenit, dum quidam Regimen *Monarchicum*, aliqui *Democraticum*, alii *Monarchico-Ariſtocraticum* ſtatuunt & hanc opioionem ultimam etiam nos amplexati ſumus, & alibi fuſius examinavimus, (g) Videtur hæc ſententia proxime accedere ad *Syſtema Civitatum*: omnes enim Eccleſiæ & Epiſcopi coadunantur in Eccleſia & Roano Pontifice tanquam in centro: retinent cæteroquin Ec-

(a) Hæc ſingula ex mox dicendis clarius patebunt.

(b) De Hierarchia Eccleſiæ & diverſis gradibus cap. ſeq. agemus.

(c) Nempe Romanus Pontifex, non quidem tanquam *Monarcha*, ſed tanquam *Primas*.

(d) Videlicet in Conciliis generalibus.

(e) Habent enim ex noſtris Principiis Epiſcopi ſuam Jurisdictionem hum omnibus juribus annexis in ſuis Eccleſiis immediate à Chriſtó, quam Pontifex pro ſuo libitu non poteſt turbare, limitare, reſtringere.

(f) Nempe in cauſis majoribus univerſam Eccleſiam concernentibus.

(g) Vid. noſtra Diſſertatio, quam de Authoritate Pontificis ſcripſimus, ubi diverſa Catholicorum Syſtemata accurate diſcuſſimus.

Eccleſiæ omnes, eorumque Epiſcopi ſua jura, ſuam Jurisdictionem, & formam Imperii in ſuis Diœceſibus, in cauſis autem majoribus, & negotiis univerſam Eccleſiam ſpectantibus in Comitiis publicis ſeu Conciliis communibus ſuffragiis bono totius Reipubli- Eccleſiaſticæ conſulunt: Hanc vero eſſe veriſſimam notionem *Syſtamatis Civitatum* quis negabit? Atque hanc fuiſſe doctrinam Catholicorum ad tempora usque Reformationis à primæ Eccleſiæ Sæculis indubitata, & inconcuſſa Traditio, innumeri Canones Conciliorum, decreta Pontificum, doctrinæ Patrum evidenter convincunt, ut lucem in pleno meridie negare videatur ille, qui hoc in dubium vocare auſus fuerit, quidquid aliqui pauci Sectarii, ii præcipue qui Syſtemati Religionis Proteſtanticæ proluſerunt, contradixerint.

Jam *Syſtema Reformatorum* examinemus, quibus quum nihil antiquius fuerit, quam poteſtatem Pontificum & Clericorum eliminare, ſuamque Religionem noviter cuſam authoritate Principum ſæcularium ſuſtentare, uti §. ſeq. dicemus, neceſſario ad aliud ſyſtema deflectendum fuit. Quapropter Rempublicam Eccleſiaſticam à ſupremis ad infima usque ſubſellia detruſerunt, eamque in meram *Societatem æqualem* excluſa omni ſubordinatione, Imperio, Jurisdictione & poteſtate Pontificum & Epiſcoporum transmutarunt, talem nempe, qualis ſunt Collegia Academiarum, Scientiarum, Capitulorum, atque hoc modo omnem *Hierarchiam Eccleſiaſticam*, omnem poteſtatem Imperii tam quoad ſura *immanentia*, quam *tanseuntia* eidem annexa eliminarunt, ac ultimo ſceptrum Imperii in Eccleſiam, & omnia ſacra cum omnibus Juribus Eccleſiaſticis in ſuos Principes Territoriales transtulerunt, de quo vid. Bœhmer. (a) Huberus, (b) & Doctores Proteſtantici paſſim.

§. XX.

MIrum haud abs re alicui videri poſſet, quod Proteſtantes, & prætenſi Reformatores ad hæc extrema ſint delapſi. Deſinet admiratio, ſi quis cauſas hujus novationis non nihil accuratius ſecum ipſo examinaverit. Nos duas potiſſimum deprehendimus, quarum una *Religionem*, altera ſpectat *Politicam*. Poſtquam enim Lutherus quamplurima Religionis Catholicæ Dogmata, ea præcipue, quæ non tam ex Verbo DEI ſcripto, quam non ſcripto, vi-

F 3 de-

(a) In Diſſert. Prælim. item de Jur. Paroch. ad Tit. de M. & O.
(b) De jure Civit. lib. 1. Sect. 4. cap. 1. §. 36.

delicet ex traditione deducuntur, & ab Eccleſia per Pontifices in Conciliis tam generalibus, quam particularibus fuerunt definita eliminaverat (a), & Eccleſiam non tantum in Religionis, verum etiam Diſciplinæ capitibus multorum errorum, abuſuum, defectuum, ac uſurpationum accuſaverat, & ferme omnem iram furoris ſui potiſſimum in Pontificatum effuderat, quem toto orbe Chriſtiano proſcriptum volebat, profecto fieri non potuit, ut non totum Eccleſiæ ſyſtema ſubrueret, ac ſubverteret, eidemque omnem poteſtatem definiendi dogmata, ferendi leges, gubernandi cœtum fidelium, ſtatuendi capita diſciplinæ, ordinandi Sacra denegaret: ſecus enim actum fuiſſet de ſuis doctrinis Novitiis, neque dogmata Catholica unquam è ſua antiquiſſima poſſeſſione deturbari potuiſſent. Altera cauſa ex intimis Politicæ principiis fuit deprompta: quum enim ad ſuſtentandam Eccleſiam ſuam noviter cuſam vel maxime authoritate Magnorum Principum opus haberent, profecto in id omnem ſuam curam impendere debuerant, ut illos in ſuas partes traherent, facerentque ſibi propitios; ſed qua arte id faciliori negotio efficere potuere, quam ſi eliminato imperio Eccleſiaſtico ſummum Eccleſiæ Imperium cum omnibus juribus, prærogativis, ac privilegiis Epiſcopalibus, ac Pontificiis in ſuos Principes transferrent, & in illis Jura Imperii, ac Sacerdotii coadunarent, illosque ſimul & Pontifices, & Principes facerent? Atque hic fuit ille hamus, quo non pauci Principes ſe ſe trahi, ac decipi permiſerunt, ut etiam armis, bellis, & violentiis religionem Proteſtanticam defenderent, ac in omnem orbem Chriſtianum propagare ſtuderent. Utrum vero hoc modo Doctores Proteſtantici ſuis rebus non modo quoad Eccleſiaſtica, ſed etiam & præcipue quoad Politica bene conſuluerint, viderint ipſi, & bene apud ſe ipſos remotis omnibus præjudiciis expendant, an non excuſſo jugo Papali, quod ipſis inſupportabile viſum fuerat, longe gravius jugum & onus ſuis humeris impoſuerint, ut jam ſervitutem longe duriorem ſervire compellantur. Nunquid perpetuæ fuerunt querelæ Proteſtantium contra abuſum poteſtatis Pontificiæ ex ea potiſſimum ratione, quod, ut ajunt, Pontifices, & Epiſcopi quamplurima jura tam Principum ſæcularium *Majeſtatica*, quam *Collegialia* to-

(a) Plura enim habemus dogmata, quæ clarius ex Traditione, quam Scriptura demonſtrantur e.g. de numero ſeptenario Sacramentorum, de Purgatorio, de Sacramento Matrimonii, de cultu & venedrtione Sanctorum, & his potiſſimum Proteſtantes à nobis differunt, utpote qui aliam Regulam fidei præter Scripturam non admittunt, & ideo omnem Traditionem Divinam negant.

totius Cœtus Chriſtiani uſurpaverint, ſibique inique arrogaverint. An non hoc ipſum queruntur multi hodierni Doctores Proteſtantici contra ſuos Principes, illi potiſſimum, qui inter Jura *Majeſtatica* & *Collegialia* ſolent diſtinguere? An non ſinceriores quidam Proteſtantes, ſi non expreſſe, ſaltem tacite ſuum errorem Politicum, quem ſe commiſiſſe deplorant, fatentur, dum totam ſummam Imperii Eccleſiaſtici, Juris in Sacra, & præcipue in bona Eccleſiaſtica in ſuos Principes tranſtulerunt. Habent vel maxime ipſorum Paſtores, & Doctores, quod querantur, qui in rebus Religionem concernentibus vix audiuntur, aut, quod agant, habent. Similiter habent, quod querantur illuſtres familiæ, quibus ablata ſunt media conſervandi ſplendorem familiarum, niſi ſequantur militiam. Sed quid hæc ad nos.

§. XXI.

EX his colligere licet, quanti interſit Religionis, & Eccleſiæ Catholicæ, ut hæc quæſtio pro ſuis meritis quam diligentiſſime examinetur: nam admiſſo ſemel *Syſtemate Proteſtantico* ferme totam Eccleſiæ Catholicæ molem corruere neceſſum eſt, corruent dogmata Catholica omnia, quæ non niſi ex Traditione, definitione Conciliorum, & unanimi ſenſu Patrum probare poſſumus. Ceſſabit diſcrimen juxta mentem Eccleſiæ noſtræ ex ipſo Jure Divino proveniens inter *Clericos* & *Laicos.* Evaneſcet ſucceſſio legitima Pontificum & Epiſcoporum in munere Apoſtolico, labetur authoritas Concilorum, poteſtas Pontificum, Jurisdictio Epiſcoporum, deſinet *Hierarchia* Eccleſiaſtica, vix ulla dabitur Lex Eccleſiaſtica (a) Majeſtas Eccleſiæ redigetur ferme ad nihilum, econtra quidquid in Eccleſia ſacri & ſancti eſt, exceptis iis, quæ ad confeſſionem fidei internam pertinent velut appendix ſummæ Poteſtati cohærens jure hæreditario ex lege tam naturali quam divina delato ad Principes ſæculares pertinebit, jamque Eccleſia, quæ ante tempora Reformationis dominabatur tanquam Domina, nunc è ſuo throno deturbata veluti ancilla Poteſtati Politicæ famulabitur. Pro hoc ſyſtemate clarius illuſtrando præcipua illius capita examinemus, & quid DD. Proteſtantici promiſcue (diverſa illorum principia & opinio-

(a) Quia ut mox dicemus in Societate æquali, vel Collegio, quale eſſe dicunt Eccleſiam nulla datur poteſtas ferendi leges, ſed mera facultas dirigendi, nullæ leges, ſed regulæ, Canones, vel ad ſummum ſtatuta.

niones §. ſeq. elucidabimus) ſentiant, in compendio exponamus. Aſſerunt 1.mo: *Statum Reipublicæ* eſſe ex jure naturæ contra eſſentiam Religionis, quum ratio Reipublicæ neceſſario importet imperium cum jure cogendi, & compellendi conjunctum, Religio vero, & fides, utpote à ſola gratia interne illuſtrante, ac dictamine rectæ rationis principia fidei nobis applicantis dependens, omnem vim, & violentiam reſpuat, uti pluribus infra §. XXIV. dicetur. 2.do: Chriſtum Dominum neutiquam voluiſſe inſtituere in Eccleſia à ſe noviter inſtituta aliquam Rempublicam, neque veniſſe tanquam *Legiſlatorem*, ſed velut *Doctorem*, neque ad aliud munus quam docendi, vocaſſe ſuos Apoſtolos, injuria autem temporum, vel potius ambitione, & regnandi libidine hominum factum eſſe, ut illi, quos ſucceſſores Apoſtolorum, vel Clericos, Epiſcopos, Presbyteros, & Decanos vocamus, ſibi prædicata & titulos honorificos, quibus gloriabantur Sacerdotes antiquæ Legis, aſſumerent, unaque imperium ſibi arrogarent, & hoc modo Rempublicam conſtituerent, haud aliter, quam primi ſatores, illi nempe, qui violentiis & deprædationibus populos ſibi ſubjugarunt, feciſſe leguntur: exinde autem factum eſſe ulterius, ut quidam illorum, quibus ampliores Eccleſiæ regendæ committebantur, aut ipſi fideles plus honoris ac reverentiæ deferebant, ſupercilia altius erigerent, Clericos inferiores deprimerent, ac pedetentim Hierarchiam inſtituerent. Inde inferunt 3.tio: diſcrimen inter *Clericos* & *Laicos* neutiquam ex Jure Divino, ſed mere Eccleſiaſtico provenire. (a) Itaque ipſi aliam ſubſtituunt diviſionem membrorum Eccleſiæ, docentes, quod in Eccleſia duo ſint Ordines, nempe *Doctorum* & *Auditorum*. Hiſce alii addunt Ordinem tertium nempe *Imperantium*. Apud hos igitur tres dantur Status, quos ipſi in noſtra vernacula vocare ſolent den Nehr=Lehr=und Wehr=Stand (b) Inferunt 4.to: ſtantibus his nullam poſſe dari *Rempublicam* in Eccleſia, ſed meram *Societatem æqualem* ſeu Collegium, in quo nulli dantur Imperantes, ſed meri Directores ſine imperio & vi cogendi & compellendi, & per conſequens in Eccleſia, in quantum eſt Societas, vel Collegium, neque poteſtatem ferendi leges, neque leges proprie tales, ſed

(a) De quo vid. Bœhmer ad Tit. de vit. & honeſt. Clericorum, item in Diſſert. Eccleſ. ad Epiſt. Plinii, ubi potiſſimum ad Teſtimonium Tertulliani provocat. Hac ſuper re præcipue videri meretur Petrus de Marca in ſpeciali Diſſertat. de diſcrim. inter Clericos & Laicos.

(b) Vid. cit. Bœhmer in ſuo Jure Paroch. ſect. 1. cap. 2. §. 30. ubi hanc Proteſtantium opinionem refutat.

ſed ad ſummum improprie tales locum habere poſſe, quales ſunt ſtatuta particularia Collegiorum communi ſociorum ſuffragio inter ſe ipſos pro ſervando certo ordine, procurando bono Collegii, ac conſequendo fine ſibi præfixo lata & promulgata. Ex qua ratione, ajunt (a), ipſa antiqua Eccleſia ſua decreta neutiquam verbo *Legum* ſed *Canonum* exprimere voluit. (b) Inferunt 5.to: nunquam ſive penes totam Eccleſiam, ſive penes Pontifices, cæteroſque Præſules & Clericos majores & minores quin neque penes ipſa Concilia Generalia reſediſſe poteſtatem ferendi leges, decidendi cauſas, infligendi pœnas, aliaque jura Imperio annexa exercendi: quidquid ergo juris imperio cohærentis exercuerunt, id omne uſurpationum, attentatorum, & abuſuum inſtar eſſe habendum, aut ſi quæ fuere celebrata Concilia legitima, illorum definitiones in rebus fidem internam concernentibus nullius eſſe valoris ac roboris, cæteris vero decretis ad diſciplinam Eccleſiaſticam pertinentibus unice velut *Canonibus* ſeu *Regulis* & *Statutis* à Collegio communi ſuffragio procuſis eſſe aſſurgendum. Inferunt 6.to in Eccleſia quoad *fidem internam*, & *confeſſionem fidei iuternam* nullam aliam regulam eſſe agnoſcendam, quam S. Scripturam, adeoque omnem Traditionem Divinam, ad quam toties in ſuis dogmatibus provocant Catholici, penitus eſſe eliminandam. Inferunt 7.timo Eccleſiam poſſe conſiderari vel *extra*, vel *intra* Statum Reipublicæ Politicæ: extra hunc Statum videtur fuiſſe primis tribus Eccleſiæ ſæculis, dum adhuc Imperatores Ethnici ſumma Imperii, rerumque potiebantur: tranſiit ad Statum Reipublicæ eique quaſi inneſtebatur Sæc. 4., poſtquam Conſtantinus ejurato Ethnicismo Religionem Chriſtianam amplexatus fuit, unaque Eccleſiam in ſuam tulelam recepit. Inde, deducunt 8.vo, conſequens fuiſſe, ut *Jus in Sacra* cum omnibus ſuis annexis juribus, iis ſolum exceptis, quæ ſolent vocari *Collegialia* & ad Collegium qua tale pertinent, in ipſum, illiusque Succeſſores ipſo jure tranſiret. Haud ſecus quam id in aliis Societatibus & Collegiis contingere ſolet, quæ, licet habeant ſua jura *Collegialia* ſeparata, attamen Inſpectionem Generalem, ac ſupremam in ſuis Imperantibus revereri, eisdemque ſe ſe in iis, quæ Statum publicum ſpectant, ſubjicere, illorumque legibus obtemperare obligantur. Quodnam autem illud ſit fundamentum, in quo iſtud *Jus in Sacra* radicatur, adhucdum diſputatur, ac tot inter

(a) Vid. Zieglerus in Comment. ad Inſtit. Lancelloti in Diſſert. prælim.

(b) Vid. Diſſertatio noſtra prima *Jus Canonicum in genere* inſcripta, ubi hoc fuſius deduximus.

ipſos circumferuntur ſententiæ, ut vix in numerum cogi valeant, prout dicemus §. XXIII. Similiter mirum in modum ſudant in deſignandis finibus hujus juris in Sacra (a). Quænam autem genuina ſit ratio Schismatum eod. loc. dicemus. En! in compendio & difficultates, & præcipua Capita hujus Syſtematis Proteſtantici.

§. XXII.

INquiramus in originem hujus *Syſtematis Proteſtantici.* Occurrit animo, dum hæc ſcribimus, ad detegendam originem hujus Syſtematis ſimilitudo aliqua haud inepta, quæ rem intimius perſcrutanti ſaltem non ex omni parte claudicare videbitur. Contigit nempe prætenſis Reformatoribus in cudendo, fabricandoque hoc ſyſtemate, quod illi contingere ſolet, qui neſcio quo fato hæres factus pinquiſſimæ hæreditatis ingentem ad exſtruendum palatium regium ab anteceſſoribus præparatam lignorum jamjam putrefactorum congeriem invenit. Hic, quum Architectonicæ non ſatis eſſet peritus, incipit fodere fundamentum, ligna in ordinem redigit, fundamentum ponit, ac demum eidem cæteram ædificii molem ſuperſtruit facile redigendam in nihilum, tum quod ipſum, quo ſuſtentatur, fundamentum non ſat firmum ſit, tum quod ipſa lignorum materies jam jam ad putredinem vergere videatur. Claudicat hæc paritas ex eo Capite, quod nos loquamur de ædificio *morali*, ad quod exſtruendum non ſufficit materia *phyſice*, ſed *moraliter* apta. In eo tamen bene concludit, quod hodierni Proteſtantes cum veritate dicere non valeant, ſuum ſyſtema eſſe antiquum, ſed fateri debeant, quod anteriores Sectarii materiam pro exſtruendo novo ædificio in magna quantitate præparaverint, ipſi vero materiam extrinſece aptam, intrinſece vero corruptam ad ſuum ſyſtema promovendum applicaverint, & hoc modo ædificium exſtruxerint, ob fundamentum non ſatis ſolidum facili negotio ſubruendum. Præpararunt ad hoc ſyſtema materiam ampliſſimam antiquiſſimi Sectarii jam in Sæc. 4. Donatiſtæ, Novatiani, poſtea Albigenſes, Waldenſes, præcipue autem Wicleſiſtæ, & Huſſitæ, & omnes illi, qui contra authoritatem Eccleſiæ, potiſſimum Romanæ, inſurrexerunt, in id potiſſimum intenti, ut Pontificatum Romanum ex orbe univerſo proſcriberent. Venit non multo poſt Lutherus, qui neſcio quo ſpiritu in transverſum actus contra Eccleſiam Romanam, Pon-

(a) Quia, uti dicetur, multi ad *Jura Majeſtatica* referebnt illa, quæ ab aliis ad Jura *Collegialia* referuntur, & viciſſim.

Pontificem, Epiſcopos, Clericos & Monachos omnem vim furoris ſui effuderat, atque in Eccleſia Catholica ſub prætextu novæ reformationis, quam ſuo modo fuiſſe neceſſariam nemo Catholicorum negavit, quidquid in Eccleſia erat ſacrum & ſanctum, ſubvertit, & evertit. Ut autem grande ſuum, quod meditabatur, *Reformationis* opus ad optatum finem perduceret, providendum ſibi neceſſario fuit de authoritate Principum ſæcularium. In promptu erat remedium opportuniſſimum: quidquid authoritatis, poteſtatis, Jurisdictionis, & imperii in Pontificibus, & Epiſcopis erat, tranſtulit in Principes, quo factum eſt ut Lutheri aſſeclæ omni armorum, & librorum vi agerent contra Pontifices Epiſcopos, & cæteros Clericos, jamque paſſim illud præcinente Luthero in ore habuerint, *cujus eſt Regio, illius eſt Religio*: item *non datur Status in Statu.* poſtea in Pace Weſtphalica eo deventum fuit, ut eliminato Pontificatu, ac Jurisdictione Epiſcoporum ſuſpenſa (a), Principibus ſæcularibus *Jus in Sacra*, *Jus reformandi* (b) cum ſuis annexis cedendum fuerit. En! prima incunabula & incrementa hodierni Syſtematis Proteſtantici. Quod ſi jam eo tempore interrogaſſes Doctores Proteſtanticos de Syſtemate *Societatis æqualis*, ſeu *Collegii*, de quo hic potiſſimum agere conſtituimus, nemo tibi nec verbo reſpondere potuiſſet. Legantur Doctores Proteſtantici, qui ante Pufendorfium ſcripſerunt, & nemo reperietur, qui de illo mentionem fecit, vel ſi quis fuit, in medium proferatur, & debitis honoribus illum reverebimur. Venit demum magnum illud Numen Samuel Pufendorfius: atque hic demum ille vir eſt, qui novum, atque ante illam diem inauditum ſyſtema *Societatis* æqualis excogitavit, ac in parvo ſuo opuſculo *de Habitu Religionis* inſcripto in lucem produxit publicam. Ne vero gratis iſta dicere videamur, ipſos DD. Proteſtanticos audiamus, qui Pufendorfio hanc laudem non invident: *non ſine ſingulari Providentia factum*, ait quidam (c), *quod primus, quod ſciam, hoc fulcrum* (loquitur de Imperio, & Statu Eccleſiæ) *aggredi, atque ejus fundamenta deſtruere aggreſſus ſit Pufendorfius in tractatu de habitu Religionis ad Rempublicam.* Idem fatetur Matthæus Pfaffius (d), dum dixit: *nemo ante Pufendorfium fuit, qui Jus Eccleſiaſticum Proteſtantium certis regulis fundamentalibus ſuperſtrueret: hic primus fuit, qui primus fuit, qui Eccleſiam non niſi Societatem & Collegium æquale in Civitate erectum eſſe docuit, tradidit, & commonſtravit.*

 Ab

(a) Art. 5. §. 68. P. W.
(b) Eod Art §. 30.
(c) Notator ad Hubari *Jus Civitatis* lib. I. Sect. 4. cap. 1. N. 36.
(d) Academiſche Reden über das Kirchen-Recht.

Ab eo tempore doctrinam Pufendorfii velut de cœlo lapſam ambabus manibus amplexati ſunt DD. Proteſtantici omnes : porro autem in explicando hoc Syſtemate neutiquam ſibi fuere conſtantes. Sed pro diverſitate ingeniorum varias excogitarunt *hypotheſes*, & principia, ut illud ſtabilirent : animadvertebant nempe quam optime quam infirmo hoc ſyſtema ſuſtentetur fundamento, & ideo in tot diverſas delapſi ſunt opiniones, de quibus §. mox ſeq. Nobis hoc *ſyſtema* ex eo capite videtur ſuſpectum, quod ſit novum, noviter excuſum, ante Pufendorfiũ inauditum, & illius fundamentum nullum in tota retro acta ætate, & antiquitate reperiri valeat, quum tamen Proteſtantes paſſim ad antiquam Eccleſiæ diſciplinam provocare ſoleant, vel enim illud ex duobus primis ſæculis, in quibus adhuc purior Eccleſiæ diſciplina ipſis fatentibus viguit, vel ex tertio & ſequentibus probare volunt? ex prioribus nondum ſufficienter eſt probatum, prout mox dicemus. Ex ſubſequentibus nec volunt, nec poſſunt probare : jam enim juxta illorum doctrinam Sæc. 3. Pontificatus Romanus agere radices, Authoritas Epiſcoporum creſcere, Dominatus Clericalis ſtabiliri, atque ipſa Eccleſia in Rempublicam degenerare cœpit. Sed O rem miram profecto Sacræ Scripturæ & Promiſſionibus Divinis contrariam, quæ omnem fidem & intellectum humanum tranſcendit. Quis enim ſibi perſuadeat, quod Chriſtus Dominus mox poſt unum, alterumve ſæculum ſuam totam Eccleſiam ita corrumpi, alterari, ac mutari permiſerit, ut in aliam prorſus formam corruptam degeneraret, atque in ſuo ſtatu corruptionis ultra 13. ſæcula perduraret, quum eidem ſuam aſſiſtentiam tam fideliter, & infallibiliter promiſerit? Deindemus, quod Chriſtus Dominus *Societatem*, & in ea *formam regiminis confœderatam* inſtituerit, & totus Cœtus Chriſtianorum *Jura Collegialia* ſub directione primum Apoſtolorum, & poſtea Epiſcoporum exercuerit : quare ergo Reformatores Eccleſiæ Epiſcopos hoc ſuo jure dirigendi exuerunt, ipſum vero Cœtum *Juribus Collegialibus* ſpoliarunt, eaque ferme omnia in ſuos Principes ſæculares transtulerunt? ſi dicant, hanc argumentandi rationem non bene concludere, eo quod tunc temporis Eccleſia nondum fuerit innexa Reipublicæ, quid tum? ſtetit, & floruit Eccleſia, & ita floruit, ut nunquam magis floruerit, ſine ullo imperio inter perſecutiones tyrannorum ſub directione Epiſcoporum, quare non ſub imperio Principum Chriſtianorum, dummodo certi ſtatuantur limites,

&

tam Principibus, quam Pontificibus, Epiſcopis, & ipſi Eccleſiæ ſua aſſignentur jura? itaque Reformatores Epiſcopis ſua *jura Epiſcopalia*, & Cætui ſua *jura Collegialia* relinquere debuiſſent: quare ergo iſta Eccleſiæ ſubtraxerunt, & ſuis Principibus vindicarunt? nec cauſentur abuſum Pontificum & Epiſcoporum ſuis juribus abutentium, quin imo *jura Collegialia* ſibi ipſis per fas, & nefas arrogantium: inde enim quid ſequitur, niſi quod debuiſſent tollere abuſum, & retinere bonum uſum. Si dicant, quod cœtus ipſe ſua *jura Collegialia* ex magna parte voluerit, & potuerit in Principes transferre: petunt principium, & hoc ipſum illis probandum incumbit; quod nunquam poterunt, quia veroſimile non eſt, quod plebs excuſſo jugo Papali, uti dicunt, longe majus onus ſibi imponere, & vel omnia ſua jura, vel maximam illorum partem in ſuos Imperantes transfundere voluerit. Et quid ſi negemus, quod in arbitrio Chriſtianorum fuerit *novam Regiminis formam* introducere, ſuisque juribus ſeſe abdicare? quia Chriſtianis inſiſtendum eſt *formæ Regiminis* à Chriſto inſtitutæ, quam tam parum immutare aut abolere poſſunt, quam parum dogmata fidei eliminare, aut uſum Sacramentorum à Chriſto inſtitutorum tollere in illorum eſſe poteſtate ſcimus. Hæc quamvis commodius infra afferri potuiſſent: quia tamen ſe ſua ſponte calamo ſcribenti obtruſerunt, anticipato hic in medium proferre voluimus, ne è memoria elaberentur.

§. XXIII.

JAm quomodo DD. Proteſtantici in exſplicando ſuo dogmate varient, videamus. In eo autem potiſſimum laborant, qualenam ſit fundamentum illimitati *Juris in ſacra*, quod ſuis Principibus vindicare contendunt. Tria autem potiſſimum ſunt, in quibus Reformatores inter ſe digladiantur, quorum primum ipſam Societatem, alterum fundamentum Juris in ſacra Principibus competentis, tertium directionem finium inter Jura Principis, & ipſius Collegii, vel prout alii loqui amant, inter Jura *Majeſtatica* & *Collegialia* ſpectat. Quantum ad ipſam Societatem quærunt, an ſit perfecte *æqualis*, vel ſuo modo *inæqualis*, & quale in ea detur *Regimen?* Dubium oritur ex ipſa diviſione membrorum hujus Societatis ſacræ: diximus enim ſupra, quod quidam non niſi duos ponant ordines, nempe *Auditorum*, & *Doctorum*, alii tres, *Imperantium*, *Docentium* & *Audientium*: illi priores ſtatuunt Societatem *æqualem*: ex eo

enim, quod Eccleſia Reipublicæ fuerit innexa, non im̃utavit naturam Societatis, neque alterata fuit, niſi quod jam Imperantibus in Republica ex nexu non modo Eccleſiaſtico, ſed etiam civili ſubjiciatur: Princeps enim ex eo, quod Eccleſiæ per profeſſionem ejusdem Religionis uniatur, plus juris in Eccleſiam non acquirit, & manet Princeps cum iisdem juribus, qui fuit antea. Quidquid ergo in Eccleſiam habet juris, id omne habet, quia eſt Princeps, non vero quia eſt Chriſtianus, aut per profeſſionem fidei factus eſt membrũ Eccleſiæ. (a) Poſterioris generis DD. ſupponunt quodammodo Societatem *inæqualem*, & videntur admittere Regimen *Ariſtocraticum*. Hujus opinionis olim plures fuere Proteſtantes, prout teſtatur Bœhmerus dum dicit: *nihil magis vulgare eſſe, quam quod tres nominati Status ex publico ſuggeſtu doceantur*, videlicet der Nehr-Lehr-und Wehr-Stand. (b) ſpecialiter citat Carpzovium & Gilbertum Voëtium, & in ambos graviter invehitur, monetque, ut caute legantur, eo quod, uti aſſerit, ex hac diſtinctione plura fuerint producta opinionum monſtra ad ſtabiliendum *Dominatum Clericalem* perquam idonea. (c) Quare, ait ulterius, fruſtra quæritur, quænam in Eccleſia ſit forma Regiminis, hoc ipſo enim, quod non ſit Reſpublica, nulla, nec Monarchica, nec Ariſtocratica, nec Democratica obtinebit forma Regiminis. Alterum, in quo ingenti animorum contentione inter ſe ipſos altercantur, ſpectat ipſum *fundamentum ſui ſyſtematis*, ex quo nempe jure, ſuppoſita Societate *æquali* in Eccleſia, Imperantibus competat *Jus in ſacra* & poteſtas regendi, & gubernandi Societatem ſacram. Juvat igitur varias illorum opiniones adducere: prima opinio fundamentum quærit in ipſis S. Scripturis, & ex his innumeros agglomerat textus ex antiqua potiſſimum lege depromptos, unaque varia adducit exempla, ex quibus conſtat, quod Reges nominatim David, Salomon, Joſaphat &c. Jus in ſacra exercuerint. Hanc tamen ſententiam ſolidis confutat argumentis Pfaffius, unaque oſtendit, à Statu *Synagogæ* utpote neceſſario cum *Statu Politico* connexæ infirmum prorſus duci argumentum ad *Statum Eccleſiæ*. (d) Altera opinio Principi *Jus in ſacra* tanquam

(a) Eſt hæc ſententia ferme omnium hodiernorum Proteſtantium poſt Puſendorſium, qui in libro de Hab. Relig. §. 32. ſic habet: *perſonarum, quæ reſpectu Eccleſiæ oriuntur, ſimpliciſſima eſt diviſio in Auditores, & Doctores &c. & qui ſupremi Ducis munere in Civitate fungitur, in Eccleſia haud plus juris obtinet, quam gregarius miles.*

(b) De Jur. Paroch. Sect. 1. cap. 2. §. 29.

(c) Idem Bœhm. §. 36. & *ſeq. ibid.*

(d) Vid. Pfaffii Academiſche Reden über das Kirchen Recht cap. 5. ubi pro hac ſententia citat quosdam Theologos Proteſtanticos.

quam membro præcipuo *Societatis ſacræ* vindicat: verum etiam hanc opinionem plerique Proteſtantes ex ea ratione potiſſimum rejiciunt, quod, ut antea primum dictum fuit, ex profeſſione Religionis, & unione cum Eccleſia nihil Juris, aut majoris poteſtatis Principi accedat, iisdemque juribus ipſe gaudeat, quibus fruuntur cæteri. (a)

Tertia opinio fundamentum depromit ex *Pace Religioſa* & *Weſtphalica*, aſſeritque quod Principes *Jus in ſacra* non tam jure proprio, quam *fiduciario* tanquam ex *contractu Depoſiti* ſibi concreditum & commiſſum exerceant. Hæc ſententia olim plauſibiliter à magni nominis Doctoribus fuit defenſa. (b) Attamen acutiores Juris-Conſulti hodierni ac noviores rebus melius inſpectis primo mox obtutu deprehenderunt, quam periculoſa, & principiorum Proteſtanticorum everſiva hæc foret doctrina, quippe quod hoc principio ſemel permiſſo Catholicis neceſſario concedendum ſit, quod volunt, & tantopere urgent, nempe *Jus in ſacra* ex jure antiquo, traditione, conſuetudine & praxi imperturbata pertinuiſſe, & adhucdum pertinere ad Epiſcopos, & primum in Pace Religioſa & Weſtphalica propter temporum rerumque circumſtantias per conceſſionem quaſi *Interimiſticam* ad inſtar *Depoſiti* ad Principes ſæculares fuiſſe translatum, hos verò interea poteſtate non tam propria quam aliena nempe *Papali* & *Epiſcopali* illud exercere, usque dum ſuis legitimis Dominis reſtituatur: quare vitio vertendum non eſt Bœhmero, quod Philoſophiæ ſuorum Collegarum hoc modo ratiocinantium, quam *craſſam* vocat, tam graviter indignatus fuerit, eamque non ſine gravi indignantis animi motu rejecerit. (c) cum hac doctrina convenit vulgata & olim ferme communis ac in Conſiſtoriis Proteſtantium uſu recepta ſententia JCtorum Proteſtantium, qui diſtinxerunt duplicem perſonam in ſuis Imperantibus nempe perſonam *Principis*, & *Epiſcopi*, ita ut qua *Princeps Jura ſæcularia*, qua *Epiſcopus Jura Epiſcopalia*, illa quidem nomine proprio & jure hæreditario, iſta nomine alieno & jure ex transactione Paſſavienſi & Pa-

ce

(a) Vid. cit Author loc. cit. §. 18.

(b) Idem Pfaffius citat Stryckium, Lynckerum, quibus Bœhmer ad Tit. de offic. Jud. Ord. addit Mylerum ab Ehrenbach, Stephani, Beſoldum, Mevium, Textorem &c. §. XXI. & XXII.

(c) Verba Bœhmeri ſunt ſequentia: *hanc doctrinam animo perpolventi inſignes ſcopuli ſe obtulerunt &c. animadvertebam revera eo ipſo minui poteſtatem Principum noſtrorum in ſacris, & quamdiu hac ſub nomine Juris Epiſcopalis defenditur, revera concedi tacite, poteſtatem hanc illis qua talibus non competere, ſed Clericis proprium eſſe, ut proinde fingere neceſſum ſit Principes noſtros Epiſcopos eſſe Papas &c.*

ce Religioſa ac Weſtphalica ſibi conceſſo exerceat. (a) Etiam hanc ſententiam velut contrariam principiis Proteſtanticis, inimicam juribus Principum, faventem Epiſcopis Catholicis, & Matrem abſurdiſſimarum ſequelarum refutat, refellit, ac diris omnibus devovet cit. Bœhmerus. (b)

Quare ipſe cum aliis pro principio inconcuſſo ſtatuit *Superioritatem territorialem.* Huic tamen opinioni ſeſe vehementiſſime opponit Pfaffius cum pleriſque DD. hodiernis illis nempe, qui inter *Jura Majeſtatica*, & *Collegialia* diſtinguere ſolent, & à nobis mox citabuntur, atque ſequentia tum argumenta, tum abſurda inde fluentia objicit: 1.mo ſtante hac opinione Eccleſia transformabitur in Rempublicam, hoc ipſo quod Principes ſint Imperantes, & membra Eccleſiæ ſint obtemperantes, & tamen omnes hi DD. Statum Reipublicæ ab Eccleſia volunt eſſe excluſum, proſcriptum, & penitus eliminatum. 2.do imperceptibile eſt, quomodo ſtare poſſit libertas Collegiorum & jura Collegialia ex ipſo jure naturæ Collegiis cohærentia, ea præcipue, quæ ipſis etiam *in ipſa* Sacra in quamplurimis caſibus competunt, ſi *Jus in ſacra* Principis ex ipſa *Superioritate Territoriali* derivetur. Nunquid 3.tio in locum *Papo-Cæſariæ*, quam Proteſtantes tantopere deteſtantur, hac ratione ſubſtituitur *Cæſaro-Papia* haud ſecus, quam illa prior, inimica Eccleſiæ cœtui, præjudicioſa libertati conſcientiarum, & everſiva Jurium Collegialium? 4.to aliud Grande abſurdū ſequi neceſſe eſt, illud videlicet, quod Principi Territoriali competat *Jus in ſacra* ſuorum ſubditorum diverſæ Religioni addictorum, id quod naturæ rei, & Religionis, omnibusque naturæ & Religionis principiis repugnat. Et quomodo non 5.to in hac ſententia ipſi Cœtus primorum Chriſtianorum, illorumque Doctores injuſtiſſimi raptores, ac alienorum Jurium invaſores audire debent, quippe qui aliena jura, nempe Principum ſæcularium iniquiſſime & uſurparunt, & exercuerunt.

Sequitur plauſibilis illa hodiernorum Proteſtantium ferme ab omnibus recepta opinio, qui ſuppoſita Hypotheſi quod Eccleſia ſit *Societas æqualis* ſeu Collegium *Jus in ſacra* ex ipſo jure naturæ & jure Principum, quod habent in Collegia, veluti ex pimævo & origina-

(a) Hanc ſententiam tenuere Carpzovius, Ziegler, Gerhard, Voet, Beſold, Brunnemanus, & plures alii à Bœhmero citati.

(b) Dicit enim: *inde plures concluſiones falſæ in praxin Proteſtantium promanarunt, & Pontificiis anſa fuit data jura Principum circa ſacra cavillationibus infirmandi, & noſtrates proprio gladio jugulandi.* §. 23. cit. tit.

ginario ſuo fonte derivant: hoc ipſo enim, quod aliqua Societas Reipublicæ & Civitati inſeratur, jam Principis Imperio ſubjicitur. Porro autem caute diſtinguenda ſunt *Jura Majeſtatica* & *Collegialia.* Habet nempe Princeps ſua jura, vi quorum ea omnia poteſt in Collegiis, quæ ad ſecuritatem, tranquillitatem, & felicitatem publicam ex ipſo fine Reipublicæ ſunt neceſſaria ſalvis tamen juribus Collegiorum: Habent etiam Collegia ſua jura, quibus contravenire ea vel diminuendo, vel immutando, vel tollendo grande foret piaculum, & hinc Principibus nullo modo competit incircumſcripta poteſtas de Collegiis, eorumque juribus diſponendi, prout libuerit: ſecus actum erit de ſalute Collegiorum: interim eſt in arbitrio Sociorum, an non aliqua Jura ſibi propria in Imperantem transferre velint. *Jura Collegialia* primaria & prcipua in eo conſiſtunt, quod hominibus liberum eſſe debeat in Societates ſeu ſacras ſeu prophanas, honeſtas tamen & licitas coire, ſeque invicem conſociare: aliter dicendum de Collegiis vel Religioni, vel Reipublicæ nocivis, quæ potius proſcribi quam admitti debent. (a) Haud ſecus Collegiis competit jus ſeſe mutuis pactis & fœderibus obſtringendi, ſtatuta condendi, præficiendi ſuis conventibus quosdam veluti Directores, quibus cura & poteſtas, ſine Imperio tamen cum poteſtate cogendi conjuncto, dirigendi negotia, proponendi, colligendi vota, exequendi decreta incumbit. Econtra competit Principi *Inſpectio Generalis* & ſuprema in talia Collegia, ne videlicet aliquid irrepat, quod aut Statui Reipublicæ, aut ipſis juribus Imperantis poſſit eſſe præjudicioſum. Ex quo fluit, quod ad Principem pertineat facultas approbandi Collegia, ipſis certas leges præſcibendi, per commiſſarios intereſſendi conventibus, moderandi illorum ſtatuta, ea immutandi, ſi bono publico nociva eſſe videantur, illorum bonis tam mobilibus quam immobilibus invigilandi, curandique, ut bene adminiſtrentur, cauſas controverſas juxta ſtatuta & conſuetudines Collegiorum decidendi, ſocios refractarios ad requiſitionem Collegii puniendi, expellendi: quæ tamen omnia & ſingula ita intelligi debent, ut Collegiis ſua jura & privilegia in ſalvo maneant, quin imo Principi incumbit ex jure Advocatiæ, ut illa conſervet, tueatur, & invigilet, ne in exercitio ſuorum jurium impediantur, turbentur, aut omnino è poſſeſſione illorũ ejiciantur. Quænam autem in ſpecie ad jura tam *Majeſtatica*

 quam

(a) Ex hoc capite recte ejiciuntur è Civitatibus Atheiſtæ, Deiſtæ, item die Frey-Maurer, quos occulte profiteri Deismum res ferme certa eſt.

quam *Collegialia* pertineant, tam facile non definiveris. Atque hæc ſententia, quemadmodum nunc paſſim à DD. Proteſtanticis ſapientioribus adoptatur, ita ex cæteris omnibus opinionibus ferme eſt mitiſſima, ac regulis ſanioris Politicæ maxime conformis, quippe quæ incircumſcriptum illum quorumdam JCtorum Proteſtantium zelum, quo in Eccleſiam non modo Catholicam verum etiam ſuam propriam, debacchantur, quodammodo reſtringit, utpote quibus ſat non erat Pontifices & Epiſcopos è poſſeſſione ſuorum jurium deturbare, verum etiam ipſum cœtum Chriſtianorum ferme omnibus ſuis juribus, quæ ipſis ſecundum propria ſua principia ex antiquiſſimo eoque Divino Jure competunt, exuere, eaque in ſuos Principes procul dubio ſtudio placendi & animo adulandi transferre, ut haud immerito dubitari valeat, utrum cœtus Chriſtianorum, cujus tamen Juribus prætenſi Reformatores omni meliori modo conſulere velle inani verborum jactantia vociferabantur, duriorem ſeritutem ante Reformationem ſervierit, vel poſt ſerviat, plusne jurium Collegialium antea habuerit, vel nunc habeat, poſtquam Principes ſæculares Jus in ſacra incircumſcriptum non invitis DD. Proteſtanticis, quin imo ſuadentibus, conſulentibus, ſuggerentibus vindicarunt.

Non poſſumus hic præterire ſingularem doctrinam cujusdam ſincerioris Doctoris Proteſtantici, quam ille in Diſſertatione quadam ſub titulo: **daß ein Catholiſcher Lands-Herr in Ehe, und andern Kirchen-Sachen ſeinen Evangeliſchen Unterthanen zu erkennen nicht befugt ſeye**, Gieſſæ an. 1753. in lucem publicam edita defendit. (a) Hanc Diſſertationem ſingulari attentione & mentione tanto eſſe digniorem exiſtimavimus, quanto majus ex ea elucet ſinceritas & amor veritatis, utpote in qua vindicantur ſua jura & Principibus, & ſubditis, quin ipſis etiam Catholicis Epiſcopis, & Pontificibus. Summa doctrinæ conſiſtit in ſequentibus. Ante omnia Author *Jura* tam *Majeſtatica* quam *Collegialia* reſpectu Eccleſiæ & cauſarum Eccleſiaſticarum quam accuratiſſime ab invicem diſcernit, unaque oſtendit, quod Eccleſia noviter à Chriſto inſtituta à primæva ſua origine in ſuis conventibus Collegialibus ſua *Jura Collegialia* per ſe ipſam exercuerit, ita tamen, ut eorum notabiliſſimam partem, aut potius eorundem adminiſtrationem ſine ullo tamen imperio aut vi cogendi, utpote quam in rebus fidei & Religionis tanquam libertatibus conſcientiarum ſumme præjudicioſam ab Eccleſia eſſe proſcri-

(a) Author eſt Joannes Georgius Ludovicus Preuſchen J. U. Licent. Gieſſenſis.

ſcribendam jus naturale, divinum, ac humanum clamitat, jubet & imperat, ſed cum ſimpliciſſima directione in Pontifices & Epiſcopos transfuderit, quamquam negari nequeat, quod tam Pontifices, quam Epiſcopi varia jura non niſi ſummis Imperantibus in Statu Reipublicæ propria uſurpaverint, ſibi arrogaverint, & exercuerint. Poſtquam autem Eccleſia Sæc. 4. Reipublicæ Romanæ fuit inſerta, Imperatores non tantum Orientales, ſed etiam Reges Francici, ac poſtea Imperatores Germanici non modo ſua *Jura Majeſtatica*, qualia ex mente noſtri authoris ſunt conceſſio liberi exercitii Religionis, confirmatio Epiſcoporum, convocatio Conciliorum, exercitium juris Advocatiæ &c. quam liberrime exercuerunt, verum etiam quamplurima *Jura Collegialia* connivente & non contradicente Eccleſia ad ſe attraxerunt. Diſſimulaverat nempe Eccleſia hujuscemodi abuſus & uſurpationes, eo quod & Pontifices & Epiſcopi hoc ipſum attentaverint, & cœtum Chriſtianorum plerisque ſuis juribus, qualia erant jus eligendi Epiſcopos, intereſſendi Conciliis, exuerint. Atque hoc ipſum eſt, ex quo tot graviſſimæ non ſine ſcandalo & ſummo Eccleſiarum præjudicio inter Pontifices, Epiſcopos, & Imperatores non raro per plura Sæcula agitatæ controverſiæ ſuam traxerunt originem, quibus abundant Hiſtoriæ.

Duraverat hæc Eccleſiæ diſciplina ad tempora usque Reformationis: quum ecce! inter prima Reformationis incunabula de *regundis finibus* agitatum, & qua arte jura controverſa dividi, & cuique ſuum jus attribui poſſit, deliberatum. Placuit demum in Pace Weſtphalica, ut Principibus ſæcularibus *Jus in ſacra*, item *reformandi* cum omnibus ſuis annexis juribus velut appendix cohærens *Superioritati Territoriali* concederetur ſalvis tamen *Juribus Collegialibus* ipſius Eccleſiæ, quæ apud cœtum remanſerunt, & remanere debuerunt, niſi in quantum cœtus ipſe quædam *Jura Collegialia* vel expreſſe, vel tacite in Principes transtulit, id quod ipſis probandum erit. Si quidem non eſt in poteſtate Imperantium aut Rectorum in ſtatu quocunque etiam *Conjugali*, & *Herili* jura Societatum ex ipſa lege naturæ & Societatis fluentia, & eidem cohærentia turbare, impedire, aut per injuſtas invaſiones ſibi ipſis arrogare. Ex his infert laudatus author, quod Pontifices & Epiſcopi *Jura Collegialia* à plebe in ipſos vel expreſſe vel tacite translata omni jure exercuerint, & in hoc ſolo exceſſerint, quod quædam & *Jura Majeſtatica* & *Jura Collegialia* ſibi arrogaverint. Sed nec ipſos Imperatores excuſat, eorum-

rumque injuſtas invaſiones, & uſurpationes ſat acriter perſtringit. En! Doctrinam Doctoris Proteſtantici, quam ex integro nec approbamus, nec reprobamus. Aliquas tamen deſuper adimadverſiones facere placuit. Et inprimis id animadvertimus, quod authoris intentio eum in finem principaliter collimaverit, ut & Principum ſæcularium abuſus, & uſurpationes in exercitio *Juris in ſacra* omnia ſusque deque vertentium, & Jura Collegialia mirum in modum turbantium perſtringeret, & ſuæ Religionis Collegas adulandi ſtudio promovendis, ſublimandisque juribus Principum unice inſudantes rubore ſuffunderet. Ulterius id fateri cogimur, quod hactenus nullum Authorem Proteſtanticum legere conceſſum fuerit, qui principiis noſtris Catholicis propius accederet, Epiſcoporum jura majori libertate confiteretur, & abuſus Imperantium ſincerius, modeſte tamen & cum multa circumſpectione depingeret. Fatetur vir doctiſſimus inprimis, quod ipſe populus plura *Jura Collegialia* in Epiſcopos transtulerit, hi vero eadem omni jure usque ad tempora Reformationis exercuerint, & in hanc usque diem exercere poſſent, niſi à cœtu Proteſtantico iisdem exuti fuiſſent. Addit tamen, uti antea animadvertimus, Epiſcopos haud pauca *Jura Collegialia* populo ſubtraxiſſe, nec pauciora *Jura Majeſtatica* ſibi arrogaſſe. Inde autem quid ſequitur, niſi quod primo Epiſcopi in legitima poſſeſſione jurium Eccleſiaſticorum plurimorum fuerint, adeoque injuriam faciant Epiſcopis Doctores illi Proteſtantici, qui Epiſcopos velut uſurpatores & invaſores jurium Eccleſiaſticorum omnium ſugillant, traducunt, & criminantur. Sequitur ulterius & 2.do, quod prætenſi Reformatores *uſum* ab *abuſu* ſeparare debuiſſent, Principibus *Jura Majeſtatica* vindicare, populo quædam *Jura Collegialia*, inique ex illorum opinione ſubtracta reſtituere, non vero Epiſcopos è ſua antiquiſſima poſſeſſione dejicere, omnibus ſuis juribus ſpoliare, & jura ferme omnia non modo *Majeſtatica* ſed etiam *Collegialia* contra fidem datam in Imperantes transfundere. Sequitur 3.tio, quod Principibus incumbat onus probandi, hoc vel illud *Jus Collegiale* ſeu expreſſe, ſeu tacite à populo in ipſos translatum, ſecus pro libertate & juribus populi erit pronuntiandum, quis autem non videat, talem probationem ſæpiſſime fore aut impoſſibilem, aut certe difficillimam?

Fatetur laudatus Author ulterius, quod ipſi etiam Imperantes in exercendis ſuis juribus exceſſerint, & *Jura Collegialia* non pauca uſurpaverint, qualia ſunt convocatio Conciliorum, directio, & ſuf-

ſuffragium in Conciliis, conſtitutio Epiſcoporum, & plura alia, quæ laudatus author adducit. (a) Ubi etiam occaſionem, cur Imperatores tot *Jura Majeſtatica* ſibi attraxerint, fuſius recenſet, eamque duplicem aſſignat. Primam repetit ex *Pontificatu* Conſtantini M. quippe qui titulum *Pontificis Maximi* à ſuis Prædeceſſoribus Ethnicis uſurpatum etiam poſt ejuratum Gentilismum retinuit, & vi *Pontificatus* varia jura, prærogativas, atque eminentias Collegiales ſibi reſervavit. Alterum deſumit ex abuſu Epiſcoporum, quum enim Epiſcopi plura *Jura Collegialia* ad ſe attraherent, eodem jure uti volebant Imperatores, & connivente populo aliunde Epiſcopis parum favente, eo quod ab exercitio ſuorum Jurium illorum authoritate excluſus fuerit, ad inſtar Epiſcoporum plura *Jura Collegialia* ſibi reſervarunt. Qua ratione id ipſum fecerint Reges Francici, Imperatores Germanici usque ad Henricum IV, & V. donec Romani Pontifices hæc jura ſibi vindicaverint idem fuſius deducit. (b) Quærere jam liceat, an non Principes Proteſtantici poſt tempora Reformationis, & ſingulariter à tempore Pacis Weſtphalicæ idem faciant, quod fecere Imperatores antea, an non majori vi agant in *Jura Collegialia*, eaque ferme omnia ſibi arrogent, an non Proteſtantes plus cauſæ habeant conquerendi contra ſuos Principes & direptiones ſuorum *Jurium Collegialium*, quam habuere olim contra Pontifices & Epiſcopos? Videant igitur quomodo ſuo Cœtui à ſuis Reformatoribus fuerit conſultum, qui, dum ſuis aſſeclis libertatem conſcientiarum non tantum ſed etiam reſtitutionem ſuorum Jurium promittebant, hæc ferme omnia in tertium, videlicet in Principes Territoriales tranſtulerunt. Nempe quidquid fecere Pontifices, & Epiſcopi, abuſus fuit, omnia illorum acta & geſta non niſi attentata fuerunt, econtra quidquid agunt Principes ſæculares, jure agunt, faciunt, ſtatuunt, & decernunt.

Ad 3.tium caput jam delabimur. Haud ſecus in deſignandis finibus *Juris in ſacra*, quam in adſtruendo illius fundamento inter ſe ſcinduntur DD. Proteſtantici. Et inprimis quidem nemo liberalior unquam in Imperantes fuit, aut eſſe potuit, quam Hobbeſius,

(a) Ubi inter *Jura Majeſtatica* & *Collegialia* in celebratione Conciliorum accurate diſtinguit: ad *Majeſtatica* refert jus dandi facultatem, ut celebretur Concilium, vel prohibendi, jus intereſſendi, & audiendi, ne quid Reipublicæ contrarium ſtatuatur. Jus confirmandi, & illius decretorum executionem procurandi. Ad *Collegialia* refert jus convocandi, dirigendi, dandi votum: ex quo colligere licet, quod licet Imperatores Concilia convocaſſe legamus, id vel mere *de facto* connivente Eccleſia, vel *nomine* potius *alieno*, quam proprio fecerint, hoc ipſo quod convocatio ſit *Jus Collegiale.*

(b) Pag. 57.

ſius, qui, quidquid Religionis aut Juris Eccleſiaſtici eſſe poteſt, id omne ad imperium Civitatis pertinere contendit, quorſum etiam ipſum jus ſtatuendi de dogmatibus Chriſtianis refert, excepto ſolo dogmate: *quod JESUS ſit Chriſtus DEI*, reliqua enim credendi capita, inquit, non ſunt *fidei*, ſed *obedientiæ*, in quibus ſi errent Chriſtiani non ipſi, ſed Imperantes rationem reddere debent. (a)

Huberus diſtinguit inter jus regendi Eccleſiam *internam* & *externam*, in hunc modum, ut ea, quæ DEUS determinavit, & ad ſuum judicium immediate pervenire voluit, imperio Civili non ſubjaceant, ſecus ac illa, quæ ſe aliter habere poſſunt, niſi quædam hujusmodi *externa* ſint, ut *interna* quoque jura involvant, aut impediant. (b) Ad jus illud *internum* refert *confeſſionem fidei internam*, à qua ex jure naturæ omne imperium exulare debet, *facultatem exercendi conventus fidelium* eo número, qui ad excitandam Religionem, credentiumque communionem eſt neceſſarius, additque hujus rationem: *Quum ejus rei præceptum à DEO in verbo ſuo expreſſum exſtet, atque à fidelibus ſemper invitis etiam poteſtatibus mundi hæc facultas exercita fuerit* (c), *judicium de fugiendis improbis*, *jus clavium*, vi cujus cœtus ipſe indignos à communione Sacrorum valet excludere non per *vim & violentiam*, ſed *per meram ſeparationem*, *ſeu ſeparationis inſinuationem*, *jus conſtituendi Doctores & Rectores in cœtu neceſſarios &c.* En! quam liberalis ſit Huberus in deſignandis Juribus ad cœtum pertinentibus haud ſecus quam illi DD. qui inter *Jura Majeſtatica* & *Collegialia* diſtinguunt. (d) *Interim*, pergit Huberus, *in his omnibus ſuæ ſunt partes Poteſtatis ſummæ*; *& per modum generalis regulæ habendum eſt*, *quod Imperantes jus habeant exercendi*, *omnia dirigendi*, *quæ ad conſtituendum*, *augendumque DEI cultum pertinent:* in ſpecie habent *jus impediendi ea*, *quæ vero DEI cultui adverſantur* (e), imo etiam *animadvertendi*, *cobibendi*, *& coercendi.* (f) *Imponendi ſilentium* utrique parti, ſi de aliquo dogmate dubitetur, usque dum à parte majori Eccleſiæ facta fuerit deciſio

(a) Hobb. de Cive cap. 18. §. 6.

(b) Lib. 1. Sect. V. cap. 2.

(c) Loc. cit. cap. 3. Num. 2.

(d) Hæc omnia, inquit Huberus, ignaris quoque, & invitis Imperantibus fieri poſſe conſentaneum eſt, ſicut ab ipſis Apoſtolis, primisque Chriſtianis ex mandato Domini contra voluntatem Imperatorum inſtituta ſunt.

(e) Sic Ezechias amovit excelſa, fregit ſtatuas, ſuccidit lucos. Nabuchodonoſor membratim diſcerpi juſſit eos, qui Hebræorum DEO maledicerent.

(f) Ex hoc capite poſſunt Principes ejicere Atheos, Deiſtas, Naturaliſtas, Indifferentes &c.

ſio (a), *jus condendi leges juxta conſenſum Eccleſiæ*, item quædam quoad circumſtantias loci & temporis determinandi circa ea, quæ *Religionem*, *Sacra*, & *conventus credentium* ſpectant. (b) Denique concludit, quod poteſtas civilis in omnibus exerceri valeat, quæcunque conſenſu Chriſtianorum ſalva Religione fideique concordia, ſacrisque literis aliter, ac aliter ſe habere poſſunt. Poſtea ſubjungit aliqua jura, quæ vel ad populum, vel ad Imperantes pertinere poſſunt uti jus eligendi Doctores, & Paſtores, adminiſtrandi bona Eccleſiaſtica. (c) Ex his apparet, Huberum adhuc eſſe valde diſcretum in determinandis finibus jurium, ſecus, quam illi, qui *Jus in ſacra* ex Superioritate Territoriali derivant: hi enim ſacra & prophana, fas & nefas permiſcent, Imperantem ferme Exlegem faciunt, cœtui Eccleſiæ non niſi umbram jurium relinquunt, & *Jus in ſacra* incircumſcriptum in Principes transferunt.

Nimis longum foret adducere ſententiam Hugonis Grotii, quam in ampliſſima ſua Diſſertatione de ſummo Imper. Poteſt. circa ſacra ſuſtinet, in qua profecto exorbitat, atque poteſtatem *circa ſacra* penes Imperantes reſidentem ultra fines debitos cum ingenti exceſſu dilatat, ut merito dubitem, an aliquis Proteſtantium ſit, qui Jus in ſacra tantopere extendere, aut omnia Grotii principia adoptare audeat. Audiamus unice illos, qui inter *Jura Majeſtatica* & *Collegialia* conformiter dictis diſtinguunt, hos inter præprimis audire juvat Joannem Georg. Eſtor Hiſtoriographum Haſſianum, (d) qui equidem dicto modo *Jura Majeſtatica* & *Collegialia* à ſe invicem ſeparat, attamen in eo ſummopere excedit, quod aſſerat, totum fermè *Jus in ſacra* in Principes à plebe fuiſſe translatum. (e) Optime nempe perſpexerat vir ſagaciſſimus, quod ſtatus Proteſtantici *Jus in ſacra* incircumſcriptum exerceant, illudque ferme ad omnia *Jura Collegialia* ex ipſis illorum principiis ad cœtum pertinentia extendant. Ut ergo ampliſſimum hunc jurium uſum vel abuſum fucato aliquo titulo communiret, finxit *liberam translationem* à populo in Principes factam, poſtea in Pace Weſtphalica lege publica ſtabilitam; porro autem quo argumento hoc ſuum nudum aſſertum probabit? translatio facti eſt: ergo probanda, cujus probatio

(a) Et ideo facultatem de rebus divinis judicandi contra Grotium Principibus ſæcularibus denegat.

(b) Illuſtrat hoc Huberus variis exemplis ex Jure civili depromptis e. g. ex Novel. 137. c. 6. ubi præcipitur, ut Baptismatis & Ss Communionis Canon alta voce dicatur ex Nov. 58. ubi ſacra Myſteria in domibus privatis peragere inhibetur. Novel. 13. ne Presbyter fiat minor 30. annis. Novel. 9. ne Epiſcopus à ſua abſit Eccleſia &c.

(c) In Delineat. J. P. Eccl. cap. 8.

tio tanto eſt difficilior, quanto major in dubio ſtat præſumptio pro libertate populi, quum in dubio nemo jus ſuum jactare velle cenſeatur. Ait quidem Eſtorius, quod jam antiqui Imperatores Chriſtiani, & dein Germani nomine populi & ex conſenſu illius vel expreſſo vel tacito *Jura Collegialia* cum *Majeſtaticis* felici nexu combinarint, & indiviſim exercuerint. At vero jure, vel facto, an id fecerint, nondum nobis probatum eſt. Jam videamus, qualem hic author diviſionem, aut potius confuſionem finium in exercendis juribus Majeſtaticis & Proteſtantibus ſtatuat. Sed quid dico diviſionem? ipſe enim fatetur, quod nulla amplius detur communio jurium, ſed ſolus Princeps nomine collegii Jura Collegialia exerceat: itaque ad jura, quæ Princeps nomine Collegii exercet, ſequentia reducit: 1.mo Jus ſeu poteſtatem ferendi leges Eccleſiaſticas, & præſcribendi normam, juxta quam in ſcholis, judiciis, & Eccleſiis cuncta veniunt peragenda, quorſum pertinent leges, quas vocat *Hierarchicas*, ſtatuendi dies faſtos, & nefaſtos, præſcribendi ritus & cæremonias ſacrorum, conſtituendi templa & cœmeteria, indicendi Jubilæa, jejunia, ordinandi ſolemnia precum publicarum, Paſtoribus themata concionum, & textus vel loca Scripturæ in Catecheſibus explicanda aſſignandi, approbandi vel improbandi pſalmos & hymnos & collegia pietatis. 2.do Jus efformandi *Libros Symbolicos*, præſcribendi formulas credendorum, dogmata dubia explicandi, interpretandi, decidendi; adhibito tamen conſilio Theologorum, ita tamen, ut præcipuam authoritatem hæ credendorum regulæ ab ipſo Principe mutuent. Inde venit, quod Princeps Paſtores & Doctores obliget, ut antequam munus docendi aſſumunt, jurejurando libris Symbolicis ſeſe alligent. Quod ſi ergo de fide exoriantur controverſiæ, ipſe decernit, utrius ſententiam doceri velit: ſin diſputantes nimio abripiantur fervore, concertationibus finem ponit. Quid multis, ipſe eſt ſupremus controverſiarum fidei Judex, ipſe ſupremo ſuo judicio definit, decidit, & fert ſententiam. 3.tio *Jus diſpenſandi* prorſus incircumſcriptum. Princeps igitur diſpenſat quoad ætatem, vitia corporis, defectum natalium, pluralitatem Præbendarum cum illis, qui ad Canonicatus, vel miniſteria Eccleſiaſtica aſſumuntur, item quoad celebrationem Feſtorum, numerum Patrinorum in Baptiſmo. Ipſe abolet Exorciſmum in Baptiſmo, confeſſionem privatam commutat in publicam, permittit paſtoribus, ut ſumant numum confeſſionalem, pœnitentiam Eccleſiaſticam convertit in mulctam pecuniariam, illis,

qui

qui ob ſcrupulum conſcientiæ panem orbicularem in ſacra Cœna recuſant, permittit panem conſuetum. 4.to ***Jus diſpenſandi prorſus exorbitantiſſimum in cauſis Matrimonialibus.*** Nimis longum foret, ſi caſus & cauſas omnes, in quibus ex mente Eſtorii Princeps diſpenſare poteſt, recenſere vellemus. (a) Quis non obſtupeſcat, qui hæc & his ſimilia audit, legit, & intelligit? ubinam Chriſtus Dominus Principibus talem ac tantam dediſſe poteſtatem legitur? quomodo ſtantibus his Eccleſia manebit ***Societas æqualis***? anne ulla datur ***Societas æqualis*** ſine ***juribus Collegialibus***? profectò hoc nihil eſt aliud, quam Statum ***Societatis liberæ*** commutare in ***Statum miſerrimæ ſervitutis.*** an unquam populum in iſta conſenſiſſe probari, aut præſumi poteſi? ſiccine Proteſtantes in libertatem conſcientiarum, & poſſeſſionem ſuorum jurium à ſuis Reformatoribus ſunt reſtituti? num Chriſtiani tam miſeram, ac ferream ſervierunt ſervitutem ſub jugo Papali, & Epiſcopali, uti dicunt, qualem hodie ſub jugo ſuorum Principum ſervire Proteſtantes coguntur? ubinam terrarum jura Miniſtrorum Eccleſiæ DEI jam exiſtunt, quæ ſatentibus ipſis Proteſtantibus in primis Eccleſiæ Sæculis jure exercuiſſe leguntur. Cætera quæ præfatus Author ſive ex littera, ſive ex mente Pacis Weſiphalicæ quoad jus reformandi, exercendi jus primarum precum, & Menſes Papales, ſæculariżandi bona Eccleſiaſtica, vindicandi bona ſæculariżata, diſponendi de decimis, conferendi Canonicatus Statibus Imperii vindicat, non moramur. Hæc & his ſimilia ipſis Proteſtantibus ſecundum principia Juris naturalis, & divini, Religionis, & ſanæ rationis indifferenti animo & ſepoſitis præjudiciis expendenda relinquimus.

Ne autem oriatur ***confuſio finium***, atque ut ſciamus, quænam ex mente Proteſtantium ſint Jura ***Collegialia*** & ***Majeſtatica***, placuit illa ſpeciatim ex Pfaffio (b) & ſupra laudato Preuſchio recenſere. (c) Prior ***Jura Collegialia*** ſequentia recenſet. 1.mo Societas ſacra habet ***jus condendi formulam fidei ſeu normam credendornm***, ad quam omnes & ſinguli conformiter tamen dictamini conſcientiæ obligantur. 2.do ***Jus ordinandi Sacra***, & ea, quæ ad cultum divinum pertinent, atque adeo ritus, & cæremonias, quin & locum & tempus præſcribendi, quibus

(a) Paucos recenſere ex cit. authore liceat: ſic enim ait, Princeps diſpenſat in omnibus ferme impedimentis conſanguinitatis, affinitatis, cognationis legalis, erroris, raptus, criminis, ligaminis, impotentiæ &c. ſupplet conſenſum parentum, remittit denunciationes, permittit amiſſionem Benedictionis ſacerdotalis &c. & quod magis eſt diſſolvit Matrimonium tam ratum, quam conſumatum ex cauſis juſtis &c.

(b) Academiſche Reden erſter Abſchnitt cap. 8.

(c) Cit. Diſſerat. cap. 2.

bus divina celebrari debent. 3.tio Jus eligendi, & conſtituendi Doctores, & Paſtores. 4.to *Jus condendi leges conventionales, & pœnas pariter conventionales ſtatuendi.* 5.to *Jus excommunicandi, aut è cœtu excludendi illos, qui pacta ſervare nolunt.* 6.to *Jus reformandi abuſus.* 7.timo *implorandi Brachium ſæculare*, vel aliqua Jura Collegialia pro meliori bono Societatis exigente vel neceſſitate, vel utilitate transferendi in Imperantes. Contra hæc ſibi ipſi movet ſcrupulum prælaudatus Pfaffius, utrum Imperantes vi inſpectionis generalis ſibi in Societates competentis jus determinandi ea, quæ ad diſciplinam Eccleſiaſticam pertinent, & conſcientiam non tangunt, libere determinare valeant, quod idem de jure conſtituendi Miniſtros Eccleſiæ quærit, & relatis variorum opinionibus in opinionem negativam deſcendit, aſſerens opinionem contrariam eſſe præjudicioſam libertatibus conſcientiarum, contrariam Juribus Societatum, inimicam omnibus legibus, hocque modo Societates omnes ſublatum iri, id quod variis exemplis illuſtrat. (a) Poſtquam hæc adduxit, quærit, utrum Jura Collegialia habeant fundamentum in Scriptura, an poſt Reformationem ad Principes jure ſeu devolutionis, ſeu translationis pervenerint? primum abſolute affirmat, & ad Scripturam unice appellat, videlicet ad Math. cap. 16. verſ. 17. Act. Apoſt. 1. 15. 1. Cory. 6. &c. quidni appellavit ad traditionem primitivæ Eccleſiæ, in qua ferme omnia, ſaltem præcipua Eccleſiæ negotia communi populi & Cleri ſuffragio fuiſſe agitata ipſi Proteſtantes fatentur. Alterum videtur affirmare, ſed non ſine formidine de oppoſito. Et quid mirum? Theológus enim eſt, non JCtus, Miniſter Eccleſiæ eſt, non Principis, & nunc Generalis Superintendens eſt, non Primarius Cancellarius aut Pro-Rex ſupremi cujusdam Regis. Solent JCti Proteſtantici in diſpenſandis Juribus Eccleſiaſticis liberaliores eſſe erga ſuos Principes, parciores, & ſcrupuloſiores Theologi. Illi litant Principi, iſti Cœtui: & quare? ſunt priores ſuis Principibus à conſiliis intimis, promoventur ad prima honorum & dignitatum ſubſellia, cumulantur opibus, & divitiis, coguntur econtra Miniſtri Eccleſiarum ſervire tempori, ſæpius vivere contenti exiguis præbendis, in rebus omnibus circa ſacra agendis obtemperare ordinationibus Principum &c. ne au-

(a) E g. non poteſt Princeps adimere ſua jura Collegialia Societatibus literariis, Mercatorum, Opificum, imo ne quidem *juribus permiſſivis* detrahere poteſt e. g. ſi plebs ruſtica haberet jus venandi baſſum. Exinde infert, id multo minus in Societate Eccleſiæ fieri poſſe, cum hæc jura ſint altioris fori, Juris divini, & agatur de articulo libertatis Chriſtianæ à Chiiſto nobis reſtitutæ pag. 161.

autem injuriam facere videamur viro huic de Republica literaria optime merito, id unum nobis exoramus, ut ipſius argumenta non nihil attentius legantur. Hoc unicum indifferenti animo expendere libeat. Diſtinguit Pfaffius inter Statum Eccleſiæ *Ordinarium*, ſeu *Originarium*, & inter Statum *extraordinarium ex capite neceſſitatis*, demum infert, ex neceſſitate factum eſſe, ut *Jura Collegialia* ad proſcribendum Dominatum Pontificum & Epiſcoporum ad Principes devolverentur. Verum enim vero quo argumento ipſe hanc abſolutam neceſſitatem probat? nullumne aliud dabatur remedium excutiendi jugum Eccleſiaſticum, & priſtinam vindicandi libertatem, quam novam, eamque miſerrimam ſubire ſervitutem? ergone miſerrima Societas Eccleſiæ ſe ipſam debuit ſpoliare, exuere, & denudare omnibus ſuis juribus à ſuo authore tam liberaliter ſibi conceſſis, victas dare manus, novos ſibi iniicere compedes, ſeque totam relinquere arbitrio ſuorum Principum, quibus longe major eſt præpotentia virium ad compeſcendos refractarios, eosque in ſuo officio continendos? hæcne illa libertas aurea Neophytis Proteſtanticis promiſſa, & aſſerta? ſi liberiorem vivendi licentiam ex diſpenſatione legum & divinarum & humanarum promanantem excipias, vel nihil, vel parum libertatis pretio ab homine prudenti æſtimabilis ex parte ſubditorum in toto opere Reformationis reperies. Occurrit, dum hæc ſcribimus, exemplum rei huic illuſtrandæ perquam opportunum. Memoria recolant Reformati hiſtoriam de *Jure Reformandi* mox ab initio Reformationis à Principibus Territorialibus uſurpato, ſibique ipſis ſine lege vindicato, & poſtea in Pace Religioſa & Weſtphalica ſtabilito. Noverint, quantopere Principes in illius uſu & illimitato exercitio exceſſerint, quomodo illud pro ſuo libitu & arbitrio, proſcribendo ſubditos alterius Religioni addictos exercuerint. Noverint, primos limites eidem fuiſſe poſitos in Pace Religioſa, quin tamen ſubditi præter *flebile beneficium emigrationis* aliud eblandiri potuerint. Noverint tandem, quanti laboris opus fuerit, donec in Pace Weſtphalica ſuis rebus melius proſpexerint, & id tandem obtinuerint, ut jam *Jus reformandi* ad *annum normalem* an. 1624. reſtringeretur. Plura exempla menti occurrunt, ſe ſeque calamo quaſi violenter obtrudunt, à quorum tamen recenſitione brevitatis cauſa nobis eſt abſtinendum. Ingerit Pfaffius, impoſſibile fore, ut in Republica Chriſtiana per integra Regna & Provincias diffuſa evitetur confuſio, conſervetur pax, & ſtet ſecuritas ſine imperio cum vi com-

pellendi conjuncto, aut certe continuo recurrendum erit ad Principes, ut ſuo gladio homines in ſuo officio contineant, refractarios compeſcant, turbas, confuſiones, & ſeditiones è medio tollant. Verum quid hæc probant, niſi quod *Jura Collegialia* omnium Societatum tolli, & in Principes transfundi debeant. Poteſt ſtare, & ſtat pax & tranquillitas in Republica *Democratica*, & *Ariſtocratica Politica*, cur non *Eccleſiaſtica*, maxime ſi Principi *Jura Majeſtatica* vindicentur, cui ſemper inſpectio generalis in ſalvo manere debet. Replicat Pfaffius, alio modo non poſſe obviari periculo, ne *Papo-Cæſaria* poſtliminio reaſſumptis viribus Societatem Eccleſiæ invadat. Porro autem tantum certe periculum *Papo-Cæſariæ* iterùm introducendæ non militat, quantum ſibi imaginantur, poſtquam Pontifici ſua jura è manibus extorſerunt, ſibique vindicarunt, aut, demus *Jura Collegialia* non eſſe penes Principes, an non ipſis ex ipſo jure Principatus & principiis Juris naturalis incumbit obligatio Collegiis ſuæ Reipublicæ innexis ſua jura ſarta tectaque conſervare? Dicere audemus, pleroſque & Theolooos & JCtos ambobus pedibus in noſtram ituros ſententiam, niſi Principibus velificandum foret. Nempe *Ratio Status* non communis, ſed particularis reſtringit linguam, & refrænat calamum: agitur nempe de pane lucrando, de amittendis vel acquirendis dignitatibus, Miniſteriis, officiis, corradendis opibus &c. Quæ ſit ſincera opinio Pfaffii, ex propriis verbis emetiri licet, ſic enim habet: Wo Gemeine der Heiligen ſind, thut die Obrigkeit nicht wohl, wenn ſie da die Kirchen-Rechte, welche die Gemeine ſelbſt durch gute Anſtalten verwalten können, mit Gewalt, und ohne derſelben Einwilligung an ſich ziehet. Das iſt wider die urſpringliche Jura deren Collegiorum. Eben deswegen vergönnt man auch in Holland denen Gemeinen das Exercitium ihrer Jurium Collegialium gar gern, da ſonſt die Obrigkeit daſelbſt jaloux genug auf ihre Rechte iſt. Eben deswegen hat auch der König in Preuſſen den Refugiés gar gerne gleiches Recht eingeſtanden. Hæc de Syſtemate Pfaffii paucis dicta ſufficiant.

Audiamus, quales jurium fines Preuſchius determinet, & quid de ipſo illorum exercitio ſtatuat. Ad *Jura Collegialia* refert potiſſimum *juſ ſtatuendi formulam fidei*, ad quam recipiendam quemadmodum nemo cogi, ita ſine receptione illius ſaltem quoad dogmata fundamentalia nemo illius Societatis membrum eſſe poteſt. Item *jus faciendi liturgias*, præſcribendi cæremonias ritusque in celebratione Divinorum, obſervatione Feſtorum in conventibus publicis &c.

ob-

obſervandos. *Jus condendi ſtatuta*, *& canones*, ſtatuendi pœnas, excommunicandi, ſeu proſcribendi è cœtu diſſentientes, convocandi, & celebrandi concilia, communi vel majori ſuffragio in rebus majoris momenti concludendi, bona communia Eccleſiæ adminiſtrandi &c. quod ſi jam talem Societatem Reipublicæ inneсti contingat, inde conſurgunt ex parte Imperantis *Jura Majeſtatica* in eam, & inter hæc *Jus concedendi exercitium* Religionis, illud reformandi, reſtringendi & ampliandi. Jus concedendi varia privilegia vel toti Societati, vel præcipuis membris, vel illius Directoribus e. g. ſtatuendo ne quis alius, quam qui eſt membrum Eccleſiæ, ad officia publica promoveatur. *Jus ſtatuendi pœnas* contra illos, qui in ipſo Religionis exercitio, & celebratione ſacrorum *Jura Majeſtatica* violant e. g. tradendo doctrinas Imperantium juribus nocivas, rebellionum incentivas &c. *Jus legatos vel commiſſarios mittendi ad Concilia*, confirmandi Canones, & decreta, illorum obſervantiam urgendi. Poſtquam citatus Author tam Reipublicæ, quam Societati ſuos determinavit fines, ſuum ſyſtema ulterius proſequitur, quod in his potiſſimum conſiſtit capitibus: Jam ait poſitis finibus jurium tam *Majeſtaticorum* quam *Collegialium*, nec Respublica Eccleſiæ, nec Eccleſia Reipublicæ ſua ſubtrahere jura poteſt, liberum tamen erit Eccleſiæ vel omnia, vel aliqua de ſuis juribus vel in ſuos Directores, vel ipſos Imperantes transferre, dummodo Imperans ſit membrum Eccleſiæ: quum enim hæc jura cum *intrinſecis & eſſentialibus Religionis* ſint connexa, profecto ea nemo exercere poteſt, niſi ſit membrum Eccleſiæ. Poſtea ad ipſum Statum Eccleſiæ progreditur & probat, quod directio hujus Societatis à Chriſto fuerit commiſſa Apoſtolis, & poſthac à plebe Miniſtris Eccleſiæ, ita quidem, ut quædam *Jura Collegialia* in hos Eccleſiæ Directores transtulerit, quædam autem ſibi reſervaverit. Ad jura Directorum pertinebant jus convocandi Concilia, iisdem præſidendi, dirigendi negotia, proponendi, ultimato judicio concludendi. Item jus ordinandi divina, jus adminiſtrandi bona Eccleſiaſtica. Jura autem toti *Cœsui reſervata* erant ſequentia jus celebrandi Concilia, & dandi ſuffragium. (a) Jus excommunicandi, & proſcribendi membra è ſuo cœtu. (b) Jus recipiendi, & poſtliminio admittendi ad cœtum pœnitentes. (c) Jus eligendi Eccleſiæ Miniſtros, diſpenſandi mi-

(a) Act. 15. ubi populus cum Apoſtolis, & Senioribus ſuſtulit obſervantiam legalium.

(b) Sic Apoſtolus 1. Cor. V. exprobrat Corynthiis, quod inceſtuoſum non ejecerint.

(c) 2. Cory. 2. ubi rogat, ut inceſtuoſum in communionem recipiant: *propter quod obſecro vos, ut confirmetis in illum charitatem.*

miniſteria, & diſtribuendi officia. (a) Jus indicendi ferias, ac determinandi dies feſtivos. (b) Succeſſu jam temporis factum eſt, ut fieret confuſio finium, quatenus tum Directores, nempe Pontifices, & Epiſcopi, multa jura tam *Majeſtatica* Imperantibus, quam *Collegialia* Cœtui, tum Imperantes plura *Jura Collegialia* æque Miniſtris Eccleſiæ ac ipſi cœtui competentia invaſerunt, ſibique arrogarunt (c), donec per Reformationem utrique malo fuerit proſpectum, & tam Cæſari, quod eſt Cæſaris, quam Eccleſiæ, quod eſt Eccleſiæ, fuit reſtitutum, cum hoc tamen notabiliſſimo diſcrimine, quod plurima pars *Jurium Collegialium* conſenſu populi ad Imperantes fuerit devoluta. Nolumus hic repetere, quæ jam antea contra hanc translationem fuſius deduximus. Unum hic ſingulariter animadvertere placuit contra DD. Proteſtanticos, qui ſæpiſſime à factis Hiſtoricis ad jus argumentantur, & quod ab Imperantibus iterato vel ſæpius factum eſſe legunt, jure, & quidem *jure proprio* factum eſſe aſſerunt. Demus hujus rei exemplum: quid magis notum & publicum eſt, quam quod Proteſtantes jus convocandi Concilia, iisque præſidendi tanquam *jus proprium* ſuis Imperantibus adſcribant ex ea potiſſimum ratione, quod illud exercuerint. Et tamen fatentur, quod hoc jus ſit jus quoddam *Collegiale*; quod proin non *nomine proprio*, ſed *alieno* exercuerunt, vel *authoritate propria* ſibi arrogarunt.

En! diverſitatem ſententiarum in novo ſyſtemate Proteſtantico & hoc ipſo de veritate ſuſpecto. Si quis jam cauſam quærat, cur in tot opiniones DD. Proteſtantici ſcindantur, hujus rei non unam, ſed plures dare perquam eſſet facile. Una, eaque magis præcipua, quam jam ſupra attigimus, ſufficiat. Animadvertunt nempe Proteſtantes quam optime quam periculoſo ac ruinoſo ſuum ſyſtema fundamento ſit ſuffultum. Animadvertunt præterea, quam male ſuæ Eccleſiæ, Statui politico, ſibique ipſis conſuluerint, quod ſuos Principes in arcem ſummæ, & illimitatæ poteſtatis extulerint, *Jura Collegialia* omnia & ſingula in eos transtulerint, & econ-

(a) Act. 1. 15. ubi in locum Judæ ſuffectus fuit Mathias, & Act. 6. quando ſeptem Diaconi fuere electi.

(b) Ad Gal. 4. exprobrat Galatis, quod dies, menſes, tempora & annos quaſi ex præcepto obſervent.

(c) Inter Jura Collegialia ab Imperantibus cœtui ablata, & ab ipſis uſurpara refert cit. Auth. cognitionem & deciſionem cauſarum Eccleſiarum, prout fecit Conſtantinus in cauſa Donatiſtarum, & fecere Honorius, Theodoſius, Valentinianus, Anaſtaſius, Juſtinianus in cauſis matrimonialibus item convocationem Conciliorum & directionem illorum, aliasque.

econtra Eccleſiam é ſolio Reipublicæ deturbaverint, eamque non modo ad infima ſubſellia *ſimplicis Collegii*; verum etiam miſerrimum *ſervitutis ſervilis* ſtatum detruſerint, omni Majeſtate exutam, omnibus ſuis juribus cuivis Societati ſimplici propriis denudatam in manus Principum tradiderint, atque ex nunc inſtar Ancillæ Statui politico famulanti miſeram ſervire ſervitutem coegerint. Animadvertunt errorem hunc à primis mox Reformatoribus commiſſum præcipue Theologi Proteſtantici, ac Miniſtri Eccleſiarum, quibus communius anguſta res domi eſt, & præter munus prædicandi & quædam Sacramenta adminiſtrandi aliud juris vix aliquid eſt relictum, quin in participium Regiminis Eccleſiaſtici vel à longe, vel non niſi in caſu rariſſimo admittantur, id quod ipſis tanto accidere debet gravius, quanto magis ipſis perſpecta eſt ampliſſima poteſtas, quam, ſi non in regimine cum Imperio conjuncto; ſaltem in adminiſtratione jurium Collegialium Apoſtoli, Epiſcopi, aliique Miniſtri Eccleſiarum pro diverſitate ordinum & graduum exercuerunt. Atque hoc ipſum eſt, quod Theologos & JCtos Proteſtanticos inter ſe colliſos tenet. Poſteriores Jura Principis ad ſydera usque efferunt, Priores moderate, quantum ſalvis legibus politicis poſſunt, & licet, deprimunt, & reſtringunt. Et quid mirum? quum enim JCti de menſa Principum laute comedant, ipſis ſint à ſecretioribus conſiliis & ad adminiſtranda primaria officia publica, atque ipſa Reipublicæ gubernacula gerenda admoveantur, hi vero quaſi micis de menſa Principum cadentibus contenti vivere debeant; à muneribus publicis ferme ſemper, niſi fors ſorte munus docendi publicum in ſuis Academiis ipſis obtingat, excludantur, & ne quidem in cauſis Religionem concernentibus aut non niſi loco ultimo audiantur, neutri parti vitio verti poteſt, ſi priores tempori, ſuisque Principibus ſerviant, omnemque operam in dilatandis, ſublimandisque Juribus eorum collocent, de cætero autem bonum Religionis ac Eccleſiæ inter ultimas curas habeant, hi vero ſanctiori zelo animati Eccleſiæ, ſuisque Juribus invigilent, eaque poſtliminio vindicare contendant.

§. XXIV.

JAm audiamus Pufendorfium, Bœhmerum, aliosque Religionis Proteſtanticæ Aſſeclas ingenti argumentorum apparatu incedentes, quibus Syſtema Catholicorum expugnare, funditusque ever-

te-

tere contendunt, in id præcipue intenti, ut illud principiis Juris naturalis, ſanæque rationis, Inſtitutioni, doctrinæ & exemplo Chriſti, ac Apoſtolorum, traditioni & diſciplinæ Eccleſiaſticæ, quin & ipſis bonis moribus repugnare demonſtrent. Itaque laborandum nobis erit, ne humili dicendi modo argumentorum vim infringamus, ſed ut ea potius quanto maximo poſſumus pro *viribus noſtris* verborum pondere in medium proferamus.

A principiis *Juris naturæ* initium ducamus, itaque 1.mo: qua arte Religionem cum Republica combinabimus? *Status Reipublicæ* ex ſua natura involvit imperium, vim cogendi, compellendi, remediis violentis urgendi, ſuppliciis extremis animadvertendi: Reclamat Religio, contradicit ſana ratio, repugnat libertas conſcientiæ, omnemque vim, omne imperium, omnem violentiam reſpuit, & à ſe vult remotiſſimam: ut quid enim imperio cum Religione, violentiis cum libertate? Religio tota quanta dependet tum à gratia DEI interne operante, tum à dictamine rectæ rationis: illa roganda, hæc convincenda: nunquid vis & violentia vel à DEO extorquebit gratiam, vel intellectui etiam invito obtrudet veritatem? convincendus eſt intellectus, non cogendus, pondere argumentorum veritas demonſtratur, non vi armorum falſitas expugnatur: ubi ſtante imperio erit libertas conſcientiæ, in quam aſſerti ſumus à Chriſto? ſolius DEI opus eſt rebelles compeſcere hominum voluntates, frangere duritiem cordis, diſſipare tenebras, lumen intellectui humano neceſſarium affundere. Solus ipſe *ſcrutatur corda & renes DEUS.* Et quid ſi demus imperium in conſcientias: anne vis & violentia ſubvertet dictamen conſcientiæ? violentia obdurat, non ſanat. Imperium externum quid demum efficiet? faciet homines hypocritas, qui externe videbuntur eſſe oves, interne autem ſunt lupi rapaces: procul ergo à Religione, ab Eccleſia omnis vis, omnis violentia, omne imperium, omnis Status Reipublicæ. 2.do: ſupponamus Statum in Eccleſia: debuiſſet homo in hunc ſtatum coire, & in eo ſuam voluntatem ſubmittere Imperantibus in iis etiam rebus, quæ ſalutem animæ & ſalutem æternam concernunt, vel ex *præcepto Juris naturalis*, ſi loquamur de *Religione naturali*, vel ex *præcepto divino*, ſi ſermo ſit, de *Religione revelata*, vel ex *libera voluntate.*

Non ex libera voluntate, quis enim ſibi perſuadeat, quod homines in Societatem coeuntes omnem ſuam voluntatem, omnes cogitatus, inclinationes, ac conſcientiam alterius voluntati ſub-

mit-

mittere, libertatem conſcientiæ contemptim abjicere, ſibique jugum inſupportabile imponere voluerint? Non *ex præcepto naturali*, quæ enim neceſſitas ad colendum ſupremum Numen coëundi in Societatem etiam æqualem, ne dicam inæqualem, multo minus *Civitatem* & *Rempublicam?* quum enim *Religio naturalis* conſiſtat in cultu divino, finis autem Religionis in conſecutione beatitudinis ſupernaturalis, an non cultus divinus ſupremo Numini ab homine extra omnem Societatem, in ultimis terræ angulis, in ſolitudinibus, & ſpeluncis exiſtente exhiberi poteſt? ad quid homo indiget conſortio aliorum hominum, aut Imperio Gubernantium, ut finem ſuum conſequatur ultimum?

Non ex *præcepto divino* ſuppoſita *Religione revelata*: aut enim loquimur de lege Divina in antiquo Teſtamento, & in eo conſideramus Statum *legis naturæ*, uti vocant, usque ad *legem ſcriptam*, vel *ſtatum legis ſcriptæ.* In priori ſtatu non conſtat de aliquo præcepto coeundi in Societatem, multo minus de imperio in quosdam Imperantes translato. (a) Et quis unquam ſomniavit, fuiſſe tunc *Statum Reipublicæ Eccleſiaſticæ?* aut enim interno lumine regebantur homines ad cultum divinum exhibendum, aut Sacerdotium conjunctum erat cum munere paterno & patrumfamilias, ita ut ritus ſacrificandi quodammodo fuerit arbitrarius, & jus illum exercendi in naturali hominum libertate relictus, jus autem diſponendi de loco & tempore peragendorum ſacrificiorum penes Patresfamilias reſederit, atque adeo Patresfamilias *Sacra* ſine imperio gubernaverint. In ſtatu *legis ſcriptæ*, quem DEUS ſingulari providentia formavit, & peculiaribus legibus Religionem concernentibus communivit, ut ad adventum usque Meſſiæ perduraret, Religio & Respublica indiſſolubili nexu colligatæ erant, ita ut Status Religioni, & Religio Statui eſſet innexa, & nec una nec altera ſine hoc nexu ſubſiſtere poſſet, & hoc ipſo nullus Status Eccleſiæ peculiari à Statu Reipublicæ diſtinctus fuerit. (b) In hoc autem ſtatu nullus erat locus imperio, neque enim aut Reges in ſacra, aut Sacerdotes in Imperantes poteſtatem imperii exercebant: unice præceptis divinis inhærendum erat. Cura Sacrorum certæ tribui erat alligata. Huic in ſortem præter decimas & oblationes nihil DEO aſſigna-

(a) Sic Abel & Cain, poſtquam jam è familia exceſſerunt, DEO ſacrificarunt Geneſ. 4. ſic Abraham ſibi vindicavit ritum circumciſionis in familia Geneſ. 17. verſ. 20. ſic Jacob è ſua familia abolevit idola, & paſſim per patresfamilias munus ſacrificandi adminiſtrabatur.

(b) Pufendorſius de Hab. Relig. §. 9.

gnatum. (a) Publicus ſolemniſque cultus unico loco affixus fuerat, neque fas erat populo Judaico ſalva ſua Religione cum alia Civitate in unam coaleſcere: inde venit, ut deſtructio templi & everſio Reipublicæ Judaicæ ſimul & ſemel contingeret, & Religio una cum utraque eodem quaſi momento corrueret. (b) Nefas igitur erat & Sacerdotibus & Regibus aliquid de rigore legum divinarum remittere, eas alterare, commutare. Sacerdotibus competebat jus ſacra ordinandi, Regibus incumbebat cura & inſpectio generalis, ut leges divinæ circa ſacra præſtarentur ſartæ tectæque: unde peſſime ceſſit Regibus, ſi Sacerdotum munus involare auſi ſunt. (c) Ipſi tamen Sacerdotes quodammodo ſubjacebant Regibus, nam & munia Sacerdotum aliquando diſpertiebant cum conſilio tamen Procerum, Seniorum, totiusque Tribus Leviticæ, & eos à ſuis muniis criminis cauſa deponebant. (d)

De Lege Divina in novo Teſtamento quid dicamus? totum quantum, quidquid Chriſtus verbo docuit, exemplo monſtravit, fecit, ordinavit, diſpoſuit, & conſtituit, quam alieniſſimum erat à conſtitutione Reipublicæ. Exempla primitus inſpiciamus. Num enim ſe unquam Regem geſſit? quum ipſum populus Regem facere volebat, auffugit. (e) Num de ampliſſimo territorio ſibi providit, terras alienas armorum vi ſibi ſubegit? peragravit Civitates, oppida, & vicos benefaciendo, eſurientes replevit cibo, claudis greſſum, cæcis viſum, mutis loquelam, infirmis ſanitatem, mortuis vitam reſtituit, & ut paucis complectamur omnia, prædicavit. Num numeroſum militum exercitum, aut ingentem opum vim collegit? aliquos ſelegit Apoſtolos, diſcipulos, & ſectatores numero paucos, inermes, inopes, profeſſione viles, nulla authoritate conſpicuos, ipſe autem dum moreretur, ne quidem habuit, *ubi caput reclinaret.* Equidem non raro ingentes hominum cœtus ad ipſum confluebant, ſed eo duntaxat fine, ut doctrinæ ipſius auſcultarent, & miracula ſpectarent. Anne quosdam vinculo obedientiæ, & homagio fidelitatis ſibi adſtrixit, Magiſtratus inferiores conſtituit, hosque poteſtate imperii communivit? in vinculis charitatis innumeram hominum multitudinem ad ſe attraxit, omnibus

(a) Nempe Sacerdotium erat penes Tricum Levi, & huic DEUS in diſtributione terræ Canaan nullam aſſignavit partem.

(b) Everſo enim templo per Veſpaſianum Lex Moſaica facta fuit *mortifera*, uti docent Theologi, & de Synagoga dici poterat, quod fuerit cum honore ſepulta.

(c) Exempla habemus in Saule, & Uſia.

(d) *Ejecit ergo Salomon Abiathar, ut non eſſet Sacerdos Domini*, 3. Reg. cap. 2. v. 27.

(e) Joan. 6. v. 15.

bus benefecit, ſectatores ſuos neutiquam viliſſimo ſubditorum & ſervorum, ſed honorifico *diſcipulorum* nomine compellari, ipſe autem non Imperator, non Rex, ſed *Magiſter* nominari voluit, à diſcipulis vero omnem dominatum & principatum quam longiſſime abeſſe voluit. (a) Totam Chriſti vitam, omnia illius geſta & facta luſtremus, & nihil comperiemus, quod vel Imperantem exprimeret, vel unicum nobis præberet indicium, ex quo colligere liceret, quod de formando ſtatu, & conſtituenda Civitate cogitaverit. Munus docendi, quo præcipue Chriſtus fungebatur, & doctrinas illius intueamur: in utroque nihil prorſus quod imperium & dominatum ſaperet, deprehendi valet. Omnis illius doctrina ultimato ad charitatem, manſuetudinem & humilitatem collimabat: non ille imperio juſſuque humano homines ad ſuam doctrinam percipiendam amplectendamque compulit, non ipſe obtorto collo, ut ipſum ſequerentur, coegit, non ipſe acerbioribus minis, graviſſimis pœnis, & ſuppliciis contra refractarios animadvertit: nunquam ex illius ſanctiſſimo ore auditum eſt illud commune Imperantium: ſic volo, ſic jubeo, ſic impero: ſed *qui poteſt capere capiat*, *qui aures habet audiendi audiat &c.* omnis doctrina plena erat charitatis, lenitatis & manſuetudinis, eam non phaleratis ſermonibus, ſed miraculorum virtute confirmabat, ipſe modus docendi ab omni fuco & adſcititio cultu alienus erat, ut nihil quod ſuſpicionem fictionis movere poſſet, appareret. Matri filiorum Zebedæi petenti, ut filii ſui ſupremis in regno Chriſti muneribus potirentur, quid reſpondit? *poteſtis bibere calicem &c.* (b) ipſis autem diſcipulis, dum ignem de cœlo mitti volebant adverſus Samaritanos Chriſtum recipere nolentes quid reſpondiſſe putamus? *Principes dominantur eorum, vos autem non ſic.* (c) Ubinam in his omnibus vel umbra Imperii? quum hæc omnia non tam ad conſtituendam, quam deſtruendam Civitatem & Rempublicam facere videantur.

Ad Apoſtolos veniamus, quos ſibi Chriſtus adſcivit, & ſubrogavit, & tum illorum vocationem, tum munus & poteſtatem traditam, & demum utriusque executionem contemplemur. Hos igitur miſit, *ſicut ipſe miſſus erat à Patre.* (d) Miſit illos non ut imperarent, ſed prædicarent: *ite, prædicate &c.* (e) non ingenti militum exercitu ſed dono miraculorum, & gratia Spiritus S. ſtipatos,

(a) Luc. 22. verſ. 25.
(b) Math. 19. verſ. 12.
(c) Math 20. verſ. 22.
(d) Loc. cit.
(e) Joan. 20. verſ. 21.

ac communitos, non ingenti pecuniarum vi inſtructos, ſed miſit eos *ſine pera & ſacco.* (a) Non juſſit, ut obtorto collo aut invocato brachio ſæculari, ſed in verbo vitæ in virtute doctrinæ, in vinculis manſuetudinis & lenitatis Judæos ad Religionem traherent, neque ut invitis Sacramentum Baptismi affunderent, ſed *volentes baptizarent.* (b) Noluit, ut ſibi regna & imperia ſubſternerent, ſed ſuaviſſimo jugo Chriſti animas ſubjicerent. Voluit, ut in omnibus ſpiritum humilitatis, manſuetudinis, & lenitatis præſeferrent, neutiquam, ut violentiis, & armis in infideles ſævirent.

De poteſtate tradita quid dicamus? aut enim *imperium in poteſtate clavium* Petro, cæterisque Apoſtolis commiſſa, aut in ritu excommunicationis ab Apoſtolis uſurpato quærimus? quantum ad poteſtatem clavium equidem Petro Claves Regni Cœlorum, Apoſtolis poteſtatem ligandi, ſolvendi, & remittendi peccata fuiſſe conceſſam nemo negaverit (c): ſed quis inde poteſtatem imperii inferre audebit? an neſcimus poteſtatem clavium in Scripturis diverſam habere ſignificationem (d), neque ex ſua natura ſolam poteſtatem imperii, vel jurisdictionis, ſed etiam miniſterium, functionem miniſterialem, adminiſtrationem e. g. rei œconomicæ &c. ſignificare? Neque obſtat, quod poteſtas clavium involvat *remiſſionem peccatorum* cum vi ea relaxandi, vel reſervandi conjunctam: nam quis dicere auſit, quod remiſſio peccatorum neceſſario debeat eſſe actus jurisdictionis & imperii? Anne ille qui injuriam ſibi illatam injurianti remittit, actum jurisdictionis exercere dici valeat? quotiescunque peccamus, DEO injuriam facimus, jus ſupremi Numinis violamus: itaque penes DEUM eſt nobis remittere peccata: porro autem hæc remiſſio non utique neceſſario importat actum jurisdictionis, ſed eſt vel ſimplex condonatio, vel ceſſio juris: quoniam vero nobis non licet DEO loqui ore ad os, quemadmodum Moyſi licuit, Dominus DEUS ſuis Apoſtolis commiſit munus hanc condonationem, ceſſionem, vel etiam remiſſionem in ſenſu mox dicto acceptam annuntiandi eo ferme modo, quo ipſum Evangelium nobis annuntiari per ipſos voluit: non enim in poteſtate alterius eſt remittere injuriam mihi factam, aut ſi ipſi remittendi facul-

(a) Luc. 22. verſ. 35.
(b) Act. 2. verſ. 41.
(c) Math. 16. v. 19. *tibi dabo claves regni cœlorum: & quodcunque ligaveris &c.* & Joan. 20. v. 22. *quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.*
(d) Apoc. 18. Filius DEI dicit ſe habere claves inferorum, & mortis. Luc. v. 52. ſcribæ dicuntur habere *clavem cognitionis.* Apocal. 3. v. 7. Filius DEI dicitur habere claves Davidis. Iſaiæ 22. Eliacimo dicuntur imponendæ *claves domus David.*

cultatem concedam, atque remiſſionem meo nomine faciendam imperem, talis in effectu nihil agit, niſi quod remiſſionem à me factam annuntiet. Et quo fundamento dici poteſt, quod hæc remiſſio actum Jurisdictictionis contineat? utique Chriſtus propter ſolam exuberantiam fidei peccata remiſiſſe legitur? (a) Si tota Scriptura novæ legis excutiatur, nullibi vel vola vel veſtigium reperietur, ex quo appareat, quod aut Chriſtus, aut Apoſtoli in remiſſione peccatorum actum aliquem jurisdictionis obſervato ordine judicii qualicunque & ſimpliciſſimo exercuerint: plerumque ubi fuit fides, ſubſecuta fuit remiſſio (b) nullibi aut præceptum ſeſe velut in judicio accuſandi, ſuaque peccata diſtinctim explicandi, aut juſſus, ut non niſi ad diſtinctam peccatorum confeſſionem ea remittantur, legimus. De ritu *excommunicationis*, & *banno ſpirituali*, uti vocare ſolemus, quid dicamus? neque enim excommunicatio aliquid jurisdictionis aut imperii neceſſario involvit, quippe quæ nihil eſt aliud quam ſimplex excluſio à communione fidelium in libertate hominum privatorum, & ſocietatum fundata, quæ alium effectum non producit, niſi quod taliter excluſum evitare ſoleamus, à noſtra converſatione removeamus, eo ferme modo, quo communionem cum reprobis aut male notatis in republica qualicunque fugere ſolemus: excutiamus loca ſcripturæ, ſi placet, in quibus de hac excommunicatione agitur: unus eſt apud Mathæum (c) ubi modus corrigendi fratrem præſcribitur, & ultimato jubetur, ut, ſi frater neque correptionem fraternam inter te & ipſum, neque publicam coram duobus vel tribus teſtibus curaverit, denique id ipſum dicas Eccleſiæ, & ſi neque hanc audierit, *ſit veluti Ethnicus & publicanus:* nemo certe ex hoc modo corrigendi aut vim imperii, aut jurisdictionis inferat: non ex correptione tam privata quam publica, quæ magis eſt actus charitatis, quam jurisdictionis, non ex denunciatione Eccleſiæ facta ex pari ratione, non ex ipſa Eccleſiæ correptione, admonitione, vel etiam reprehenſione, ac demum judicio Eccleſiæ dantis potius facultatem illum evitandi per verba: *ſit tibi velut Ethnicus & publicanus*, quam imperium exercentis: aut ſi ſupponamus, quod Eccleſia talem excluſerit à ſua communione, id factum eſt non vi imperii, ſed libertatis cuivis competentis. Alter eſt apud Apoſtolum 2. Cory. 13. de inceſtuoſo Corynthio, quem Paulus Satanæ tradidiſſe legitur:

K 3

(a) Math. 9. v. 2. & Luc. 5. v. 20. propter ſolam fidem remiſit peccata Chriſtus.
(b) Vid. mox antea dicta.
(c) Matth. 15. 16. & 17.

tur: id enim quid aliud dicit, niſi quod Paulus illum a communione rejecerit, ſuo arbitrio reliquerit non quidem vi imperii, ſed libertatis, modo, quo antea explicatum fuit. Jam ipſum munus Apoſtolorum, illiusque exercitium ante oculos ponamus: profecto in omnibus Apoſtolorum actibus nihil aliud legimus, niſi quod docuerint, prædicaverint, varias regiones peragraverint, omnibus benefecerint, manus impoſuerint, miracula patraverint, innumera incommoda, opprobria, ac demum crudeliſſimum martyrium ſubierint, aliquoties tantum cum cœtera plebe in conventibus publicis majoris momenti negotia diſcuſſerint, & per majora ſuffragia terminaverinr, in quibus tamen non tam vices imperantium, quam dirigentium ſuſtinuiſſe videntur (a) De cœtero autem in omnibus his ita ſe geſſerunt, ut perluſtratis omnibus illorum actis, functionibus & miniſteriis nec umbra appareat, ex qua colligi poſſet, quod conſtructionem civitatis meditarentur, multo minus rempublicam conſtruxerint. Nullibi ſtabilem fixerunt ſedem, nullibi aut ipſi claves imperii aſſumpſerunt, aut Magiſtratus ſibi ſubordinatos conſtituerunt, aut negotiis publicis, rebusque agendis ſe immiſcuerunt. Nemini vim intulerunt, nullius civitatem armis invaſerunt, de civitate in civitatem juxta monitum Chriſti fugerunt (b), de colligendo nervo ad conſtituendam ſuſtentandamque rempublicam neceſſario, de immenſa opum vi corrodenda, conſociando populo, conducendo milite nunquam fuere ſolliciti: populos non armorum potentia, non extremis ſuppliciis & pœnis, ſed ſimplici Evangelii prædicatione, propoſitione præmiorum æternorum, aut pœnarum ſed non niſi in altera vita ſubeundarum in ſocietatem & cœtum coegerunt: in omnibus ſecuti ſunt præcepta ſui Magiſtri illud cum Petro dicentes: *argentum & aurum non eſt mihi* (c) ſine pera & ſacco, ſine bacculo una contenti tunica inceſſerunt, arma non niſi ſpiritualia adhibuerunt (d) bona à fidelibus ad pedes ipſorum ex rebus divenditis delata, aut ex ſpontanea liberalitate oblata in commune contulerunt, eoque prò neceſſitatibus egenorum, pauperum, viduarum, aliarumque perſonarum miſerabilium tanquam fideles diſpenſatores diſtribuerunt. Quis jam vel accutiſſimæ aciei oculis vel umbram imperii ſive in vocatione, ſive in munere & poteſtate Apoſtolorum, & utriusque exercitio perſpiciat?

Aliud

(a) Uti factum eſt in electione 7. Diaconorum, Mathiæ, in abrogatione legalium act. 15.
(b) *Cum vos perſequentur in Civitate iſta, fugite in aliam* Math. 10, v. 23.
(c) Act. 3. v. 6.
(d) Luc. 9. v. 3.

Aliud argumentum ex ipſo nomine Eccleſiæ depromunt, quod ſua origine eſt vox Græca ab *evocando* dicta, ut idem eſſet ac *evocatio*, & nihil aliud ſignificaret quam conventum populi. Uſus illius primitus obtinuit in Democratiis, & præcipue apud Athenienſes, non quod per illam *ſtatus*, ſed congregatio populi voce præconis reipublicæ cauſa convocati ſignificaretur, quatenus faciliori negotio in ſimilibus conventibus tam ordinariis, quam extraordinariis negotia publica curari poſſent. Vox hæc ſucceſſive ad omnes conventus plurium hominum etiam malignantium fuit translata, & demum ad ſignificandam univerſam fidelium multitudinem aſſumpta. Inde autem quid ſequitur, niſi quod ſcriptores cœtum Chriſtianorum hac voce appellantes firmiſſime ſibi perſuaſum habuerint, Eccleſiam eſſe ſocietatem ſimplicem, ſecus hanc vocem nunquam adoptaſſent: & quare nullus alius ſtatus civitatis hac voce compellatur (a)?

Aliud longe fortiſſimum, uti putant, argumentum ex ipſa natura *ſtatus* ſeu *civitatis* depromptum mirum in modum elevant, urgentque: Originem enim, ſeu cauſam impulſivam, finem, & media ad illum conſequendum neceſſaria, totamque ſtructuram civitatum ante oculos ponamus. Conſtat ex dictis, quod occaſionem conſtituendis civitatibus præbuerit ambitio, avaritia, rerum habendarum cupido, regnandi libido, metusque inde in animis hominum cauſatus: ſed quis dicet, quod hæc ipſa cauſa fuerint impulſiva ſtatus Eccleſiæ? Finis ſtatus reipublicæ politicæ eſt *ſecuritas publica*: verum quam longe alius eſt finis coeuntium in Eccleſia? Profecto non alius, quam ſalus Eccleſiæ, & ultimato ſalus æterna, quam extra omnem ſocietatem, ut ſupra dictum, ab homine ſolitario in terris remotiſſimis, & ultimo orbis angulo deliteſcente obtineri poſſe res eſt certiſſima. Media autem ad finem reipublicæ politicæ conſequendum ſunt armorum præpotentia, immenſa opum vis, numeroſus miles &c. porro autem quis ignorat, hæc omnia non tantum ad conſequendum hunc finem non eſſe neceſſaria, ſed potius in via ſalutis æternæ impeditiva? alias Chriſtus ipſe hæc media ordinaſſet, ne in neceſſariis nobis deeſſe videri poſſet. Verum enim vero longe aliter egiſſe Chriſtum ex dictis conſtat: non ipſe immenſam opum vim aut collegit, aut colligi à ſuis fidelibus, quin potius libere pronunciavit, difficilius divitem intrare in regnum cœlorum, quam camelum per foramen acus: imo juveni quærenti, quid ſibi eſſet faciendum, ut regnum cœlorum conſequeretur, re-

(a) Vid. Puferum, & Böhmerus de Jur. Parvib. cap. 2. §. 3.

reſpondit: ***vade*, *&* *vende omnia* *&c.*** non numeroſum collegit exercitum, ſed 12. legiones Angelorum à patre mittendos veluti repudiavit (a). Non erexit fortalitia, ſed pertranſiit loca omnia benefaciendo omnibus &c. Ad hæc, ſi hæc media forent neceſſaria, profecto ſtatus Eccleſiæ debuiſſet eſſe miſerrimus, ubi Eccleſia iisdem caruit: porro autem conſtat ex hiſtoria noſtræ Eccleſiæ, quod Eccleſia nunquam magis quoad ſanctitatem vitæ, probitatem morum, & ſuperabundantem charitatem Dei floruerit, quam ubi ſub jugo tyrannorum inter perſecutiones graviſſimas omnibus humanis auxiliis deſtituta exſtitit.

Iterum aliud argumentum inſtaurant, illudque ex praxi primitivarum Eccleſiarum, & ***confœderata diſciplina*** depromunt, ex qua conſtat, quod nullum inter Clericos & Laicos fuerit diſcrimen ſaltem ex jure divino, illudque teſte Tertulliano primum Eccleſia introduxerit (b) hæc vero omnia communi ſuffragio in conventibus egerit, plebs conciliis interfuerit, in electionibus ſeptem Diaconorum (c) Mathiæ Apoſtoli, & Epiſcoporum votum dederit (d), ad decidendas controverſias concurrerit &c. (e), omnis papatus exulaverit, omnis inæqualitas inter fideles quam longiſſime abfuerit, & ipſi Apoſtoli oſtendendæ æqualitatis gratia fideles omnes ſine ullo diſcrimine communi nomine ***fratres*** appellaverint? Hoc argumentum fuſiſſime deducit Bœhmer in Diſſertat. quas edidit ad Plinium II. & Tertullianum. En! ingens argumentorum agmen, quo Proteſtantes invadunt ſyſtema Eccleſiæ Catholicum non tam facile propulſandum, niſi illorum principia detegamus, quæ à nobis ita fuere propoſita, ut neſciam, an quis illa ſincerius propoſuerit. In id ergo nobis ſedulo incumbendum, ut illa ſubruamus, & quibus ſcateant technis, æquivocationibus, falſis idæis, & conceptibus demonſtremus. Pro quo ſit

§. XXV.

PRofecto, quod Proteſtantes ex idæis falſis præconceptis falſos nobis conceptus de ipſo ſtatu ſeu civitate, de Religione, Eccle-

(a) Marc. 10. v. 25. Math. 19. v. 21. Math. 26. v. 53.

(b) Celebris locus eſt Tertul. lib. de exhort. c. 7. ubi dicit: ***Nonne & Laici Sacerdotes ſumus: differentiam inter ordinem & plebem conſtituit Eccleſiæ authoritas, & honor per ordinis conſeſſum ſanctificatus.***

(c) Act. 6. v. 3.

(d) Act. 1. v. 26.

(e) Act. 15.

cleſia, & poteſtate clavium obtrudant, ante omnia nobis erit demonſtrandum, & quidem imprimis loquendo de ipſo *ſtatu civitatis*, ſi ille ſit verus genuinus unicus & eſſentialis conceptus *civitatis*, quem ipſi ſibi ex origine, fine, mediis & nexu, ac tota ſtructura civitatum gratis cudunt, & fabricant, procul dubio victas dare manus cogemur, tunc præcipue, ſi ad ſtatum conſtruendum ea ſit neceſſaria poteſtas imperii, ut Imperans habeat jus vitæ & necis, & vi extrema in ſuo regimine contra inobedientes, & refractarios uti valeat. Sed undenam probant, quod hic ſit conceptus reipublicæ univerſalis cujuscunque, & quod omnis *civitas* tam Eccleſiaſtica, quam politica in ſua origine, fine, mediis, & ſtructura convenire debeat? anne omnes ſocietates æquales in his omnibus conveniunt? quis ipſos Dictatores conſtituit, ut illorum conceptus neceſſario à nobis adoptari debeant? ſi provocent ad ſenſum comunem Doctorum omnium, replicamus, hunc eſſe comunem ſenſum illorum, qui unice ſtatum politicum non vero Eccleſiaſticum menſurare, & dimetiri conſueverunt. Itaque nobis videtur, quod conceptus eſſentialis reipublicæ conſiſtat in perfecta ſubordinatione imperantium & obedientium, in fine communi à ſociis præfixo, in electione mediorum ad conſequendum finem aptorum, ac demum in imperio, in mediis coactivis, tam reſpectu ſubditorum quam ipſius finis proportionatis, aliisque juribus præcipue ferendi leges, decidendi cauſas, plectendi pœnis imperio annexis. Hæc ſi adſint, neſcio profecto quid ad conſtruendam civitatem ultra deſiderari poſſit. Quare enim omnium civitatum eadem deberet origo & quidem *vitioſa* plerumque, ſicut fuit origo civitatum politicarum. An non eſt in arbitrio Authoris naturæ authoritate propria conſtituere civitatem, & in eam homines vel invitare, vel, ut in eam coeant, juxta beneplacitum ſuum compellere? eccur finis omnium Rerumpublicarum deberet eſſe idem, nempe *Securitas publica?* quod ſi finis poteſt eſſe diverſus, ipſa etiam media poſſunt eſſe diverſa, quin ad conſtituendam civitatem determinate præpotentia virium, numeroſi militum exercitus, opumque immenſa congeries requiratur: dicant nobis, quare *poteſtas Imperii* neceſſario *jure gladii*, vitæ & necis debeat eſſe armata? quid ſi Dominus Deus, qui ſolus eſt author vitæ & necis, ſibi ſoli jus gladii reſervaſſet, de cœtero autem Imperium aliis mediis compulſoriis armaſſet, & in imperantes cœtera omnia jura alias Majeſtati annexa tranſtuliſſet? anne defectuoſam fore Rempublicam dicemus? dicant nobis, quare ſolum

jus vitæ & necis poteſtatem imperii conſtituat? Si dicant, quod hoc ſolum ſit medium, quo homines in ſuo officio contineri, & ipſa Reſpublica contra injuſtos aggreſſores conſervari valet, & debet. Replicamus, ne quidem hoc ipſum remedium eſſe ſufficiens ad hominum malitiam coercendam: an non dantur homines facinoroſi, fures, raptores, homicidæ, qui ne quidem pœnam mortis curant? dein ſi id ad conſervandum ſtatum neceſſarium eſſe dicamus, omnes profecto reſpublicæ minores ceſſabunt eſſe reſpublicæ, quia neceſſario debent ſuccumbere civitatibus majoribus virium præpotentia prævalentibus, hoc ipſo, quod efficacibus reſiſtendi remediis deſtituantur. Suſcipit ergo poteſtas Imperii majus & minus, nec conſiſtit in indiviſibili. Quare ergo ille non deberet habere poteſtatem imperii, qui habet jus ferendi leges, dictandi pœnas ſola mortis pœna excepta, ejiciendi, proſcribendi è communitate, omnibusque juribus ad cives & membra reipublicæ pertinentibus privandi?

De genuino conceptu Religionis & Eccleſiæ videamus, quem Proteſtantes paſſim confundere videntur, tunc potiſſimum, quando de tolerantia Religionum agunt, quærendo, an homines ad fidem, vel Religionem determinatam compelli valeant? Vox Religionis eſt æquivoca, & habet varias ſignificationes, & hinc inde imo paſſim pro ipſa Eccleſia accipitur. Itaque dabimus genuinum conceptum tum *Religionis*, tum *Eccleſiæ*, quem fortaſſis ipſi Proteſtantes ex integro aſpernari, contemnere, vel rejicere vix audebunt. Religio igitur nobis eſt vel ipſa norma credendorum, quam quis de veritate illius ex motivis credibilitatis convictus per profeſſionem fidei aſſumit, vel eſt illa ipſa adhæſio animi, qua quis prædicto modo ex motivis credibilitatis de veritate convictus (a) cuidam certæ credendorum normæ in ordine ad colendum Deum, & vitam æternam conſequendam à Deo revelatæ per liberam profeſſionem fidei firmiſſime aſſentitur, ſuumque nomen dat illi cœtui, qui ad hanc normam obſervandam in unum coaluit, unaque promittit ea omnia credere & facere, quæ ad hunc finem conſequendum

(a) Cum enim dentur innumeræ Religiones, vel potius ſectæ, & ex his una ſit vera religio: Dominus Deus debuit illam veram religlonem facere evidenter credibilem ſignis quibusdam characteriſticis, alias homini in veram Religionem inquirenti idem accideret, quod homini Romam ire volenti, qui varias ante ſe videt vias, & neſcit, quænam ſit illa, quæ Romam ducit; ideo homini veram Religionem inveſtiganti ante omnia proponenda ſunt motiva credibilitatis, & inepte facturus foret ille, qui mox ab explicatione dogmatum fidei converſionem vellet auſpicari: prius enim convincendus eſt intellectus de veritate Religionis, & tunc primum in dogmatibus fidei inſtruendus.

dum ab illis, qui ad regendum hunc cœtum à Deo ſunt conſtituti, credenda, & obſervanda præcipiuntur. Ipſa vero Eccleſia eſt ille ipſe cœtus credentium in unitate fidei, doctrinæ, jurium & obligationum ſub legitimis Paſtoribus invicem participantium (a). Unde ad id cardo difficultatis devolvitur, utrum Chriſtus Dominus hujusmodi cœtum, & ita quidem inſtituerit, ut in eo ſint quidam Imperantes, quidam vero obedientes, atque hi poſteriores ſuppoſitis motivis credibilitatis, quibus hanc credendorum normam tanquam veram agnoſcunt, in rebus fidem, conſcientiam, & regimen hujus cœtus concernentibus obligentur ſuum judicium judicio ſuperiorum à Chriſto legitime conſtitutorum conformare, præceptis obedire &c. illi vero mediis proportionatis, Imperio propriis, & ſuo modo violentis, & compulſoriis inobedientes, & refractarios cogere, & in ſuo officio continere valeant. Atque hic eſt genuinus conceptus ſtatus, religionis, & Eccleſiæ, quantum ſaltem nobis videtur, quo bene percepto ferme omnes difficultates in hac materia occurrentes facili negotio poſſunt dilui. Itaque quæritur, an Chriſtus Dominus talem cœtum, ſocietatem, vel rempublicam modo deſcriptam inſtituerit? id, quod cum omnibus Catholicis indubitanter affirmamus, id unice præmonentes, quod illa potiſſimum argumenta ſimus allaturi, quæ ad elidenda contraria tum ex principiis Jurisprudentiæ univerſalis, tum ex hiſtoriis Eccleſiaſticis potiſſimum deprompta, & in ordine ad Scripturam ſacram interpretandam aſſumpta nobis facere videbuntur, cœtera, quæ Theologi paſſim coacervant, non ſine utilis ſilentii ratione & tanto libentius prætermiſſuri, quanto majori eruditione ac profunditate ea à Theologis noſtris fuiſſe dilucidata, non ignoramus. (b)

Primum igitur argumentum ex ipſa inſtitutione Eccleſiæ a Chriſto facta, modoque illam conſtituendi, vocatione ſingulari Apoſtolorum, munere ipſis commiſſo, & poteſtate ipſis tradita depromimus. Venit ergo Chriſtus, & opus ſuum conſummavit: venit, inquam, Chriſtus, ut hominem redimeret, novam religionem,

(a) Convenit hæc definitio omnino cum definitione Theologorum Catholicorum, & illa maxime, quam tradit Tournelius Tom. V. art. 1. dicens: recte dicitur Eccleſia: cœtus hominum unius & ejusdem fidei Chriſtianæ profeſſione, & eorundem Sacramentorum communione conjunctus ſub regimine legitimorum Paſtorum, ac præcipue Romani Pontificis. Nos tamen ſtudioſe abſtraximus *à legitimis Paſtoribus*, quia potius Eccleſiam in genere definire voluimus, & primum ex poſt examinabimus, an in Eccleſia detur imperium ſub legitimis paſtoribus.

(b) Vid. Clariſs. P. Corbinianus Thomas in ſuo ſpicilegio, ubi hanc quæſtionem fuſe & profunde contra Puſendorſium diſcutit.

normamque credendi, & agendi præſcriberet, atque eliminata Synagoga novam Eccleſiam in finem usque mundi duraturam conſtitueret, eum in finem, ut in hoc cœtu omnes gentes coadunarentur. Ad hunc finem ſingulari vocatione vocavit Apoſtolos (a), hos ſanctiſſimis præceptis inſtruxit, & ita inſtructos miſit *ad prædicandum Evangelium omni creaturæ*, unaque dedit *Spiritum S.* atque *poteſtatem ligandi, ſolvendi, & remittendi peccata* (b): itaque Apoſtoli ſuo munere egregie functi, innumeras gentes jugo Chriſti ſubmiſerunt, ut jam innumera eſſet multitudo credentium, ex gentibus & Judæis congregata, cui profecto omnino providendum erat de ſaluberrimis conſtitutionibus, quibus ingens hæc moles Eccleſiæ ſuſtentaretur, ſecus quam facillime ruitura in nihilum. In hac jam Eccleſiæ inſtitutione duo expendamus, nempe *munus Apoſtolicum* & *poteſtatem* Apoſtolis traditam, illud prius ad *Religionem* perſuadendam, animisque hominum implantandam, illud poſterius ad *Eccleſiam regendam* & gubernandam pertinet. Atque hic eſt ille ſcopulus, ad quem Novatores ſua capita alliſerunt, qui inter *Religionem*, & *Eccleſiam*, inter *munus prædicandi*, & *poteſtatem regendi, gubernandique Eccleſiam* minime diſtinguentes miram rerum confuſionem introduxerunt, atque à doctrinis, quas Chriſtus Apoſtolis pro ſuo munere Apoſtolico recte gerendo tradidit, ab exemplis Apoſtolorum, quæ in executione ſui muneris Apoſtolici præbuerunt, ad ipſum Eccleſiæ regimen & Imperium ipſis commiſſum argumentum duxerunt falſo exiſtimantes, menſuram poteſtatis Apoſtolis traditæ unice à menſura muneris Apoſtolici, formam regiminis in Eccleſia inſtitutæ à forma in prædicando Evangelio adhibita eſſe deſumendam, quaſi vero doctrinæ à Chriſto ad religionem perſuadendam, traditæ, ad ipſam Eccleſiam gubernandam pertinerent. Aliud longe eſt obire *munus Apoſtolicum*, prædicare Evangelium, inſtruere, docere, & aliud *regere Eccleſiam* DEI. Procul à munere docendi, & intellectum convincendi omnis vis, & violentia: convincendus eſt intellectus, non cogendus. Procul ab Apoſtolicis viris ambitio, dominandi libido, omnis opum abundantia: non armis & ſuppliciis, non armato militum exercitu compellendi, ſed in vinculis charitatis, lenitatis, & manſuetudinis trahendi ſunt infideles: veritas cum manſuetudine prædicanda. Atque huc pertinent doctrinæ, quas Chriſtus dedit ſuis Apoſtolis, dum eos ad prædicandum

(a) De ſingulari, eaque diverſa vocatione Apoſtolorum omnium conſtat ex Script. ſolus Mathias per ſortem dirigente Numine electus fuit.

(b) Textus ſupra citavimus.

dum Evangelium miſit, juſſitque, ut irent ſine ſacco & pera, omnem ambitum à ſe abdicarent, nihil proprii poſſiderent, non niſi volentes baptizarent. hactenus dicta ad munus prædicandi, & ad ipſam religionem hominibus perſuadendam pertinent.

Porro autem longe eſt aliud regere Eccleſiam DEI, ad hoc enim ſufficienti poteſtate imperii ferendi leges, judicandi de cauſis, puniendi facinoroſos, remittendi, ligandi opus eſt. Poſtquam igitur Chriſtus ſuis Apoſtolis demandavit provinciam prædicandi Evangelium, etiam ſufficienti authoritate ad regendam Eccleſiam ex Judæis & Gentilibus congregandam illos inſtruere ipſi placuit: quum enim prævidiſſet gentes ferme omnes in hunc cœtum fore coituras, huic cœtui per omnes mundi partes, & orbis angulos diffuſo de forma regiminis & imperii providere voluit, optime gnarus, quod ſine forma imperii tam parum hæc Eccleſia, quam parum Reſpublica alia ampliſſima ſine imperio conſiſtere poſſit, & hinc Apoſtolis *claves Regni Cœlorum*, *poteſtatem ligandi*, *ſolvendi*, *& peccata remittendi*, quin *eandem poteſtatem*, *quam ipſe habuit*, *conceſſit*: imo quod præter hanc poteſtatem, quæ non niſi ea quæ ſunt jurisdictionis e.g. poteſtatem judicandi, decidendi cauſas, infligendi pœnas, excommunicandi &c. complectitur, ampliorem adhuc poteſtatem Chriſtus in ſuos Apoſtolos transfuderit, inde apertiſſime liquet, quod Apoſtoli quamplurimas Eccleſias erexerint, hisque cum poteſtate non qualicunque ſed imperii præfuerint, leges tulerint, controverſias deciderint, eaque omnia ordinaverint, quæ ipſis ad ſalutem Eccleſiæ, & animarum aut neceſſaria, aut utilia videbantur. Sanctuarium Scripturæ ingrediamur: nonne Apoſtolus de regimine ſibi commiſſo expreſſam facit mentionem: *in quo vos Spiritus S. poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam DEI.* (a) An non ipſe hinc inde varias tulit leges, *hoc autem præcipio.* (b) An non Apoſtoli controverſiam circa obſervantiam legalium obortam in Concil Jeroſol. ultimato terminarunt judicio? (c) De variis Ordinationibus ex poteſtate imperii fluentibus ex ipſa forma Eccleſiæ, quam jamtum habuit, conſtare debet. *Cætera, cum venero diſponam*, ait Apoſtolus. (d) Hæc ſi quis ſincero animo ſepoſitis judiciis apud ſe expendat, facile deprehendet, cerebrinas eſſe expoſitiones, & interpretationes Puſendorfii, aliorumque qui ex *poteſtate clavium* cum

(a) Act. 20. v. 28.
(b) 1. Cor. 11. v. 35.
(c) Act. 15.
(d) Loc. cit ad Cor.

cum remiſſione peccatorum conjuncta non niſi ſimpliciſſimam *poteſtatem annuntiandi remiſſionem peccatorum* propter fidem à DEO conceſſam, *ex poteſtate excommunicandi* non niſi jus ſimpliciſſimum alicui ſuam *communionem denegandi*, ex regimine Eccleſiæ, de quo loquitur Apoſtolus, variisque præceptis, legibusque promulgatis ſimplicem *facultatem dirigendi negotia*, condendi ſtatuta, ultimato in conventibus publicis concludendi inferre ſolent. Nonne hæ interpretationes ſunt contra naturalem verborum ſignificationem? quomodo ille remittere peccata, ligare & ſolvere cum veritate rei dici poteſt, qui mihi remiſſionem peccatorum ſimpliciter annuntiat: qua arte ille pœnam mortis remittere cenſeri debet, qui nomine Principis illam mihi remiſſam ſignificat? O miſeram poteſtatem clavium, ſi ille, cui claves commiſſæ ſunt, nunquam aperit, & claudit, ſed januam vel eſſe apertam, vel clauſam annuntiat? Ad quid dantur *claves*, niſi ut aperiatur, & claudatur: quomodo ſimplices directores ad modum illorum, qui alicui Collegio æquali præſunt, dici poſſunt illi, quibus Chriſtus privative jus dirigendi, regendique cœtum commiſit, quin vel ullo textu probari poſſit, quod in participium hujus poteſtatis etiam ipſum populum venire voluerit? Ad ſolos Apoſtolos illa omnia locutus eſt Chriſtus, ipſis ſolis commiſit claves poteſtatis, ipſi ſoli extra conventus ferme omnia & ſingula diſpoſuerunt, & non niſi bis populum ad Concilia vocaſſe leguntur (a), ideo tantum, ut negotia in illis diſcuſſa, & ipſa decreta majori cum authoritate fierent. Ut autem omnis æquivocatio tollatur, interpretationes Pufendorfii jam ſupra allatas audire libeat: ait ille quod utique remiſſio peccatorum nihil aliud importet, quam *ſimplicem condonationem debiti*, juris, vel injuriæ factæ, nullo mdo autem *poteſtatem jurisdictionis*, aut imperii. Quod idem dicendum de *poteſtate excommunicandi*, hæc enim quid eſt aliud quam *ſimplex excluſio* à conſortio, à Collegio, à Societate non neceſſario in *poteſtate imperii* fundata. Porro autem quis non videt, quod author hic ludat in verbis, & omnia confundat. Aliud utique eſt peccare contra hominem privatum, & virtutem qualemcunque, & aliud peccare contra leges Reipublicæ & Superioris, cui eſt poteſtas de crimine commiſſo cognoſcendi, proportionatis pœnis coercendi, puniendi, plectendi. Illa prior remiſſio delicti ab homine privato facta procul dubio eſt ſimplex condonatio culpæ, remiſ-

(a) Nempe ad electionem Mathiæ, & ad abrogandam obſervantiam legalium, quamquam de hac ſecunda vocatione dubitari poſſit, cum ſacer Textus unice loquatur de Apoſtolis & *Senioribus*. Act. 15. v. 6.

miſſio debiti &c. At vero poteſtas publica cum jure coercendi, pœnasque affligendi conjuncta illa alia eſſe nequit, quam *poteſtas Jurisdictionis & imperii.* Aliud iterum eſt peccare in leges amicitiæ, aliud in ſtatuta Collegii, & aliud in leges Reipublicæ: procul dubio à ſuo conſortio excludere hominem ob violatam amicitiam, excludere ob transgreſſionem ſtatuti Collegialis ſocium à Collegio, actus *jurisdictionis* & *imperii* dici nequeunt. Porro autem, quando ejectio, excommunicatio, proſcriptio fit authoritate publica, & hoc ipſum bannum cum privatione jurium omnium Civitatis pleniſſima conjungitur, quis eam ex poteſtate imperii fluere, quin eſſe *actum Jurisdictionis* valde ſublimem negaverit? Actus Jurisdictionis & ſummi imperii ex omnium ſententia eſt, quo quis *banno imperiali* feritur, aut è territorio provinciæ vel regni proſcribitur, omnibusque Reipublicæ juribus privatur: eccur ergo hæc ejectio in Eccleſia uſitata, qua quis à communi fidelium conſortio excluditur, communibus ſuffragiis & juribus privatur, actus Jurisdictionis eſſe non debet? Equidem Chriſtum remiſiſſe peccata aliquoties propter exuberantiam *fidei* negare non audemus, ne Scripturæ contradicere videamur. (a) Porro autem anne propterea remiſſio deſiit eſſe actus jurisdictionis? demus, quod ſummus Imperans homini facinoroſo faciat gratiam, & pœnam mortis remittat: an non hæc ipſa gratia eſt effectus poteſtatis ſupremæ, cui velut appendix cohæret jus vitæ & necis, jus æque aggratiandi, quam vitam adimendi? ut nihil dicamus de eo, quod Chriſtus *ex poteſtate Excellentiæ*, quemadmodum vocant noſtri Theologi, quamplurima fecerit, & facere potuerit, quæ Eccleſiæ Miniſtris facere eſt vetitum (b), quod ideo dictum volumus, ne videamur cum Proteſtantibus juſtificationem noſtram & exinde promanantem remiſſionem peccatorum in fidem refundere. Cæterum non moramur alias interpretationes *poteſtatis clavium* in traditione & authoritate SS. Patrum fundatas, quas Theologi noſtri afferre ſolent (c): quum enim non ignoremus, quod Proteſtantes authoritatem Patrum & Conciliorum tanti non æſtiment, imo contemnere, & vilipendere ſoleant, iisdem

(a) Math. 9. v. 2. videns JESUS fidem illorum dixit paralytico: confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Idem legitur Marc. 2. v. 5. & Luc. 5. v. 20. *quorum fidem, ut vidit, dixit: homo remittuntur tibi peccata tua.* item Luc. 7. v. 47. 48. &c.

(b) Sic e. g. Chriſtus Apoſtolos ordinavit in Epiſcopos ſine impoſitione manuum, id quod Epiſcopi non poſſunt.

(c) Vid. Spicilegium Clariſſ. P. Corbiniani Thomas Diſſert. 2. N. 12. ubi has claves ex SS. PP. profundiſſime dilucidat,

dem, quibus ipſi utuntur, armis eſſe utendum, atque argumentis ex rerum geſtarum circumſtantiis, regulis Juris & Prudentiæ depromptis contra ipſos agendum exiſtimavimus. In compendium redigamus præcipua acta & facta Apoſtolorum, & tunc demum ſecundum regulas prudentiæ ultimatum de poteſtate imperii Apoſtolorum feramus judicium: conſtituerunt, & Eccleſiis privative Epiſcopos præfecerunt Apoſtoli. (a) Juſſerunt, ut Epiſcopi ab ipſis conſtituti conſtituerent Presbyteros. (b) Ejecerunt, excommunicarunt, & graviſſimis pænis animadverterunt in Ananias, & Saphiras (c), in Himæneos, Alexandros, & inceſtuoſos. (d) Coierunt non nunquam in Synodos pro expediendis dubiis, ſanciendis legibus, & decidendis controverſiis majoris momenti. (e) Quandoque ſinguli ſuam interpoſuerunt authoritatem. (f) Suas Eccleſias non raro per ſe ipſos, aliquoties per *Presbyterium* ſeu Collegium Miniſtrorum à ſe conſtitutorum gubernarunt. Hæc & his ſimilia an non ſint apertiſſima & quaſi characteriſtica Imperii ſigna, aliorum judicio decidendum relinquimus.

Quæ hactenus de Apoſtolis diximus, majori longe jure de Chriſto dicenda veniunt: triplicem perſonam Chriſtus ſuſtinuit, *Redemptoris*, *Doctoris*, & *Legislatoris.* Qua *Redemptor* paſſus fuit, crucifixus, & mortuus. Qua *Doctor* docuit, prædicavit, omneque imperium à ſe amolitus fuit. Qua *Legislator* autem aſpernatus eſt omne Regnum temporale (g), ſed non Regnum ſpirituale & regimen tum animarum tum Eccleſiæ à ſe noviter fundandæ, cujus regendæ poteſtatem & à Patre accepit, & acceptam exercuit, & ulterius in ſuos Apoſtolos transtulit. De poteſtate ipſe dat teſtimonium dicens: *data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra.* (h) Exercuit eam, quando *Synagogam* cum Republica ex mente Proteſtantium infallibili nexu colligatam abrogavit, novamque Eccleſiam inſtituit, eique de ſaluberrimis legibus providit: ſed quales, rogabis, leges tulit? inſtituit itaque Chriſtus Sacramenta in ſignis viſibili-

(a) Ita Paulus Titum & Timotheum conſtituit Epiſcopos.
(b) Tit. 1. v. 5. *hujus rei gratia* reliqui te Cretæ, ut conſtituas per Civitates Presbyteros.
(c) Act. 5. v. 3. 4. & 5.
(d) 1. Timoth. 1. v. 20. *ex quibus eſt Hymeneus, & Alexander, quos tradidi Satanæ.*
(e) Act. 15.
(f) Patet hoc ex epiſtolis Pauli ad Corynthios, & Theſſalonicenſes ſcriptis.
(g) Joan. 18. v. 36. *Regnum meum non eſt de hoc mundo*
(h) Exſtat præceptum ſumendi Baptismum Joan. 3. v. 5. niſi quis renatus fuerit &c. item præceptum ſumendi Eucharistiam Joan. 1. v. 34. *niſi manducaveritis carnem Filii hominis &c.*

bilibus, illorumque uſum ſub interminatione pœnæ æternæ præcepit, hisque velut tot fundamentis ſuam Eccleſiam ſuperædificavit. (a) Præcepit dilectionem inimicis (b), libertatem dandi libellum repudii ſuſtulit, & abrogavit, ut nihil dicamus de aliis legibus. Neque dubium eſſe poteſt, quin plures alias leges, quæ non ſunt ſcriptæ *in libro hoc*, tulerit, quas per traditionem ad nos usque à tempore Apoſtolorum traductam accepimus. Atque hanc ipſam poteſtatem transtulit in ſuos Apoſtolos: hos enim *ſingulari vocatione* vocavit: hos *miſit, quemadmodum ipſe miſſus à Patre fuerat*: his *claves regni cœlorum, poteſtatem ligandi, & ſolvendi* conſignavit, his Eccleſiam regendam commiſit: ecquis enim tam temerarius erit, ut credat, quod Apoſtoli ſine poteſtate ſibi tradita Eccleſias inſtituerint, Rectores illarum conſtituerint, tot ordinationes fecerint, atque regimen Eccleſiæ auſu temerario aſſumpſerint?

Et quoniam pars adverſa ſe præcipue in *Societate æquali* fundat, paucis diſpiciendum, num Chriſtus Dominus talem inſtituerit. Itaque ſi Chriſtus omnes eſſe æquales voluit, ad quid Apoſtolos *ſingulari vocatione* vocare voluit, cur illos ſolos ad *prædicandum Evangelium* miſit, ipſis ſolis *curam ovilis* commiſit, poteſtatem *remittendi peccata* communicavit, cur ſolos Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos ſingulari ritu per impoſitionem manuum ad ſuum Miniſterium aſſumi præcepit, quare ipſi ſoli primas tenuerunt in Conciliis (c), ſoli conſtituerunt per ſingulas Eccleſias Presbyteros &c.? ſi dicant hæc omnia & ſingula non niſi poteſtatem *directivam*, neutiquam *legiſlatoriam* arguere, profecto parum aut nihil dicunt, ſiquidem imperceptibile eſt, quod ampliſſima illa poteſtas Apoſtolis conceſſa, & ſine ulla contradictione ab illis liberrime in uſum deducta conſultis ſanioribus Philoſophiæ & Jurisprudentiæ regulis, maxime ſi ea omnia, quæ Apoſtoli ordinarunt, & diſpoſuerunt in unum veluti cumulum conjiciantur, fuerit mera poteſtas *directiva* omni imperio deſtituta. Ubinam terrarum illa *Societas*, in qua ea eſt poteſtas *Directorum*, ut ipſis ſolis non conſultis ſociis jus æquale habentibus omnia & ſingula ordinare, diſponere, ſtatuta condere, negotia publica privative adminiſtrare, & Magiſtratus conſtituere liceat? In omnibus Collegiis, & *Societatibus æqualibus* ex communi praxi, conſuetudine & obſervantia frequentiores habentur conventus, & in his communi ſuffragio tractantur negotia, deciduntur

 cau-

(a) Math. 28. v. 18. (b) Math. 4. v. 55. *Diligite inimicos veſtros.* Marc. 10. v. 4. *Moyſes permiſit ſcribere libellum repudii, &c.*

(c) Act. 15.

cauſæ, conduntur ſtatuta, diſpenſantur officia, diſtribuuntur miniſteria, & bono Societatis, ac ſociorum omni meliori modo providetur, quin Directoribus præter *jus relationis cum prærogativa voti informativi* aliud jus competat, ut adeo ad ipſos nihil aliud pertinere videatur, quam ut ad Conventus referant, proponenda proponant, negotia dirigant, decreta executioni ſimpliciter mandent. Anne tale quid factum legimus à Chriſto & Apoſtolis? non niſi ſemel aut ad ſummum bis celebrarunt Concilium, & ad id vel totum cœtum, vel ſeniores convocarunt (a), cætera omnia excluſo cœtu privative diſpoſuerunt. Ex his facile colligere licet, quam lubrica ſint argumenta, quam ruinoſa ſint principia, ad quæ pro ſuffulciendo ſuo ſyſtemate confugere Proteſtantes neceſſum habent. Ultimum hiſce robur addat Paulus Apoſtolus, qui nobis *inæqualitatem* in membris Eccleſiæ aptiſſima ſimilitudine â corpore humano mutuata ad oculum demonſtrat, dum dicit (b): *ſicut corpus unum eſt, & membra habet multa, omnia autem membra non habent eundem actum &c, vos autem eſtis corpus Chriſti, & membra de membro. Et quosdam quidem poſuit DEUS in Eccleſia primum Apoſtolos, ſecundo Prophetas, tertio Doctores &c. nunquid omnes Apoſtoli? nunquid omnes Prophetæ? nunquid omnes Doctores?* quid clarius, & evidentius?

Opportune adhuc nobis incidit argumentum quaſi ad hominem ex ipſis principiis Proteſtanticis deſumptum: quamquam enim in hac quæſtione unice appellandum foret ad inſtitutionem Chriſti, in cujus poteſtate erat inſtituere ſtatum qualemcunque in Eccleſia: attamen, quum ipſi Proteſtantes pro demonſtranda neceſſitate Reipublicæ Politicæ ex una, & eliminanda Republica Catholica ex altera parte argumenta ex principiis Philoſophiæ & Jurisprudentiæ petitis mutuare conſueverint, id ipſum nobis quoque ad demonſtrandam Rempublicam Eccleſiaſticam licere exiſtimavimus. Itaque quærere nobis liceat, quæ ſit *cauſa impulſiva*, cur homines in Societatem coiverint, ſibique ipſis de Imperantibus proſpexerint? reſponſio in promptu eſt: nempe neceſſitas, ſecuritas, metus, felicitas id hominibus perſuaſit, prout ſupra diximus, quando de origine Civitatum egimus, eo quod ſine imperio, ſine legibus finis Reipublicæ obtineri nequiverit. Jam dicant nobis, an non hoc ipſum de Eccleſia eodem, vel majori jure dici valeat? nam demus hominibus libertatem ſentiendi, tollamus omne imperium, omnemque vim urgendi pænis proportionatis ſeponamus. Eliminemus poteſtatem *legiſlativam* cum ipſis legibus Eccleſiaſticis, quæſo quæ rerum, opi-

(a) Loc. cit, (b) 1. Corinth. 12.

opinionum, & doctrinarum monſtra prodibunt in lucem? impune graſſabuntur hæreſes, dummodo ſtatum Politicum non turbent (a), tot erunt credendorum formulæ, quot ſectæ & hæreſes, omnis Eccleſiæ diſciplina peſſumdabitur, omnia ſusque deque vertentur. Dein quorſum in dubio Religionis pro deciſione erit recurrendum? num ad cœtum? ſed ubinam Chriſtus Dominus poteſtatem decidendi cauſas fidei controverſas in cœtum tranſtulit, aut quomodo ſuffragia totius Eccleſiæ per univerſum orbem diffuſæ non quidem *virilia*, ſed, demus, ſolummodo *curiata* obtineri poterunt? forſan appellandum erit ad Principem? ſed quis ipſum conſtituit Judicem, ubinam Chriſtus vel unico verbo regimen ſuæ Eccleſiæ in Principes tranſtulit? ſi dicant, quod Princeps ſua *Jura Majeſtatica* aliunde habeat, *Collegialia* vero Cœtus ipſe transferre potuerit, & quantum eſt ex parte Proteſtantium id ipſum ad eliminandum Papatum, uti ſcribunt, voluerit: porro autem undenam hæc poteſtas abdicandi, transferendi jura ex inſtitutione divina tam cœtui, quam Apoſtolis, illorumque ſucceſſoribus conceſſa Laicis competit? demus, quod *Societates* liberæ ex libero hominum conſenſu initæ ſua jura in quemcunque tertium & maxime in principem transferre valeant. Verum an idipſum in Societate à Chriſto Domino inſtituta liceat, jure ptimo dubitari poteſt: anne eſt in poteſtate inferiorum in legibus Superiorum diſpenſare? anne licere exiſtimamus normam & credendorum, & agendorum à Chriſto præſcriptam pro ſuo arbitrio alterare, immutare abrogare, novam regiminis formam præſcribere, Apoſtolorum ſucceſſoribus ſua jura vi è manibus extorquere, & in ſuos Principes transferre? ſi dicant, quod neceſſitas, quæ legem non habet, hujusmodi translationem ſuaſerit (b), id ipſis incumbit probandum, & per hanc ipſam reſponſionem ſe ipſos feriunt: eccur enim in Principes præpotentia virium, & poteſtate cogendi munitos *Jus in ſacra* transferri debuit, niſi ut tyrannis pontificia, prout ajunt, ſupprimeretur, Eccleſia à ſuis nævis purgaretur, libertas conſcientiarum reſtitueretur? an non hoc ipſum eſt agnoſcere, quod in Eccleſia neceſſaria ſit *forma Regiminis* cum imperio conjuncti, ſed talis, qualem Chriſtus inſtituit, & Apoſtolorum ſucceſſores ante tempora reformationis

(a) Ajunt enim Proteſtantes, quod omnes ſectæ ſint tolerandæ præter ſectas Atheiſtarum, Deiſtarum, Indifferentium, quum horum principia apertè Statui politico adverſentur, hoc ipſo quod nullum Legiſlatorem, nullas leges, nullum jus agnoſcant.

(b) Recolantur ſupra dicta ex Pfaffio dicente hanc translationem fuiſſe neceſſariam ad proſcribendam Papo-Cæſariam &c.

exercuiſſe legimus, in quo ſi exceſſerunt, tolli debuiſſet abuſus, & bonus uſus conſervari. Utrum vero Proteſtantes omnia ſua *Jura Collegialia* in Principes ſuos transferre voluerint & actu transtulerint, noſtra parum intereſt. Viderint ipſi quomodo bono Eccleſiæ, Reipublicæ, ſuis rebus & juribus conſuluerint. Jam contrariis eſt obviandum, pro quo ſit

§. XXVI.

HIs bene expenſis prolixiore reſponſione ad argumenta contraria opus non eſt, quippe quibus aliunde per noſtras probationes fuit ſatisfactum. Pro primo argumento ex Jure naturæ petito bene notetur diſcrimen inter *Religionem*, & *Eccleſiam*. Ad perſuadendam hominibus non credentibus, & infidelibus Religionem utendum non eſt armis & violentiis, ſed argumentis intellectum de veritate Religionis convincentibus. Atque huc pertinet exemplum Chriſti & Apoſtolorum à parte adverſa jactatum. Ab Eccleſia imperium omne exulare nec debet, nec poteſt: quomodo enim alias homines ſcelerati in ſuo continebuntur officio, quomodo ſtabit pax tranquillitas, & ſalus Eccleſiæ, ſi vagam credendi libidinem & libertatem concedamus: nonne tot ſectæ & hæreſes ſcindent Eccleſiam, quot ſunt hominum libere ſentientium capita? Actum erit de obſervantia legum divinarum & Eccleſiaſticarum, ſi omnem cogendi vim, vel poteſtatem coërcendi eliminemus. Recolantur memoria tot hæreſes & ſchismata, quibus Eccleſia non raro per plura ſæcula vexabatur. Itaque admittimus, quod *Religio* omnem vim, omne imperium, omniaque media violenta reſpuat. Utrum vero *Eccleſia* contra illos, qui de veritate Religionis ex motivis credibilitatis antea convicti Eccleſiæ nomen dederunt, mediis violentioribus uti nequeat ad continendos illos in ſuo officio, vel ſeverioribus pœnis plectendos, ſi Reipublicæ Chriſtianæ rebelles fiant, ſaluberrimas leges contemnant, ſibi ipſis vel ex pertinacia vel ſuperbia novam religionem cudant, alia eſt quæſtio hic & nunc à nobis neutiquam decidenda. Miles, quamdiu eſt miles, ad obſevantiam legum militarium obligatur. Si caſtra deſerat, auffugiat, fœdifragus fiat, ſemper characterem militarem ſecum portat, & Principi, cui militavit, remanet jus illum ad caſtra reducendi, pœnisque proportionatis caſtigandi. Nolumus tamen nos huic immiſcere quæſtioni, an aliquis ad fidem compelli valeat? id ſolum animadvertimus, quod DD., qui hanc quæſtionem examinant, commu-

munius *Religionem* & *Eccleſiam* confundant, & inter utramque non ſatis accurate diſtinguant. Ad 2.dum ℞. quod homines ex omni jure teneantur amplecti *Religionem revelatam* credibiliorem, & hoc ipſo ſe, ſuamque voluntatem ſubjicere Statui, ſuppoſito, quod Dominus DEUS Religionem Statui vel Reipublicæ innectere voluerit. Verum eſt, poſſet homo extra omnem ſtatum colere DEUM, quo modo coluerunt DEUM homines ante legem ſcriptam. Poſtquam autem DEO in lege antiqua Statum Synagogæ & Reipublicæ Hebraicæ in unam coadunare placuit: anne hominibus liberum fuit colere DEUM extra Rempublicam? nunquid ipſi Proteſtantes dicunt, quod tam arctus fuerit nexus inter Synagogam & Rempublicam, ut una ſine altera ſtare non potuerit, & nemo civis Reipublicæ eſſe potuerit, qui non ipſius Religionis Judaicæ membrum fuerat. En! quomodo ſe ipſos feriant Proteſtantes, & in ſuis principiis exorbitent. Obtemperandum eſt DEO in rebus Religionem concernentibus, ſive extra ſive intra Statum, vel in Statu Eccleſiaſtico prorſus diſtincto, prout in lege nova fieri vult, à nobis coli, & adorari velit. Quidquid ergo in *lege naturali*, & *ſcripta* antiqui teſtamenti factum fuerit: nos habemus *aliam legem*, *& ſecundum hanc vivere debemus.* Res mira! DD. Proteſtantici continuo nobis exprobrant, quod à lege antiqua ad legem novam argumentemur (a), & quid illi aliud in hac non tantum ſed etiam in aliis materiis faciunt?

Quantum ad ea, quæ pars adverſa ex lege divina in novo teſtamento à doctrinis, factis & exemplis Chriſti & Apoſtolorum affert, bene animadvertatur ad duplex munus Chriſti, & Apoſtolorum, nempe *munus prædicandi*, & *regendi Eccleſiam.* Itaque quidquid Proteſtantes ex doctrinis, factis & exemplis Chriſti contra imperium Eccleſiæ declamant, ad *Religionem perſuadendam*, & munus Apoſtolicum rite exercendum pertinere videtur, cætera, quæ de *poteſtate Clavium*, *ligandi*, *ſolvendi*, & *remittendi peccata* Chriſtus diſpoſuit, docuit, & tradidit, ad *Eccleſiam regendam* pertinent. Argumentum ex etymologia, origine, vel uſu antiquo nominis petitum aliunde eſt infirmi roboris: quot non habemus nomina, quæ alium ex prima ſua origine habuerunt uſum, & alium ſucceſſu temporis obtinuerunt (b). utique totam ſignificationem verborum & nominum à libera hominum acceptatione dependere aliunde ſcimus.

M 3 Quan-

(a) E. g. à Statu Synagogæ ad Statum Eccleſiæ. à Sacerdotio antiquæ ad Sacerdotium novæ legis, ab immunitate Sacerdotum in antiquo, ad immunitatem illorum, in novo teſtamento.

(b) E. g. nomen *familiæ*, uti alibi diximus.

Quantum ad ea, quæ ex *origine*, *fine*, & *ſtructura Civitatum* illata ſunt, reflectatur ad ea, quæ ſupra diximus. Utique Status non eſt neceſſario dimetiendus ex ſua origine, fine, & forma imperii, ſed ex ipſa *ſubordinatione imperantium* & *obedientium*, quæcunque fuerit *cauſa impulſiva* introducendi Statum, quemcunque ſibi homines finem in Societatem coeuntes præfixerint. Et certe, ſi argumento contrario ſuum robur demus in Civitatibus politicis, aliter tamen longe diſcurrendum erit pro Statu Eccleſiæ ab ipſo Chriſto Domino erecto, cujus Diphteram velle inſpicere temerarium foret.

Demum ad argumentum ex *confœderata diſciplina* petitum reponimus, & quidem ad locum Tertulliani, quo DD. Proteſtantici utuntur, ut diſcrimen inter *Clericos & Laicos* ex Jure Divino promanans eliminent, quod Tertullianus hæc ſcripſerit, poſtquam in hæreſin Montaniſtarum lapſus fuit, de quibus conſtat, quod ſecundas nuptias pro illicitis habuerint. Jam ut hoc Montaniſtis perſuaderet, uſus eſt exemplo Epiſcoporum & Sacerdotum, quibus duas etiam ſucceſſive ducere uxores non licet, & hinc fideles omnes eſſe Sacerdotes libere ſed non ſine fuco aſſeruit. Si quæratur, in quo ſenſu Tertullianus fideles omnes *Sacerdotes* vocaverit, communius noſtrates reſpondent, in hoc ſenſu, quatenus omnes & ſinguli DEO offerunt *Sacrificia bonorum operum*. Porro autem vix eſt credibile, quod Tertullianus de hoc ſacrificio communi ſomniaverit. Veroſimilius eſt, quod Tertullianus, dum hæc ſcripſit, diſciplinam Eccleſiaſticam illius ævi ante oculos habuerit, ex qua ſcimus, quod laicis licitum fuerit Sacrum Corpus Ccriſti ſecum deferre domum, ut ex eo communicarent cum familia, cui ſumendam quoque buccellam porrigebant: jam ex hoc infert Tertullianus, omnes Laicos eſſe Sacerdotes, eo quod parten Sacerdotii exequerentur, & ita forent & *tingens*, & *Sacerdos*. Sed quis non primo intuitu calliditatem Tertulliani animadvertit, utpote qui unum dixit, & alterum diſſimulavit: alia enim eſt *oblatio*, quæ fit per *Conſecrationem*, & alia, quæ fit per *devotam rei conſecratæ ſumptionem*, illa prior ſemper fuit propria ſolis Sacerdotibus, hæc poſterior etiam Laicis. In eo etiam callide egit Tertullianus, dum dixit, quod differentiam inter Clericum & plebem *Ecclſia conſtituerit*. Veritatem dixit in eo, quod Eccleſia quoad conſeſſum honoris (a) varias differentias conſtituerit. Fraudem commiſit in eo, quod differentiam ex Jure Divino inter Clericos & Laicos conſtitutam diſſimulave-

(r) Conſeſſus hic conſiſtit in variis prærogativis e. g. quod Epiſcopi & Presbyteri in Eccleſia ſederent. Laici ſtarent, illi loso eſſent honoratori, iſti humiliori &c.

verit. Cætera paucis expedimus: nam eſto plebs interfuerit nonnunquam Conciliis, & electionibus, ita tamem ſemper interfuit, ut ſumma rerum agendarum ſemper fuerit penes Episcopos: audierunt Epiſcopi ſuffragia populi, ea expendebant, & demum ſuis ſuffragiis deciſivis ultimatum judicium ferebant. Vocaverunt ſine dubio & Apoſtoli & eorum Succeſſores cæteros fideles *Fratres*, quia omnes ſumus *Fratres* in Chriſto: uſi ſunt hoc nomine in ſuis exhortationibus, epiſtolis, doctrinis, quas ſecundum leges manſuetudinis proponere omnino expediebat, imo etiam qua Rectores uſi ſunt, ut oſtenderent ſuum regnum non eſſe in *Virga ferrea*, ſed in *Vinculis charitatis* oleo manſuetudinis & lenitatis delibutum. Scripſerunt epiſtolas ad ipſas *Eccleſias*, quia ea, quæ ſcribebant, non modo ad Epiſcopos, & cæteros Clericos, verum etiam omnes Chriſti & Eccleſiæ fideles pertinebant. Hisce contrariis argumentis ſatisfactum eſſe credimus.

§. XXVII.

DE forma Regiminis, quam Chriſtus in ſua Eccleſia conſtituit, non eſt, quod multum dicamus: alibi enim hanc quæſtionem fuſius deduximus, & Regimen Monarchicum Ariſtocratia temperatum defendimus (a)

CAPUT II.
DE HIERACHIA ECCLESIASTICA.

§. I. *Quid, & quotuplex ſit Hierarchia Eccleſiaſtica?* II. *An in Eccleſia detur Hierarchia, & qualis?* III. *Qualis olim fuerit, & ſit hodie quoad illos, qui Hierarchiam conſtituunt?* IV. *De Prælatis Eccleſiæ Majoribus, ſpeciatim de Capite Hierarchiæ, ſeu de Pontifice remiſſive.* V. *De Cardinalibus.* VI. *De Patriarchis Majoribus.* VII. *De Patriarchis Minoribus.* VIII. *De Legatis Pontificiis.* IX. *De Vicariis Sedis Apoſtolicæ.* X. *De Exarchis, & Primatibus.* XI. *De Metropolitis.* XII. *De Epiſcopis.* XIII. *De Coadjutoribus Epiſcoporum.* XIV. *De Capitulis Cathedralibus.* XV. *De Prælatis Minoribus in ſpecie de*

(b) Vid. Differt. VI. de Pontifice §. IX.

de Abbatibus. XVI. *De Præpoſitis & Decanis Eccleſiarum Cathedralium.* XVII. *De ipſis Canonicis Eccleſiarum Cathedralium.* XVIII. *De variis officiis & dignitatibus illorum.* XIV. *De Vicariis Generalibus.* XX. *De Archi-Diaconis.* XXI. *De Archi-Presbyteris.* XXII. *De Clericis inferioribus.*

§. I.

EVicto *Statu Eccleſiæ* non eſt nobis multum deſudandum in evincenda *Hierarchia Eccleſiaſtica.* Iisdem enim argumentis Proteſtantes impetunt *Hierarchiam Eccleſiaſticam*, quibus impugnant *Rempublicam Catholicam.* Utramque negant eſſe Juris Divini. Utriusque conſtitutionem adſcribunt Dominatui Pontificum, & ambitioni Clericorum. Neque inter *Statum Eccleſiæ* & *Hierarchiam* aliud diſcriminis eſt, niſi quod prior ordinem imperantium & obedientium in poteſtate imperii, poſterior certum ordinem & ſubordinationem inter ipſos imperantes in diverſis gradibus majoris excellentiæ, dignitatis, & poteſtatis fundatum importet, ex quo dein *forma imperii*, qualiscunque demum ſeu *Democratici*, *Ariſtocratici*, & *Monarchici*, ſeu *mixti* reſultat. *Hierarchia* ſua origine eſt nomen Græcum (a), & ex ſua etymologia ſignificat *Sacrum Principatum.* Primus, qui illud ad Statum Eccleſiæ illuſtrandum adhibuit, fertur fuiſſe Dionyſius Areopagita, vel author ſub hoc nomine latitans (b), qui ſcripſit libros de *Hierarchia Cœleſti*, & *Eccleſiaſtica*, & talem Principatum ſecundum diverſos ordines tam inter Angelos, quam miniſtros Eccleſiæ à DEO conſtitutum tradidit. Hoc nomine dein paſſim uſi ſunt Patres, & Scriptores: antiquitas hujus nominis dependet à quæſtione Critica, de qua primum diximus, nempe an author librorum de *Hierarchia Cœleſti*, & *Eccleſiaſtica* ſit Dionyſius, vel alius incerti nominis ſcriptor? ſi enim Dionyſio illos vindicemus, hoc nomen erit coævum tempori Apoſtolorum: ſi cuicunque alteri ſæculi 4ti Scriptori, de ipſius antiquitate actum erit (c). Quidquid autem de antiquitate illius ſit, de qua non ſumus ſolliciti, ſufficiet nobis demonſtraſſe, *Hierarchiam Eccleſiaſticam* quoad rem à Chriſto fuiſſe inſtitutam.

Hie-

(a) ἀπό τῆς ἱερᾶσ ἀρχῆς·

(b) Ingens enim hodie controverſia inter Criticos, num Dionyſius, num alius quiscunque librorum, qui ſub nomine Dionyſii circumferuntur, ſit author. Plerique hodierni Critici negant Dionyſium eſſe authorem. Vid. Antonius Pagi, Nat. Alex. Cotelerius, Cave &c.

(c) Hujus opinionis eſt Joan. Cotelerius Tom. 2. Pat. Apoſt.

Hierarchia igitur *Eccleſiaſtica* nobis eſt *Principatus ſecundum diverſos gradus officiorum, functionum, vel poteſtatis inter Miniſtros & Rectores Eccleſiæ in ordine ad certa miniſteria obeunda, & regimen Eccleſiæ exercendum à Chriſto conſtitutus.* Inde conſequens eſt, quod omnis *Hiertrchia* fundetur vel in *Miniſterio*, vel in *Imperio*: quanto ergo excellentius eſt *Miniſterium*, vel ſublimius *Imperium*, tanto altiorem Miniſtri, & Imperantes in *Hierarchia* conſequuntur gradum. Et quoniam Chriſtus Dominus in ſua Eccleſia quosdam conſtituit Miniſtros ſeu diſpenſatores Myſteriorum DEI (a), quosdam Rectores ſuæ Eccleſiæ (b), & in his Miniſterium diſpenſationis cum poteſtate imperii coadunavit, ita tamen, ut quibusdam illorum ſublimiora quibusdaminferiora miniſteria & functiones circa ſua Myſteria peragendas commiſerit, & pro diverſitate miniſteriorum poteſtatem imperii vel ampliaverit, vel reſtrinxerit, ulterius ſequitur, quod duplex detur *Hierarchia*, una inter Miniſtros & diſpenſatores Myſteriorum DEI, altera inter Rectores Eccleſiarum, quarum primam vocamus *Hierarchiam Ordinis*, alteram *Jurisdictionis*. Itaque primitus de *Hierarchia Ordinis* agendum, videndumque, quænam illa Myſteria, quorum diſpenſationem Chriſtus ſuis Miniſtris commiſit, quinam hi ipſi Miniſtri, quibus vel ſublimiora vel inferiora miniſteria ſunt commiſſa? Myſteria hæc certe non ſunt alia, quam Sacro-Sancta Eccleſiæ Sacramenta, & inter hæc Myſterium Myſteriorum, quod eſt Sacramentum Evchariſtiæ. Miniſtri autem alii non ſunt quam illi, quos Chriſtus ipſe ſingulari vocatione vocavit, & diſpenſatores hujus Myſterii eſſe voluit, atque ad id miniſterii ſingulari ritu, quem vocamus *Sacramentum Ordinis*, præcipue per *impoſitionem manuum*, ſed nonniſi per gradus quosdam & Ordines, aſſumi, & ſingulis ſua miniſteria vel proximiora vel remotiora, ſublimiora vel inferiora circa Myſterium illud obeunda committi præcepit, ut adeo illi & gradu, & Ordine antecederent, qui nobiliorem vel excellentiorem functionem circa illud exercerent: Ritum hunc Eccleſia noſtra vocare conſuevit *Sacramentum Ordinis*, illud ipſum autem miniſterium appellat *poteſtatem Ordinis*, ex qua proin per modum ſequelæ neceſſariæ fluit *Hierarchia Ordinis*, quæ nihil eſt aliud, quam *certus hominum Status à Chriſto ad Miniſterium ſpirituale & præcipue adminiſtrationem Sacramenti Evchariſtiæ per ſingularem deputationem & ritum aſſumptus, varios involvens gradus, quorum alii ſunt ſuperiores, alii inferiores, ut mediantibus his perveniatur ad gradum Presbyteratus, & inde ad culmen Sacerdotii, quod eſt Epiſcopatus.* Nume-

(a) *Sic nos exiſtimet homo, ut Miniſtros Chriſti, & diſpenſatores Myſteriorum DEI.* 1. Cor. 4. v. 1.
(b) *Attendite vobis, & univerſo Gregi, in quo vos Spiritus S. poſuit regere Eccleſiam DEI.* Act. 20.

merat vero Eccleſia plures hujusmodi gradus, & quidem alios Latina, alios Eccleſia Græca, alios iterum antiquior, & alios Eccleſia novior. Antiquior nonniſi tres numeravit, nempe *Epiſcopatum*, *Presbyteratum*, & *Diaconatum*, hodierna vero, ſi loquamur de Latina numerat communius ſeptem usque ad *Presbyteratum* incluſive, vel octo, ſi illis Epiſcopatum tanquam ſupremum annumeremus (a), tres priores Chriſtus, quatuor inferiores Eccleſia ſucceſſive inſtituit, dum aliquod quaſi *Hierarchiæ* ſeminarium eo fine erexit, ut in eo ſelectiorum juvenum numerus æque in morum probitate, ac literarum ſtudiis inſtitueretur, illisque interea portio quædam munerum Eccleſiaſticorum committeretur, usque dum ad ſublimiora munia olim obeunda magis idonei redderentur. (b) Sunt autem gradus ſequentes Presbyteratus, Diaconatus, Subdiaconatus, Lectoratus, Exorciſtatus, Acolythatus, & Oſtiariatus. Ex his Eccleſia quosdam vocat *Majores*, quosdam *minores*, prout aliunde notum eſt. Eccleſia econtra Græca in hodiernam usque diem non niſi tres agnoſcit Ordines, nempe Presbyteratum, Diaconatum, & Lectoratum, quin tamen Eccleſia Latina unquam illam propterea alicujus erroris accuſaverit (c). De his plura Theologi.

Et quoniam Chriſtus hos ipſos ſuos Miniſtros, & diſpenſatores Myſteriorum ad ſuprema Regiminis Eccleſiaſtici ſubſellia ſublimavit, & in quosdam eorum veluti totam plenitudinem poteſtatit, in alios nonniſi rivulos quosdam transfundere, quosdam in ſubliomiori, quosdam in inferiori gradu conſtituere voluit, ex hac diverſitte graduū, & poteſtatis vel amplioris, vel réſtrictioris neceſſario reſultare debet *Hierarchia Jurisdictionis*, quæ nihil eſt aliud, quam *Sacer Principatus inter Miniſtros, & Rectores Eccleſiæ à Chriſto cum certa ſubordinatióne inter ipſos conſtitutus, vi cujus aliqui ampliori, aliqui minori authoritate & poteſtate ſunt inſtructi, hocque modo & ſibi, & cæteris fidelibus præſunt.* En! fundamentum totius *Hierarchiæ Eccleſiaſticæ.* Ad id jam cardo difficultatis devolvitur, utrum Chriſtus Dominus hanc duplicem *Hierarchiam* inſtituerit? Pro quo ſit §. II.

(a) Nobis certum eſt, quod Epiſcopatus ſit Ordo adæquate à Sacerdotio diſtinctus propter ſublimiorem, ſoli Characteri Epiſcopali annexam, & nulli ſimplici Sacerdoti ex Traditione Divina communicabilem poteſtatem, quæ eſt poteſtas ordinandi Sacerdotes, nulli unquam commiſſa.

(b) De ſolo Ordine Epiſcopatus & Presbyteratus certum eſt, quod ſint Juris Divini. De Diaconatu ferme omnes idem tenent, & pauci in dubium vocant. Cæteri Ordines ſunt inſtitutionis Eccleſiaſticæ, & ultra duo Sæcula ignorabantur in Eccleſia. Vid. quæ diximus Diſput. I. Cap. V. §. 8.

(c) Ex hoc inferunt Theologi noſtri, non eſſe de fide, quod ſeptem dentur Ordines, licet Synodus Trident. tot numeret, quia non eſt veroſimile, quod Eccleſiam Græcam alicujus erroris in fide voluerit arguere.

§. II.

ITaque inquirendum nobis erit in Originem, & inſtitutionem hujus duplicis *Hierarchiæ*. Sed quid multum eidem immorabimur, utpote quam noſtri Doctores pridem luculentiſſimis argumentis ex Script. Traditione & Patribus depromptis evicerunt (a), quorum argumenta huc facientia in compendium redigere liceat. Primum petunt ex lege veteri, in qua DEUS tribum Leviticam aſſumpſit, ut præeſſet Synagogæ, & Sancta Sanctorum tractaret: cur non id ipſum in lege nova obtineat (b)? 2.dum ex ſingulari vocatione, eo quod Chriſtus quosdam ſingulari vocatione vocaverit, elegerit, feceritque Miniſtros ſui Evangelii per inſufflationem & traditionem Spiritus S. (c) atque his ipſis diſpenſationem Myſteriorum (d), ac regimen Eccleſiarum commiſerit (e). 3.tium deſumunt ex Apoſtolo, quando varios miniſtrantium gradus recenſet, quorſum pertinet illud: *Sicut in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem habent actum &c.* (f) 4.tum depromunt ex locis, in quibus ſolis Apoſtolis eorumque ſucceſſoribus poteſtas remittendi peccata, ligandi, ſolvendi &c. conceſſa fuiſſe legitur. 5.tum Ex Traditione divina, Apoſtolica, & Eccleſiaſtica derivant, ex qua conſtat, quod antiquiſſimi PP. non modo *Ordinem Clericalem à ſæculari*, verum etiam inter ipſos Clericos varios, & præcipue tres Ordines, *Epiſcoporum*, *Presbyterorum*, & *Diaconorum* diſtinxerint, quorum innumera afferre teſtimonia ſupervacaneum ducimus (g). Pro Hierarchia Jurisdictionis faciunt ea omnia, quæ alibi fuſius pro ſtabiliendo Primatu Pontificis deduximus (h), & infra deducemus. Utramque Hierarchiam à Concilio Trident. eſſe definitam aliunde ſcimus (i).

(a) Vid. Bellarminus de Pot. Summi Pont. Petavius de Eccleſ. Hier. Thomaſ. Tom. 1. Lib. 1. cap. 51. Melchior Canus de R. E. Auth.

(b) An, & quid probet argumentum ex lege veteri deſumptum fuſe probavimus in Diſput. II. de Font. Orig. Cap. 1.

(c) *Act. 6. v. 6.*

(d) Vid. ſup.

(e) Loc. mox antea citato.

(f) Rom. 12. v. 4.

(g) Vid. Thomaſ. Tom. 1. Lib. 1. Cap. 51. ubi citat teſtimonia Ignatii, Tertulliani, Cypriani, Clementis Alexand. Origenis, Optati, Hieronymi, Auguſtini &c.

(h) Vid. Diſput. 4. §. 10.

(i) Seſſ. 23. de Sacram. Ord. Can. 6.

§. III.

JAm quæ olim fuerit, & hodie ſit Hierachia Eccleſiaſtica tam *Ordinis*, quam *Jurisdictionis* diſpiciamus. Utraque per duo prima Sæcula arctis circumſcripta erat limitibus: illa non niſi tres complectebatur Ordines *Epiſcoporum*, *Presbyterorum*, *Diaconorum*. (a) Hæc ex ſolo *Pontifice*, *Epiſcopis*, & *Presbyterio* conſurgebat (b): eminuit nempe in Pontifice illa plenitudo poteſtatis à Chriſto in Petrum transfuſæ, hæc ipſa contractioribus non nihil radiis coruſcavit in Epiſcopis, illius quædam participatio parciori longe lumine ad modum radioli reſplenduit in Presbyteris & Diaconis. Utrique, tam Hierarchiæ *Ordinis*, quam *Jurisdictionis* varia acceſſerunt incrementa, priori diverſi Ordines, *Subdiaconatus*, *Lectoratus*, *Exorciſtatus*, *Acolythatus*, *Oſtiaratus*. (c) Poſteriori diverſæ dignitates, & officia. Nondum enim in Eccleſia invaluere tot diverſiſſimi generis dignitates & officia, quorum ne quidem nomina erant nota. Ignorabantur tunc temporis tam dignitates Cardinalium, Patriarcharum, Exarchorum, Primatum & Metropolitarum, quam officia Archi-Diaconorum, Archi-Prebyterorum, Primiceriorum, Præpoſitorum, Decanorum, aliorumque. Succeſſu temporis moribus Eccleſiæ introductæ ſunt dignitates Patriarchales in Eccleſiis Matricibus, Metropoliticæ in urbibus Metropolibus, Exarchales, & Primatiales in amplioribus Provinciis. Aucto Eccleſiarum numero pro rerum exigentiis, ac temporum circumſtantiis Pontifices ad remotiores Eccleſias miſerunt legatos, in aliis conſtituebant Vicarios Sedis Apoſtolicæ, & in ambos quamdam abundantioris ſuæ poteſtatis veluti particulam transfundebant. Crearunt ſibi Epiſcopi Archi-Diaconos, Archi-Presbyteros, Chor-Epiſcopos, & poſt plura Sæcula Officiales, & Vicarios, & cum his ſua onera Epiſcopalia diſpertiebantur. Ex inſtituto Monaſtico prodierunt Abbates, Præpoſiti, Decani. Ex vita communi inter Clericos introducta invaluere Capitula antiquis Presbyteriis olim haud abſimilia, nunc autem variis prærogativis, juribus, & privilegiis mirum in modum coruſcantia. In his ipſis Capitulis inſtituebantur varia officia Præpoſitorum, Decanorum, Scholaſticorum, Cuſtodum, quorum aliqua jam antiquitus in uſu fuere Eccleſiæ, aliqua vero ex inſtituto Monaſtico mutuata. Inde na-

(a) In primitiva Eccleſia primorum duorum ſæculorum nonniſi tres fuiſſe prædictos Ordines ex epiſtolis genuinis S. Ignatii M. aliisque probant feræ omnes hodierni Theologi Dogmatici.
(b) De *Presbyterio* infra dicemus.
(c) Circa Sæc. 3. hos Ordines fuiſſe inſtitutos ſupra monuimus.

natæ ſunt innumeræ diſtinctiones inter Prælaturas *Majores*, & *minores*, inter Beneficia *qualificata* & *ſimplicia*, intèr *Dignitates*, *Perſonatus* & *Officia*, inter Clericos *ſæculares*, & *regulares*, quas omnes recenſere immenſi laboris opus foret. En! Hierarchiam tam Ordinis, quam Jurisdictionis antiquam & novam in imagine veluti contracta delineatam.

§. IV.

AGe, jam hæc diſtinctius expendamus, & quo ævo & tempore, qua occaſione, qua ratione hæc omnia & ſingula facta fuerint, videamus. Exordium ducamus à *Prælatis Majoribus*, inter quos veluti ſupremum in Hierarchia Eccleſiaſtica Caput eminet ſummus Pontifex, cui ſuum triplicem Primatum *Honoris*, *Authoritatis*, & *Jurisdictionis* aliasque Prærogativas alibi vindicavimus: quamquam quasdam earum à nobis in dubium fuiſſe vocatas non ignoremus (a), id quod optima intentione nos feciſſe ibidem inſinuavimus.

§. V.

POſt Pontificem ſequuntur S. R. E. Cardinales non quidem dignitate *Ordinis*, vel *Jurisdictionis*, ſed *Officii*: non enim datur major dignitas ſeu Ordinis, ſeu Jurisdictionis quam eſt in Epiſcopis. Prior eadem eſt in ſupremo Pontifice, & in infimo Epiſcopo, poſterior amplior eſt & quidem ex Jure Divino in Pontifice, & ex Jure Eccleſiaſtico in Patriarchis & Metropolitis, non nihil reſtrictior in Epiſcopis ſeu uni ſeu alteri eorum ſubjectis. Et quamvis etiam Cardinales habeant Jurisdictionem *quaſi Epiſcopalem* in Titulis ſuarum Eccleſiarum, hæc tamen eſt longe inferioris Ordinis, quam eſt illa Epiſcoporum, ſiquidem Jurisdictio Epiſcopalis ex Jure Divino eſt annexa Characteri Epiſcopali, quaſi Epiſcopalis econtra ex Jure mere Eccleſiaſtico dignitati Officii alligata, illa ſe extendit ad Diœceſes ampliſſimas, hæc reſtricta eſt ad titulum unius Eccleſiæ. Itaque ſola dignitate Officii Cardinales antecellunt Epiſcopos, eo quod ſunt ſupremi Conſiliarii ſummi Pontificis, eidem in Regimine Univerſalis Eccleſiæ aſſiſtunt, & tempore Sedis vacantis modo proviſorio valde limitato Eccleſiæ præſunt, ac de novo Pontifice per electionem Canonicam ex Jure mere Eccleſiaſtico ad ipſos devo-

(a) Superioritatem ſupra Concilia, Infallibilitatem in Dogmatibus fidei, poteſtatem directam & indirectam in temporalia Regum & Principum &c.

lutam proſpiciunt. (a) Juvat jam in nomen, & originem Cardinalium, poſtea in illorum numerum, officia, poteſtatem, & praerogativas inquirere.

Cardinales à *Cardine* dicuntur, vel quia ſunt quaſi *Cardo* fixus, ſuper quibus valvæ Romanæ Eccleſiæ volvuntur, vel quia ipſa Romana Eccleſia eſt veluti *cardo* & *axis* omnium Eccleſiarum. (b) Olim hoc nomen fuit proprium Epiſcopis, Presbyteris, & Diaconis, qui titulis ſuarum Eccleſiarum, ad quas ordinabantur, erant perpetuo affixi & veluti *incardinati* cum jure percipiendi ſuam portionem, & obligatione ſuis Eccleſiis perpetuo inſerviendi, & hoc modo diſtinguebantur à Clericis, qui jure *fiduciario* & nomine adminiſtratorio quibusdam Eccleſiis ad tempus præficiebantur. (c) Horum Cardinalium frequens mentio apud S. Gregorium. (d) Et tales, nempe Cardinales, Presbyteri, & Diaconi dabantur non modo in Eccleſia Romana, in qua etiam Cardinales Subdiaconos fuiſſe teſtatur Joannes Diaconus (e), ſed etiam in aliis Eccleſiis, quin in Galliis Parochos paſſim fuiſſe appellatos Cardinales ad Sæc. usque 11. teſtis eſt incerti nominis author in ſuo Tract. de origine Cardin. (f) Succeſſu temporis hoc nomen unice fuit translatum ad Senatum Rom. Pontificis eidem in Regimine Univerſalis Eccleſiæ aſſiſtentem, cæteriſque Clericis quantacunque dignitate fulgentibus illud ſibi appropriare interdictum. (g)

Jam de origine Cardinalium S. R. E. potiſſimum videamus. Habuere olim omnes Epiſcopi ſuum *Presbyterium*, ſeu quoddam Collegium ex Presbyteris & Diaconis conflatum, quorum conſilio in majoris momenti negotiis veluti ſenatus cujusdam utebantur. (h) Tale *Presbyterium* & Senatum procul dubio habuere Romani Pontifices. Eminuit hic Senatus in Eccleſia dignitate, & authoritate haud ſecus quam ipſe Pontifex, & cum hoc in dies majora accepit incrementa. Tria potiſſimum erant, quæ ipſum adeo ſpectabilem

(a) De utroque videlicet de jure eligendi Pontificem, & authoritate Cardinalium tempore Sedis vacantis infra dicemus.
(b) P. Engl ad Tit. de M. & O. Van Eſpen Part. 1. Tit. 22. Cap. 1.
(c) Thomaſſ. Tom. 1. Part. 1. lib. 2. Tit 51.
(d) Teſtimonia affert cit. Author loc cit.
(e) Lib. 3. Epiſt. 7. cit à Thomaſſ.
(f) Vid. Van Eſpen loc. cit.
(g) Vid. Vincent. de Petra Tom. Conſtit. ad Conſtit. 15. Eugenii IV. ubi refert, quod cum Canonici Eccleſiæ Compoſtellanæ, Ravenatenſis, Mediolanenſis, & Neapolitanæ titulum Cardinalium adhuc retinerent, Pius V. id poſthac fieri prohibuerit.
(h) De hoc Presbyterio infra dicetur, ubi agemus de Capitulis Cathedralibus.

lem reddiderunt, nempe ipſa *Dignitas Senatoria* non vulgaris, non communis, ſed valde eminens, & eatenus ſingularis, quatenus fuere intimi quaſi Conſiliarii ſupremi Principis Eccleſiaſtici, quem in regimine Univerſalis Eccleſiæ in cauſis quibuscunque ex univerſo orbe Catholico ad ipſum delatis ope & conſilio juvabant, *jus eligendi Pontificem*, ac ipſa *ſors proſpera*, qua factum eſt, ut Pontificatus communius uni ex hoc Collegio obtigerit. (a) Quare mirum videri non debet, quod quidam etiam Epiſcopi Clero Romano adſcribi ambirent, ideo fortaſſis, ut eo felicius ad ſupremum Pontificatus apicem eluctarentur. (b) Interim ea inerat animis Cleri Romani moderatio, temperantia, æquitas, & prudentia, ut ad ſuos conventus more aliarum Eccleſiarum communius vicinos Epiſcopos invitarent toties, quoties de negotio majoris momenti, maxime vero de eligendo, ſeu potius conſecrando Pontifice erat agendum. (c) Placuit ſucceſſu temporis etiam ipſis Pontificibus pro majori authoritate ſuæ Sedi Apoſtolicæ concilianda non raro invitare Epiſcopos vicinos, ut vel coram ipſo divina celebrarent, vel celebranti aſſiſterent, id quod tanto facilius impetrare potuerunt, quanto major Epiſcoporum erat reverentia erga Pontificem, utpote quem haud ſecus quam alii Epiſcopi non modo tanquam ſuum Metropolitam, ſed etiam *Patriarcham* ſuſpiciebant. Primus qui id fecit, creditur fuiſſe Stephanus IV. qui teſte Anaſtaſio Biblioth. (d) ſeptem viciniores Epiſcopos invitavit, ut ſingulis diebus Dominicis in Eccleſia S. Salvatoris in Altari S. Petri divina celebrarent, eosque primus nomine honorifico *Cardinales* appellavit (e): nam ante hæc tempora, licet in Eccleſia Romana eſſent Cardinales *Presbyteri*, & *Diaconi*, nullus tamen erat *Epiſcopus Cardinalis* præter ipſum Pontificem haud ſecus quam in aliis Eccleſiis, in quibus ſolus Epiſcopus Eccleſiæ ſuæ erat *Cardinalis*. Ab eo tempore nempe circa finem Sæc. 10. Epiſcopi cum Presbyterio Pontificis in unum coaluere Collegium, ita ut Epiſcopi non tantum reſpectu ſuarum Eccleſiarum, verum etiam intuitu Eccleſiæ Lateranenſis dicerentur *Epiſcopi Cardinales*. Retinuerunt interim hi Epiſcopi ſuas prærogativas

&

(a) Et quidem conſtat, quod plerumque unus ex Diaconis fuerit aſſumptus. Inde conſurgit communis illa difficultas, an aliquis Diaconus quaſi per ſaltum ad Epiſcopatum non ſuſcepto prius Presbyteratu fuerit promotus, de quo vid. Franciſ. Pagi Tom. I. in vita Sabiniani Pont.

(b) Vid. Thomaſ. Tom. 1. lib. 2. cap. 51.

(c) Juxta morem nempe antiquum, juxta quem omnes Epiſcopi Comprovinciales ad electionem fuerunt convocandi.

(d) Prout refert Thomas Tom. 1. lib. 2. cap. 51. (e) Ibidem.

& præeminentias ante Cardinales Presbyteros & Diaconos, neque his ex hac conſociatione aliquid dignitatis & proedriæ ſupra alios Epiſcopos acceſſit. Succeſſu temporis denique factum eſt, ut Cardinales Presbyteri & Diaconi de radiis *Epiſcoporum Cardinalium* participarent, eorumque Collegium ſupra Collegium Epiſcoporum elevaretur. (a) Ex his jam manifeſtiſſime ſe prodit Origo Cardinalium: aut enim lquimur de nomine *Cardinalium*, aut de dignitate Cardinalitia Cardinalium S. R. E. hodierna? item vel de Cardinalibus Presbyteris & Diaconis, vel Epiſcopis? ſi de nomine loquamur, conſtat ex dictis, quod nomen Cardinalium olim fuerit proprium Presbyteris & Diaconis matriculæ ſuarum Eccleſiarum incardinatis, & cuivis Epiſcopo ad titulum ſuæ Eccleſiæ ordinato, quin tamen ullus alius Epiſcopus præter Romanum Pontificem in Eccleſia Romana titulo *Cardinalis Epiſcopi* ad Sæc. usque 9. fuerit inſignitus. Si de dignitate loquamur, diffiteri non poſſumus, quod ſingulari dignitatis eminentia claruerit Clerus Romanus, longe minori tamen, quam eidem acceſſit ex radiis alienis, quos tum ab Epiſcopis in idem cum ipſis Collegium coeuntibus mutuavit, tum ipſi Pontifices indulgendo tot inſignes honorum titulos, proedrias, jura & privilegia quam liberaliſſime in ipſum diſpenſarunt. Itaque ut in compendium redigamus omnia: nomen Cardinalium eſt antiquiſſimum, in longe alio tamen ſenſu, quam habet hodie. Fuere Cardinales tam Presbyteri & Diaconi quam Epiſcopi, ſed non fuit illuſtre Collegium Cardinalium S. R. E. ex his omnibus conflatum tot honorum titulis, pr&rogativis, & privilegiis inſigne. Presbyteri Cardinales in Urbe Romana ante Sæc. 10. numerabantur 28. Diaconi dicebantur illi, qui *Diaconiis* per ſingulas urbis partes erectis præficiebantur: erant autem *Diaconiæ* nihil aliud, quam pia quædam loca ad modum Hoſpitalium pro alendis pauperibus, viduis, pupillis, & ſenibus inſtituta, quibus adjuncta erant quædam Oratoria, & his quidam præfecti Clerici, ab his *Diaconiis* Cardinales *Diaconi* vocati. Poſtquam vero hujusmodi domus hoſpitales exoleverunt, ſolis Sacellis & Oratoriis nomen *Diaconiæ* adhæſit, & ab his *Diaconi Urbis* dicti. Porro autem hæ *Diaconiæ* per quatuordecim Regiones Urbis diſtributæ erant, atque hinc primitus Diaconi hisce præfecti dicebantur *primæ, ſecundæ &c. Regionis*: at ſucceſſu temporis antiquata hac appellatione dici cœperunt Diaconus hujus, vel illius *Diaconiæ* e. g. S. Adriani &c. utrum origo Cardinalium ſigulariter

(a) De his fuſius agit cit. Author.

ter à Sacerdotibus levitici generis, item ab Apoſtolis, eo quod illi ſummo Sacerdoti, hi vero Chriſto inſervierint, prout aliqui volunt (a), derivari debeat, nolumus diſcutere.

Ex his de antiquo Cardinalium numero conſtat. Erant nempe 53. Cardinales Epiſcopi 7. Presbyteri 28. Diaconi 18. numerus iſte circa Sæc. 12. ab Honorio II. minui cæpit, & ad numerum incertum fuit redactus, ita ut tempore Nicolai III. non niſi ſeptem eſſent Cardinales. Poſt tempora Nicolai III. ita auctus fuit illorum numerus, ut in Concilio Baſileenſi cautum fuerit, ne ultra 24. eſſent. Ab eo tempore Pontifices pro ſuo libitu hunc numerum vel auxerunt, vel reſtrinxerunt, nullus tamen antiquum 53. numerum exceſſit usque ad Leonem X. qui ſimul & ſemel 31. Cardinales creaſſe legitur, ita ut illorum numerus ad 65. excreverit. Exemplum Leonis ſecuti ſunt Paulus III. & Paulus IV. & ad 70. usque anteriorem numerum auxerunt. Tandem Sixtus V. decrevit, ut hic numerus ad exemplum Synagogæ, & diſcipulorum Chriſti foret conſtans & perpetuus. (b) Hodie Collegium Cardinalium conſtituitur ex Epiſcopis 6. Presbyteris 50. & Diaconis 14. Eccleſiæ Cathedrales, quibus 6. Epiſcopi præficiuntur, ſunt ſequentes, Oſtienſis & Veliterna invicem unitæ, Portuenſis, & S. Rufinæ ſimiliter unitæ, Albanenſis, Sabinenſis, Tuſculana, Præneſtina. Cardinales Presbyteri & Diaconi ſinguli habent certum *titulum*, qui eſt parva Diœceſis & Eccleſia, cui Cardinalis præficitur, & de quo ſe etiam ſcribunt e. g. ad S. Praxedem, ad S. Laurentium in Damaſo &c. cæterum Cardinales tam Presbyteri, quam Diaconi in ſua claſſe permanent, etiamſi Presbyteros ad Epiſcopatum, Diaconos ad Presbyteratus ordinem promoveri contingat. Quod ſi aliqua ex ſupra dictis ſex Eccleſiis Cathedralibus vacaverit, tunc primo, ſecundo, & tertio antiquior Presbyter, præſens tamen, quarta autem vice prior Diaconus ad eam promovetur.

De præeminentia & authoritate Cardinalium videamus: qualis fuerit præeminentia Cleri Romani, antequam in unum corpus cum Epiſcopis coaluit, ſupra diximus. Pedetentim factum eſt, ut ad illud dignitatis faſtigium aſcenderent, quo hodie ſupra Archi-Epiſcopos & Epiſcopos ſunt collocati. Ab initio ne quidem illi ſeptem viciniores Epiſcopi Pontifici ſacra operanti aſſiſtentes ullam ſupra cæteros Epiſcopos Archi-Epiſcopos, & Patriarchas habebant præcedentiam ad tempora usque Gregorii VII., ſed ſola prærogativa

O

(a) P. Engl ad Tit. de M. & O.
(b) Conſtit. 50. hujus Pontif.

tiva temporis gaudebant (a). At ubi Sæc. 11. in Concil. Rom. ſub Nicolao II. conſtitutum fuit, ut in electione Romani Pontificis ſumma authoritas eſſet penes Cardinales Epiſcopos, quatenus hoc modo Imperatoribus Germanis incircumſcripta illa dirigendi electiones Pontificum poteſtas è manibus extorqueretur, paulatim & ſenſim ſine ſenſu ſupra cæteros Epiſcopos, Primates & Patriarchas ſedere incœperunt. Id cum animadverterent cæteri Cardinales non Epiſcopi eandem ſeſſionis prærogativam ad ſe attraxerunt, eo quod cum Epiſcopis in unum coaluerint Collegium. Conſtat hoc ex Concil. Romano & Beneventano (b). Nondum tamen ea ſedendi prærogativa ante Epiſcopos à Cardinalibus Presbyteris & Diaconis uſurpata erat firma & conſtans usque ad Sæc. 13., in quo duo celebrata ſunt Concilia Lugdunenſia, in quorum primo de an. 1245. Cardinales univerſim ad dextram, & lævam Pontificis ſupra Archi-Epiſcopos, & Epiſcopos, in ſecundo autem an. 1274. celebrato ſupra Patriarchas ſediſſe leguntur (c). Ex hac ſedendi prærogativa multæ obortæ ſunt lites in Anglia, & Polonia, de quibus plura ſcribit ſæpe laudatus Thomaſinus (d). Ab eo tempore inter Cardinales, & ipſos etiam Principes ſtirpis regiæ, Electores, aliosque Principes prærogativa præcedentiæ multa excitavit diſſidia, de quibus fuſiori agere calamo ad nos non pertinet. Quidquid tamen de hac ſedendi & præcedendi prærogativa ſit, teſtantur nihilominus authores omni exceptione majores, quod ad tempora usque Clementis V., & Bonifacii VIII. Epiſcopi ne quidem dignati fuerint fieri Cardinales Presbyteri, firmiter ſibi perſuaſum habentes, non licere ad dignitatem minorem, qualem reputabant dignitatem Cardinalitiam, à majori deſcendere (e).

Ad præeminentiam, authoritatemque Cardinalium promovendam, plurimum conduxerunt varia inſignia, quibus Pontifices ſuos Cardinales condecorarunt, variaque jura & privilegia, quæ in eos quam liberaliſſime diſpensârunt. Ad Inſignia Cardinalitia præter purpuream veſtem Cardinalibus tanquam Legatis à Latere indultam pertinet pileus rubeus ab Iñocentio IV. Sæc. 13., & byrettum coccineum à Paulo II. conceſſum una cum facultatè panno ejusdem coloris ſternen-

(a) Antiquioribus temporibus antiquior habebat Epiſcopus præcedentiam. Numerabant autem annos à die Conſecrationis Epiſcopalis, & hinc diem hanc ſolemniſſimam habebant.

(b) In Romano de an. 1059. jus eligendi Pontificem obtinuerunt, & jam ante Epiſcopos ſederunt. Vid. Thomaſ. Tom. 1. lib. 2. cap. 113. N. 2.

(c) Idem ibid. N. 7. & cap. ſeq.

(d) Ibid.

(e) Van Eſpen. part. Tit. 22. cap. 1.

nendi equos & mulos, ſi eos equitare contingat. Urbanus VIII. titulo *Eminentiſſimi* in locum *Illuſtriſſimi* illos honoravit, unaque prohibuit, ne quis præter Electores Eccleſiaſticos imperii hoc titulo uteretur (a). Innocentius X. de an. 1645. confirmavit decretum Congregationis Sacrorum Rituum, quo præcipitur Cardinalibus, ne alio inter ſe uterentur titulo vel nomine quam *Cardinalis*, quaſi vero hic titulus cæteros omnes nobilitatis, ſanguinis, & familiæ titulos abſorberet. (b)

Ad Officia, jura, & privilegia Cardinalium pertinent potiſſimum ſequentia: 1.mo ſunt Conſiliarii primarii Pontificis, eique in regimine univerſalis Eccleſiæ aſſiſtunt. 2do. Habent jus eligendi Pontificem privative (c). 3tio. Sede Pontificia vacante aliquam ſed valde limitatam exercent adminiſtationem interimiſticam, maxime ſi urgens aliqua neceſſitas inſtet, & negotium remoram non patiatur (d). 4to. Romæ præſunt variis Congregationibus ibidem erectis (e). 5to. Habent jurisdictionem quaſi Epiſcopalem in titulis ſuarum Eccleſiarum. 6to. Vocantur ad Concilia Generalia; & in iis ex jure conſuetudinario habent votum deciſivum (f).

Cauſas ſi quis à nobis admirabundus requirat, quibus factum eſt, ut ſimplices Presbyteri & Decani nullo charactere inſigniti, nullaque prærogativa ex jure divino inſignes ad tam ſublimem dignitatis gradum ſupra Archi-Epiſcopos, Primates, & Patriarchas aſcenderent, dabimus ei ſequentes: 1mo. jam ſupra animadvertimus, quod Clerus Romanus velus ſupremus Summi Pontificis Senatus ex eo potiſſimum capite fuerit valde ſpectabilis, quod ad ipſum jus eligendi Pontificem pertinuerit, & aut Numine ita dirigente, aut ſorte ipſi favente ut plurimum aliquis ex hoc collegio in Pontificem fuerit aſſumptus. Quando ergo incœpit creſcere authoritas Pontificis, quam eo ævo id eſt Sæculis 10. 11. & 12. immenſa accepiſſe incrementa aliunde ſcimus, crevit etiam authoritas Cardinalium: intererat enim Pontificis pro ſtabilienda ſua authoritate, ut ſuis Cardina-

(a) Barboſa Jur. Eccleſ. Univ. l. 1. cap. 4. N. 87.

(b) Meretur deſuper legi Van Eſpen loc. cit.

(c) Ex Conſtitutione Nicolai II. in Concil. Romano de anno 1059., quo tempore tamen adhuc admittebatur populus ad electionem, usque dum ab Alexandro III. fuerit excluſus.

(d) Non enim Collegium Cardinalium ſuccedit in jura Pontificis, quo modo Capitulum Cathedrale in jura Epiſcopi, & hinc non poſſunt exercere jura Pontifici qua Pontifici propria ſive fidem, ſive diſciplinam Eccleſiaſticam reſpiciant, niſi in caſu præſentiſſimi periculi e. g. Schismatis, vel hæreſis, ubi poſſent convocare Concilium.

(e) Hanc Cardinalium poteſtatem vel maxime reſtrinxerunt Greg. X. in Concil. Lugd., de quo vid. cap. 3. de elect. in 6. Clemens V. in Concil. Vien. Clement. 2. de elect. Pius IV. in Conſt. quæ incipit: *in eligendis*, Clemens XII. in Conſtit. *Apoſtolatus Officium* de an. 1732.

(f) Ex jure enim divino ſoli Epiſcopi habent votum deciſivum, ſicuti docent Theologi.

nalibus novos honorum cumulos affunderet, & authoritatem Metropolitarum, Primatum &c. ſuo modo deprimeret. 2do. Contigit, ut Sæc. 10. jus eligendi Pontificem ab Imperatoribus Germanis aut uſurpatum aut turbatum ad Collegium Cardinalium privative devolveretur: itaque extollenda erat authoritas Cardinalium, quod Imperatoriæ poteſtati objicienda fuerit. Acceſſerunt 3tio. frequentes legationes Cardinalium ad Reges & Principes, quibus ut majori cum decentia, pompa, ac feliciori etiam effectu defungerentur, exornandi erant variis inſignibus, inſtruendi variis privilegiis & juribus, ne & propria & Pontificis authoritas vileſceret. 4to. Cum cauſæ majores communius in Conſiſtorio ſacro trutinarentur, facile fieri potuit, ut Epiſcopi ſuis judicibus primas honoris cederent. 5to. Cum Pontifices non raro ipſos Epiſcopos ſpectatiores in ſuos Cardinales aſſumerent, facile hi adduci potuerunt, ut incremento dignitatis & authoritatis Cardinalitiæ ſuffragarentur.

De jure creandi Cardinales pauca addere liceat. Jus ergo Cardinales eligendi ad Pontificem privative pertinet, vel potius ab eo exercetur (a), niſi quod Imperator, & Reges Galliæ & Hiſpaniæ habeant jus nominandi vel unum vel plures, quos ſolent vocare *Cardinales Coronarum.* Quales debeant eſſe dotes, virtutes, & qualitates Cardinalium, ſufficienter expreſſit Synodus Tridentina (b), quæ omnino legi meretur.

§. VI.

A Cardinalibus ad Patriarchas majores tranſitum facimus, quorum ſive antiquitatem, ſive authoritatem ſpectemus, cæteris Prælatis Majoribus ſunt anteferendi. Nomen *Patriarchæ* ſua origine eſt vox Græca, & antiqua, ſed non in eo ſenſu, in quo Epiſcopis *Majoribus*, quos *Patriarchas* vocamus, ſucceſſu temporis fuit attributum: nam ſi in ſua originaria ſignificatione ſumatur, tunc ſignificat *primum Patrum* ſeu aliquem inter Patres inſignem, & præcipue *alicujus familiæ Caput*, quo ſenſu paſſim ſumitur in lege antiqua (c). In novo etiam teſtamento eadem voce Judæorum Primores denotantur (d). Prout vero Patriarchæ nomen aliquam dignitatem ſignifi-

(a) Ajunt enim, in Concilio Baſileenſi, vel potius in Pragmatica Sanctione poſt Concilium facta ſtatutum fuiſſe, ut Cardinales ſcrutinio & conſilio Cardinalium crearentur.

(b) Seſſ. 25. cap. 1. de Reform.

(c) Elias Du Pin de Antiq. Eccleſ. diſcip. Diſſert. 1. §. v. ubi plures S. Script. textus adducit.

(d) Sic Act. 2. v. 29. David Patriarcha dicitur, & cap. 7. v. 10. idem de filiis Jacob legitur, & de Abrahamo heb. 7. v. 4.

ficat, primum in uſu fuit apud Judæos, qui poſt everſam Jeroſolymrm ſuos Principes *Patriarchas* appellare ſolebant (a). Extinctis Judæorum Patriarchis nomen iſtud adoptarunt Montaniſtæ, & paſſim etiam Catholici, ita tamen ut ab initio omnibus paſſim Epiſcopis fuerit accomodatum, dein Exarchis proprium, & poſtremo ſolis tribus aut quinque primarum Orbis Romani urbium Epiſcopis reſervatum. Primus, qui illud quibusdam Diœceſeon Archi-Epiſcopis tribuit, fuit Socrates (b). In monumentis autem publicis primo uſurpatum legimus in Concil. Chalcedonenſi, in quo præcipuis Diœceſeon *Exarchis*, quo nomine tunc tempore majores Metropolitæ communius vocabantur, ſpecialiter vero in acclamationibus Patrum Leoni I. Pontifici fuit attributum (c). Ab eo tempore hisce *Exarchis* ferme ſolis nomen Patriarchæ inhæſit, licet legamus hinc inde etiam aliis Metropolitis vel Epiſcopis, ſed nonniſi raro fuiſſe appropriatum (d). In Oriente tamen Chriſtiani præter Patriarchas majores, ſuos habent Patriarchas ſpeciales, quorum tot numerantur, quot ſunt ſectæ: ſuum nempe habent Jacobitæ, ſuum Maronitæ, ſuum Abyſſini, duos habent Armenii. Hœc de nomine.

Quantum ad Originem Patriarcharum, Scriptores non conveniunt, undenam Eccleſiarum, juriumque Patriarchalium incunabula derivanda ſint: ſunt enim nonnulli, qui inſtitutionem dignitatis Patriarchalis vel Chriſto, vel certe Apoſtolis in acceptis referunt (e). Sunt alii, qui illas volunt eſſe Eccleſias Patriarchales, quas ipſe Petrus fundaverat, & ex hoc capite Eccleſiis Romanæ, Alexandrinæ, & Antiochenæ jura Patriarchalia conceſſa eſſe volunt, utpote quas Petrus ipſe & quidem Romanam & Antiochenam per ſe ipſum, Alexandrinam vero per Marcum inſtituerat (f). Sunt iterum alii, qui originem Sedium Patriarchalium ab urbibus, quæ juxta diviſionem imperii in regionibus, & provinciis fuere *primariæ*

 &

(a) Uti probat laudatus Du Pin loc. cit. ex Hieronymo, & Epiphanio.

(b) Lib. 5. cap. 8.

(c) de Exarchis infra dicemus, ubi exſplicabimus, quomodo Patriarchæ antea Metropolitæ, poſtea Archi-Epiſcopi, & Exarchi & in Concil. Chalced. Act. 7. Patriarchæ fuerint appellati.

(d) Sic e.g. in Concil. Conſtantinop. III. collat. 1. & 2. hoc nomen legitur attributum Epiphanio Tyri Epiſcopo. Item in Gallia præcipui Metropolitani hoc nomine appellati ſunt, ſic Greg. Turin. Nicetium Lugdunenſem Epiſcopum vocat Patriarcham. Addit Du Pin apud varias gentes primum Epiſcopum hoc nomine fuiſſe appellatum.

(e) Inſtitutioni Apoſtolorum illam adſcribit Petrus de Marca de Concor. Sacerd, lib. 1. cap. 3.

(f) Thomaſinus part. 1. lib. 1. cap. 8.

& *Metropoles*, derivant (a). Juvat has opiniones nonnihil dilucidare.

Petrus de Marca, ut jura Patriarchalia inſtitutioni Apoſtolicæ vindicet, unicum affert fundamentum, dicit nempe, quod ipſi Apoſtoli Orbem Eccleſiaſticum in provincias juxta normam imperii diviſerint, & hoc ipſo in animo habuerint quoddam quaſi corpus Epiſcoporum ſtatuere ſub præſidentia alicujus Metropolitæ, vel omnino Patriarchæ in urbibus Metropolibus reſidentis. Illud primum, quod dicit de diviſione, probat laudatus author ex epiſtolis Petri & Pauli ad Chriſtianos datis, in quibus eos ſecundum limites Provinciarum Romanarum accurate compellant, & quaſi circumſcribunt (b). Alterum probat ex epiſt. Pauli ad Tit. cap. 1. in qua dicit: *reliqui te Cretæ, ut conſtituas Presbyteros*, quod quid aliud eſt, niſi Titum conſtituere quaſi Metropolitam cum ampliori poteſtate conſtituendi Epiſcopos? idem procul dubio factum erit in aliis urbibus maxime *Metropolibus*, quales juxta diviſionem erant Roma in Occidente, Antiochia in Oriente, Alexandria ad Meridiem, quarum Eccleſiis procul dubio ipſe Petrus particulam ſuæ plenitudinis communicaverit.

Verum quis non primo obtutu perſpiciat, ſententiam hanc ſolido deſtitui fundamento? & quidem quod Chriſtus ipſe Patriarchalem, vel dicamus, etiam Metropoliticam dignitatem inſtituerit, merum commentum eſt, quod ne veriſimilitudinis umbram habet. Utique Chriſtus extra Judæam non prædicavit, nec ullas Gentilium urbes convertit? de ſolo Petro legimus, quod ampliorem jurisdictionem in illum transfuderit. De præcepto aliquo Apoſtolis dato, ut Patriarchas conſtituerent, pariformiter nihil legimus, quod idem dicendum de Apoſtolis: neque enim aut ipſi ſtabilem fixerunt ſedem, ſed per omnes mundi partes ſunt profecti, neque quod quosdam ampliori jurisdictioe inſtruxerint, ullibi reperitur. Ecquis enim ex eo, quod Paulus Tito dederit poteſtatem conſtituendi Presbyteros ſeu Epiſcopos, inferat, eidem Jus Patriarchale, vel Metropoliticum fuiſſe conceſſum? eæ enim tunc erant rerum circumſtantiæ, ut hæc conſtitutio novorum Epiſcoporum quibusdam Epiſcopis neceſſario concredi debuerit. Argumentum ex epiſtolis Apoſtolicis mutuatum prorſus nihil probat; eſto enim ad Provincias

(a) Elias Du Pinius de Diſcip. Eccleſ. Diſſert. 1. §. 8.

(b) Scribit enim Petrus epiſt. 1. cap. 1. ad Chriſtianos, eosque ſecundum Provincias Ponti, Galletiæ, Capadociæ, Bythiniæ & Aſiæ diſtinguit. Paulus vero diſtinguit Eccleſias Macedoniæ & Aſiæ &c.

cias diſtinctas Apoſtoli ſcripſerint: num inde ſequitur, quod etiam Eccleſias ſecundum diſtinctionem provinciarum, & urbium inſtituerint?

Altera ſententia firmioribus nititur argumentis. conſtat enim tam ex Script. quam Traditione, quod plures Eccleſiæ ab ipſis Apoſtolis fuerint inſtitutæ, hisque in Eccleſia DEI ſummus ſemper habitus honor fuerit. Ea enim ipſis Epiſcopis inſedit mentis opinio, ut crederent, in his potiſſimum Eccleſiis Traditiones tam divinas, quam Apoſtolicas longe ſincerius ac purius conſervari, quam in aliis: unde Eccleſiæ illæ paſſim apud Scriptores antiquos Eccleſiæ *Matrices* audiunt, ſiquidem ex iis Eccleſiæ cæteræ ferme omnes tanquam *filiæ* difluxere. Inde ulterius factum eſt, ut, quando contra hæreticos tunc temporis dogma fidei qualecunque impugnantes agendum erat, ad Eccleſias Matrices, earumque Traditiones fuerit appellatum (a). Inter has Eccleſias ſemper eminuere Eccleſia Romana, Alexandrina, & Antiochena, utpote quæ ab ipſo Petri Principatu dimanarunt cum hoc ſolo diſcrimine, quod Romanam, & Antiochenam ipſe inſtituerit, Alexandrinam vero per Marcum inſtitui curaverit (b), & hoc modo in omnes tres aliquam ſuæ plenitudinis participationem effudiſſe fuerit creditus. Itaque mirum videri non debet, ſi huic prærogativæ, quam cæterarum Eccleſiarum Epiſcopi in iis ſuſpexerunt, varia jura prius fortaſſis Metropolitica & poſtea Patriarchalia acceſſerunt, quæ antea moribus introducta, poſtea Nicænæ Synodi decreto ſtabilita ſunt. Quum enim cauſæ inter ipſos Epiſcopos agitatæ ſublimiorem judicem expoſcerent, omnes autem & ſingulas ad Synodos particulares, quæ non adeo erant frequentes, deferre impoſſibile foret, & inſuper Orientales judicium Romani Pontificis refugerent, voluere ſibi ipſis quemdam judicem pro decidendis cauſis ſublimioribus conſtituere. Et quem alium, quam Epiſcopum ſublimioris Eccleſiæ, in quem jam antea ſingulari honore & reverentia ferebantur.

Huic

(a) Celebris eſt locus Tertull. de Præſcript. cap. 36. ubi, poſtquam eliſit præſcriptiones hæreticorum, ad Traditiones Eccleſiarum Apoſtolicarum provocat, dicens: *proxima eſt tibi Achaja, habes Corynthum, ſi non longe à Macedonia, habes Philippos, habes Theſſalonicenſes. Si potes in Aſiam tendere, habes Epheſum. Si autem Italiæ adjaces, habes Romam.*

(b) Teſtatur Euſebius, quod Petrus Antiochiæ 7. annis ſederit. Romæ Petrum ſub Nerone fuiſſe paſſim docent Catholici contra Novatores. Similiter communis ferme opinio apud Catholicos invaluit, quod Marcus nomine & juſſu Petri Eccleſiam Alexandrinam inſtituerit quanquam id à quibusdam in dubium vocari non ignoremus.

Huic ſententiæ, quæ, ſi alio adhuc argumento non nihil ſuffulciatur, omnino videtur eſſe veriſſima, Du Pin ſequentia opponit: 1.mo, ait: ſi ab inſtitutione Eccleſiarum per Petrum, aliosque Apoſtolos facta dignitas Metropolitica aut Patriarchalis repetenda eſſent, innumeræ forent ſedes Patriarchales, quia innumeras Petrus fundavit, & rexit Eccleſias: latum ergo diſcrimen inter Eccleſiam Apoſtolicam & Patriarchalem: multæ fuerunt, & dictæ ſunt Apoſtolicæ, Patriarchales non item. (a) 2.do, Eccleſia Hieroſolymitana, licet eam Chriſtus ipſe ſua præſentia honoraverit, & in ea non modo Petrus, ſed & cæteri Apoſtoli habitaverint, Patriarchalis non fuit: Quare ergo in Patriarchalem evaſit Alexandrina, quam Petrus nec inſtituit, nec rexit? Quapropter aliam cauſam ſubeſſe non ex vano ſuſpicatur laudatus Du Pinius: hic igitur originem dignitatis Patriarchalis refundit in diviſionem Romani Imperii, quod in Regiones & Provincias fuiſſe diſtributum, & in his quasdam fuiſſe conſtitutas urbes & Metropoles, unde pendebant cæteræ, aliunde notum eſt. Itaque in his Metropolibus ſumma exercebantur judicia, ab his petebantur deciſiones cauſarum, ab his emanarunt ordinationes Provinciarum: ecquis igitur dubitare valet, ſimile quid factum eſſe in rebus Eccleſiaſticis, & cauſis majoribus: opus erat judice, & deciſione cauſæ, tractandum erat negotium majoris momenti, quod vel fidem vel diſciplinam concernebat, quorſum aut ſecurius, aut majori jure appellari poterat, quam ad Epiſcopum urbis Metropoliticæ in quem aliunde ipſa loci dignitas quandam honoris, & dignitatis, & poteſtatis transfudiſſe videbatur.

Hæc doctrina nobis ex parte aliqua probatur, ex altera parte non probatur. Non probatur nobis quoad id, quod priori ſententiæ opponit, dum aſſerit, ex illa ſequi, quod innumeræ dentur Eccleſiæ, & Metropoliticæ, & Patriarchales, tot nempe, quot vel à Petro, vel à cæteris Apoſtolis fuerunt erectæ. Non enim nobis ſermo eſt de omnibus & ſingulis Eccleſiis Apoſtolicis, vel à Petro erectis, ſed de iis, quas vel ipſe Princeps Apoſtolorum Petrus (quod idem dicendum de aliis per cæteros Apoſtolos erectis) per ſe erexit, vel per alium ſpeciali juſſu & nomine ſuo erigi voluit, iis maxime, quas ſua præſentia honoraſſe legitur. Altera ratio Dupinii ab Eccleſiæ Hieroſolymitanæ inſtitutione petita nobis perſuaſit,

(a) *Percurre Eccleſias Apoſtolicas*, inquit cit. Tertull. *apud quas ipſa adhuc Cathedræ Apoſtolorum ſuis locis præſidentur*, & inter eas nominat Coryntbum, Philippos, Theſſalonicam &c. quæ nunquam fuere Patriarahales.

ſit, ut de transactione cum ipſo facienda cogitaremus. Liceat igitur, quid nobis videatur, libere edicere. Itaque nos utrique ſententiæ & Thomaſini, & Dupinii aliquid damus, & aliquid retinemus, putamusque, utriusque ſententiam in auxilium eſſe vocandam, ut ſinceram Patriarchalis dignitatis originem exploremus, atque adeo illam tum ab Eccleſiis Matricibus à Petro fundatis, tum ab urbibus Metropolibus eſſe derivandam. Innegabile enim eſſe videtur, quod præſentia Petri & inſtitutio per ipſum facta Eccleſiis noviter inſtitutis ſingularem honorem conciliaverit, & quamdam veluti particulam plenitudinis ex pia, eaque comuni hominum æſtimatione in eas transfuderit. Sed & alterum innegabile eſt, quod ex ipſa dignitate loci Eccleſiis ſingularis dignitatis prærogativa acceſſerit: quare non ſine Numine Divum factum eſſe exiſtimamus, quod Petrus ipſe in primis tribus urbibus Romana per Occidentem, Antiochena per Orientem, Alexandrina per Meridiem inſtituerit Eccleſias. Ut quid ergo mirum, quod Chriſtani has Eccleſias ſingulari honore fuerint proſecuti, quo factum eſt, ut moribus populi & ipſorum Epiſcoporum ſublimiora quædam jura, quæ vocamus Patriarchalia, vel expreſſo, vel tacito conſenſu in illarum Eccleſiarum Epiſcopos fuerint translata. Atque hæc nobis videtur omnino certiſſima ſententia, quam confirmat communis ſcriptorum Eccleſiaſticorum opinio, qui ferme omnes docent (a), quod Eccleſiarum diviſio juxta normam diviſionis Imperii fuerit facta, ita ut illa Eccleſia fuerit Metropolitica, quæ fuit Eccleſia *Urbis Metropolis*: rem illuſtremus aptiſſimo exemplo: ſic enim Eccleſia Jeroſolymitana omnium antiquiſſima, & poſtea effecta Patriarchalis ſimplex fuit Paræcia ſuffraganea Cæſareæ. Sic & Eccleſia Conſtantinopolitana ſuo tempore ad ſupremum dignitatis Patriarchalis apicem ſublimata nihil erat aliud, quam ſuffraganea Eccleſia Hieracleenſis: & quare? non ex alia ratione, quam quod Cæſarea fuerit Metropolis per Palæſtinam, Hieraclea vero ab infenſo Septimio Severo ſupra Byzantium ſublimata fuerit.

Explorata origine Patriarcharum ſeu dignitatis Patriarchalis ulterius diſpiciendum, qua ratione eidem moribus populi, & decretis Eccleſiæ majora incrementa, & jura acceſſerint. Indubitata nobis res eſt, quod Eccleſiis Romanæ, Alexandrinæ, & Antiochenæ per prima tria Sæcula in dies novi honorum, privilegiorum ac jurium cumuli ex moribus Eccleſiæ advenerint, eorum-

P que

(a) Vid. Cabaſſut. Diſſert. 14. de Provinciis Eccleſiaſticis.

que Epiſcopi ſuam jurisdictionem & aliqualem poteſtatis plenitudinem non per unam tantum, ſed per plures Provincias circumtulerint, quam dein Synodus Nicæna totius orbis conſenſu *Can. 6.* confirmavit: juvat Canonem ex verſione Dionyſii Exigui, quæ omnium videtur eſſe optima referre: *Antiqua conſuetudo ſervetur per Ægyptum, Lybiam, & Pentapolim, ut Alexandrinus Epiſcopus horum omnium habeat poteſtatem, quia & Urbis Romæ Epiſcopo parilis mos eſt. Similiter & apud Antiochiam cæterasque Provincias ſuis privilegia ſerventur Eccleſiis. Illud autem generaliter clarum eſt, quod ſi quis præter Metropolitani ſententiam fuerit factus Epiſcopus, hunc magna Synodus definivit Epiſcopum eſſe non oportere.* Atque hic eſt celeberrimus ille *Canon*, qui celeberrimorum Virorum ingenia in hodiernam usque diem fatigavit, & in tot diſtraxit ſententias. Priusquam de difficultatibus in illius exſplicatione occurrentibus agamus, juvat aliqua prævie & breviter annotare, quorum primum eſt, quod hic *Canon* prout vult Launojus, occaſione Meletiani Schismatis fuiſſe conditus videatur, ſiquidem illius aſſeclæ antiquam conſuetudinem, vi cujus Epiſcopo Alexandrino per ſingulas Ægypti, Lybiæ, & Pentapoleos Provincias celebrandi ſacras ordinationes facultas competiit, mirum in modum turbare non verebantur. Itaque viſum erat Nicænis Patribus Epiſcopo Alexandrino, & Metropolitis antiqua ſua privilegia & jura conſervare, confirmare & ſtabilire. Alterum eſt, quod hic *Canon* à Dionyſio Exiguo integer non referatur, & ſuppleri debeat tum ex vetuſtiſſimo Codice Canonum, quo temporibus Julii Papæ Eccleſia utebatur, tum ex Act. 16. Concilii Chalcedonenſis, tum ex alio pervetuſto Canone Romanæ Eccleſiæ à Quesnellio in lucem publicam edito, in quibus ante verba Canonis ſupra allata fit mentio *Primatus Romani* prævie quaſi ſtabiliti per hæc, & his ſimilia verba: *Eccleſia Romana ſemper habuit Primatum &c.* Tertium eſt, quod in quibusdam aliis Codicibus, & in translatione Rufini fiat mentio *Provinciarum & Eccleſiarum ſuburbicariarum* (a) Inde tres emergunt quæſtiones, prima, an cit. Canon loquatur de Jure *Metropolitico*, ſicuti docet Joannes Launojus, vel de *Patriarchico*, prout plerique Doctores contra Launojum tenent (b) 2.do, an ſtante opinione, quod ſermo ſit de Jure *Patriarchico*, Primatus Romani Pontificis ſalvari valeat (c)? & 3.tio quidnam per Urbes, & Provincias *ſuburbicarias*

(a) Vid. Cabaſſutius in Notit. Eccleſ. ad Can. 6. Concilt Nicæni.

(b) Hujus ſententiæ ſunt Petrus de Marca, Natal. Alex., Elias Du Pin, Juenin, & Valeſius, quorum ultimus Launojum ex profeſſo refutavit.

(c) Ex hoc Canone hodierni Sectarii argumentum contra Primatum Romani Pontificis depromunt.

rios intelligatur, & an ultra eas ſe Patriarchatus Romanus extenderit?

Quantum ad 1.mum animavertendum eſt, hoc eſſe diſcriminis inter Jus *Metropoliticum*, & *Patriarchicum*, quod illud intra limites unius Provinciæ reſtringatur, iſtud in plures Provincias ſe extendat: quo notato audiamus argumenta Launoi pro Jure *Metropolitico* veluti pro aris & focis dimicantis: 1.mum ſic inſtaurat: *Canon* iſte occaſione Meletianorum Jus Metropoliticum Epiſcopi Alexandrini quoad Ordinationes Epiſcoporum per Ægyptum, & Lybiam exercentis turbantium fuit editus: ergo hoc ipſo loquitur de jure *Metropolitico.* Alterum deſumit ex comparatione inter Romanum Pontificem, & Alexandrinum Epiſcopum quoad jus ordinandi Epiſcopos & Clericos per *Provincias ſuburbicarias* ad Pontificem pertinens. Jam, ait Launoius, iſtud jus Pontificis fuit merum Jus *Metropoliticum:* ut ergo comparatio inter Pontificem, & Epiſcopum Alexandrinum firmo pede ſubſiſtat, Canon neceſſario de Jure *Metropolitico* intelligi debet. 3.tium depromit ex ultimis verbis citati Canonis, ubi tantum fit mentio Metropolitarum, & his ſua jura & privilegia confirmantur.

Verum quam infirmo hæc argumenta ſuſtententur fundamento paucis videamus: nam demus 1.mo Launoio occaſione Schismatis Melletiani præfatum Canonem fuiſſe conditum, Canon tamen in terminis terminantibus loquitur de jure Ordinandi Epiſcopos non per unam, ſed per plures Provincias, nempe *per Ægyptum, Lybiam & Pentapolin*: at vero quis neſcit tale jus non eſſe *Metropoliticum*, quod finibus unius Provinciæ circumſcribitur, ſed *Patriarchicum*, quod ſe in plures protendit Provincias: *Metropolitanus* enim dicitur, qui uni *Provinciæ*, Patriarcha qui toti *Diœceſi* præeſt. (a) Nec obeſt, quod juris *Patriarchici* nulla fiat mentio: nam quid tum? inde enim nihil aliud eruitur, niſi quod nomen *Patriarchæ*, & *juris Patriarchici* nondum fuerit in uſu Eccleſiæ, ipſum tamen Jus *Patriarchicum*, in quantum ſe extendit ad integram *Diœceſin* ſeu plures Provincias, fuiſſe in rerum natura nemo ſanus negaverit, ſive dein illud Jus *Metropoliticum* ſive *Patriarchicum* appellare placuerit, parum intereſt. Alterum argumentum deſumptumex comparatione inter Epiſcopum Alexandrin. & Pontificem ferit ipſum authorem: vel enim ſupponit, quod jus Ordinandi Epiſcopos Pontifici competens unice ad Provincias ſuæ Metropoli ſubjectas fuerit reſtrictũ, vel etiam ad alias Pro-

(a) Apud antiquos Scriptores nomen *Diœceſeos* ſumebatur pro pluribus Eccleſiis in pluribus provinciis conſtitutis.

vincias aliis Metropolitis parentes ſe extenderit? ſi primum? quare hoc præjudicare debuit Epiſcopo Alexandrino, cui Synodus Nicæna ſua jura per Ægyptum, Lybiam, & Pentapolin competentia ſarta tectaque conſervare, ac confirmare voluit? Si 2.dum? habemus quod volumus, nempe Canonem loqui de Jure *Patriarchico*, quale eſſe cenſetur, quod plures plurium Eccleſiarum Metropoliticarum Provincias complectitur. Et quid ſi translationem Rufini adoptemus, in qua fit mentio *Provinciarum ſuburbicarum*? ita ut comparatio ſit inter Epiſcopum Alexandrinum, & Pontificem, in quantum ille eſt Caput *Diœceſeos* Ægypti, Lybiæ, & Pentapoleos, hic vero *ſuburbicarum Provinciarum*: nonne inde aperte ſequitur, quod *Canon* loquatur de Jure *Patriarchico*, quum liquidum ſit, quod Provinciæ *ſuburbicariæ Diœceſin* conſtituerint, neque uni paruerint Metropolitæ, ſed cuidam *Exarcho*, haud ſecus, quam in rebus politicis non uni Præfecto, ſed *Vicario Urbis* fuerunt ſubditæ, ſicut infra probabitur. Hanc ſententiam Nat. Alexander, & Petrus de Marca quamplurimis ſtabiliunt teſtimoniis Hieronymi, Innocentii I. Leonis I. &c. 3.tium argumentum ex ultimis *Canonis* verbis deſumptum, quibus jura Metropolitanorum quoad Ordinationes Epiſcoporum conſervari jubentur, iterum modici eſt valoris, quid enim prohibet, quo minus & Patriarchis, & Metropolitis in eodem Canone ſua ſtabiliantur jura? igitur in priori parte *Canonis* conſulitur Juribus *Patriarchicis*, ſicut conſtat ex dictis, in altera *Metropolitanis*, quatenus præcavetur, ne Patriarchæ contraveniant juribus Metropolitarum, ſi ita mos ferat, ut Metropolitæ Epiſcopos in ſuis Provinciis exiſtentes ordinent, ut adeo in prioribus verbis trium Epiſcoporum Romani, Alexandrini, & Antiocheni jura conſuetudine introducta ſancire, in poſterioribus, & generalibus verbis cæterorum omnium privilegia Patres Synodi Nicænæ conſervare voluiſſe videantur. Atque hæc videtur eſſe genuina interpretatio citati Canonis, quidquid aliqui contradicant. (a)

Quantum ad 2.dum, an ſtabilito Jure *Patriarchali* Epiſcopis Alexan-

(a) Aliter exponit hunc Canonem Valeſius, quem ſequitur Juenin, exiſtimans, quod ultima Canonis pars non de Ordinationibus Epiſcoporum, ſed Metropolitarum debeat intelligi, illis nempe, quorum Ordinatio ad Metropolitam Metropolitarum nempe *Exarchum*, vel *Patriarcham* pertinet. Hæc enim interpretatio eſt contra naturalem ſenſum citati Canonis, uti conſideranti patebit. Ultima igitur verba habent ſe per modum exceptionis, & nihil aliud volunt inſinuare, quam quod juribus & privilegiis, quæ ex moribus & conſuetudine ſimplicibus Metropolitis competunt, per jura & privilegia Metropolitis Metropolitarum, id eſt Epiſcopis Romanæ, Alexandrinæ & Antiochenæ non debeat fieri præjudicium.

xandrino & Antiocheno ex cit. Can. competente evertatur Primatus Pontificis Romani ad id unum attendendum erit, ne fiat confuſio perſonarum, & jurium. Igitur quadruplicem perſonam in Pontifice diſtinguere, & ſingulis perſonis ſua attribuere, & vindicare jura oportebit. Pontifex ſuſtinet perſonam *Metropolitæ* in Provincia Romana, *Primatis* in Italia & adjacentibus Regionibus, *Patriarchæ* in toto Occidente, *Primatis Univerſalis* & *Supremi* in univerſo orbe Catholico, id quod nulli Patriarchæ eſſe proprium dignoſcitur, utpote quorum poteſtatem certis provinciis eſſe circumſcriptam nemo ignorat. Neque Patres Synodi Nicænæ omnimodam paritatem inter Pontificem Romanum & Epiſcopum Alexandrinum inſtituerunt, ſed unice quoad *Ordinationes Epiſcoporum* per diverſas Provincias, quas, ut Epiſcopo Alexandrino per Ægyptum, Lybiam, & Pentapaleon vindicarent, in exemplum aſſumpſerunt Jus *Patriarchicum* Romani Pontificis *Ordinationes Epiſcoporum* & Metropolitarum per omnes Provincias *ſuburbicarias* celebrantis, quin de juribus Papalibus Pontifici qua ſupremo Eccleſiæ Capiti propriis vel cogitaverint, vel ſomniaverint, multo minus illa certis Provinciarum limitibus circumſcribere voluerint, quemadmodum ipſis Epiſcopis Alexandrino & Antiocheno ſuum jus eſſe circumſcriptum ipſa Canonis verba apertiſſime loquuntur.

Quantum ad Eccleſias *ſuburbicarias* certum eſt, illas reſpondere Provinciis *ſuburbicariis.* Non minus certum eſt Provincias *ſuburbicarias* alias dici non poſſe, niſi illas, quæ Romam circumjacebant: tota igitur difficultas eſt in aſſignandis earum limitibus: ſunt enim non pauci, qui eas arctioribus limitibus & ad centeſimum ab urbe milliare coarctant, aſſerentes illas eo tractu contineri, qui *Præfecto urbis* parebant. Sunt alii, qui illas ad omnes provincias, quæ *Urbis Vicario* ſubjiciebantur, protendunt, quorũ doctrina pondere authoritatis, & rationis prævalet (a). Quoniam vero hæc quæſtio ad noſtrum ſcopum parum vel omnino nihil facit, eam inſinuaſſe nobis ſufficit.

Hactenus diximus, quomodo *Jura Patriarchalia* moribus introducta, & in Nicæna Synodo lege publica univerſi orbis Catholici Epiſcopis Alexandrino & Antiocheno fuerint ſtabilita. Quod ſi progrediamur ulterius, & Concilia eodem & ſubſequenti ſæculo celebrata, nempe Conſtantinop. I., Epheſinum, & Chalcedonenſe conſulamus, idem in his factum eſſe deprehendemus, ita tamen,

(a) Vid. Elias Du Pin de Diſcip. Eccleſ. Diſſert. 1. §. ult. ubi hæc omnia fuſe, clare, & erudite dilucidat.

ut nomen *Patriarchæ* vel *Juris Patriarchalis* ad Concil. usque Chalcedonenſe nullibi occurrat: nam in Concil. Nicæno I. Epiſcopi Alexandrinus & Antiochenus vocantur *Metropolitæ*, paulo poſt in ſubſequenti Concilio Epheſino *Archi-Epiſcopi*, in Conſtantinopol. II. *Exarchi*, ac demum in Chalcedonenſi *Patriarchæ*, ubi tamen nomen *Patriarchæ* ſingulariter attribuitur Leoni I. Pontifici (b). In hac ipſa Synodo dignitas Patriarchalis extenſa fuit ad Eccleſiam Conſtantinopolitanam, & Jeroſolymitanam, etſi ambæ antea fuerint ſimplices Paræciæ, & Suffraganeæ, prior Cæſareenſis, poſterior Eccleſiæ Hieracleenſis. Priori hic honor obtigit ob ſedem Imperatoriam Roma Conſtantinopolin translatam, poſteriori ob præcipua Myſteria noſtræ fidei Jeroſolymis peracta. Quoad utramque pauca annotare liceat: fuit, ſicut dictum, Byzantium olim urbs valde depreſſa & ignobilis, nulla honoris, præcedentiæ, vel dignitatis prærogativa inſignis. Porro autem vix Conſtantinus M. ſedem Imperatoriam eo transtulit, mox illius Epiſcopi Criſtas erigere, & ſuprema dignitatum ſubſellia ambire cœperunt, jamque in Concil. Conſtantinop. I. eo rem deduxerunt, ut prærogativam præcedentiæ & ſeſſionis ante ipſos Patriarchas mox poſt Pontificem obtinerent (c), ab eo tempore neſcio, quæ attentarunt præfati Epiſcopi. Occaſionem ipſis præbuit ipſe Canon præfati Concilii Conſtantinop. obſcurioribus nonnihil verbis conceptus, quem latius interpretantes non modo ſeſſionis, verum etiam jurisdictionis prærogativam ſupra cæteros tam Metropolitas, quam Exarchos prætendebant. Quid non tentarunt Nectarius contra Patriarcham Antiochenum, Atticus, Siſinus, & Proclus contra Exarchos Thraciæ, Ponti & Aſiæ, Flavianus & Anatolius contra eundem Patriarcham Antiochenum, & Exarchum Epheſinum, usque dum in Concil. Chalcedonenſi ſua ambitione omnes obices ſibi objectos perfringerent, remque eo deducerent, ut ipſis in dijudicandis cauſis Clericorum & Epiſcoporum contra Metropolitas alternativa vel omnino jus Præventionis cum cæteris Exarchis adjudicaretur (a), unaque tres Exarchi, Thra

(a) Vid. Petrus de Marca lib. 1. cap. 3. in ſpecie quidam Diaconi Alexandrini libellos ſuos ſupplices Leoni obtulerunt ſub inſcriptione SSmo, *ac Beatiſſimo univerſali Archi-Epiſcopo, & Patriarchæ magnæ Urbis Romæ.* Similiter Patres in eod. Concil. congregati eidem ſub lætis acclamationibus nomen *Patriarchæ* ttibuebant, & fauſtiſſima quæque vovebant.

(b) Canon 3. ſic habet: *Conſtantinop. Epiſcopus habeat Primatus honorem poſt Romanum Pontificem, eoquod ſit nova Roma.*

(c) Act. 12.

Thraciæ, Aſiæ & Ponti ſubjicerentur (b), quidquid ex poſt facto Legati Pontificii contradixerunt (c). His nondum contenti Patriarchæ Conſtantinop. omnes aggeres perruperunt, jura Pontificis invaſerunt, neque ambitioni litare deſierunt, usque dum illorum ambitio in luctuoſum in hanc usque diem perdurans ſchisma erumperet. Nolumus hic multis exaggerare ingentem illam controverſiam de nomine *Patriarchæ Æcumenici* inter Gregor. M., & Joan. Jejunatorem agitatam, eamque pluribus diſcutere. Pauciſſima de Eccleſia Jeroſolymitana, quæ pariter in ſedem Patriarchalem fuit elevata, addere liceat. Nemo non ſcit, Eccleſiam Jeroſolymitanam Eſſe Matrem Chriſtiani nominis, cæterasque Eccleſias omnes antiquitate præcellere, ibidemque præcipua fidei Myſteria fuiſſe peracta, primos Chriſtianos conveniſſe, Concilia celebrata, & Eccleſiam novam ſua accepiſſe incunabula. Excidit hæc Eccleſia omnibus ſuis prærogativis, privilegiis & juribus, poſtquam à Romanis fuit everſa. Exſtructa poſtea, & ab Ælio Adriano Ælia dicta non eadem urbs cum Jeroſolyma antiqua, nec idem Epiſcopatus videri poterat, neque ullus ei honor ſingularis habebatur in Eccleſia, & erat ſimplex ſuffraganea Metropolitæ Cæſareenſis. Porro autem ubi Conſtantinus M. magnificentiſſima ibidem exſtruxit templa, quaſi è ſuis cineribus rediviva prodiit Jeroſolyma, jamque Synodus Nicœna Sæc. 4. Epiſcopo Jeroſoly. conſeſſus & honoris ſedem attribuit, Poſtmodum Epiſcopos Jeroſol. inceſſit cupido obtinendæ dignitatis Patriarchalis, & primitus per cuniculos egerunt, donec in Concil. Conſtantinop. compoſitio fuerit facta inter Antiochenum, & Hieroſolymitanum Epiſcopum, & Antiocheno duæ Pheniciæ cum Arabia reſtitutæ, Hieroſolymitano tres ceſſerint Paleſtinæ. Supereſt, ut de Officiis & Juribus Patriarcharum pauca dicamus, quæ potiſſimum ſunt ſequentia: nempe incumbebat ipſis præcipue obligatio conſervandi unitatem fidei & Doctrinæ, in cujus ſignum mox poſt ſuas Ordinationes invicem mittebant litteras *communicatorias*, item Patriarchæ invicem ſua nomina recitabant in ſacris *Diphtychis* (d) etiam poſt mortem alicujus, & tamdiu, usque dum novus Patriarcha literas miſerit *communicatorias* non communionis tantum, ſed etiam fidei Catholicæ teſtificatrices. Cauſæ majores ipſis re-

(a) Vid. Thomaſ lib. 1. cap. 10. §. 14.

(b) Fuit enim Can. 28. in ipſorum abſentia factus.

(c) Diphtychæ nihil erant aliud, quam Catalogi, quibus inſerta erant nomina Celebriorum Virorum, & erant duplicis generis nempe *vivorum* & *mortuorum*. De his vid. Graveſon in Præfat. ad *Sæc.* 5.

reſervabantur, ordinabant omnes non tantum Epiſcopos, ſed etiam Metropolitas ditionum ſuarum. Decidebant cauſas Metropolitarum, & ab horum ſententiis appellationes admittebant. Convocabant Concilia, & ad hæc vocabant omnes ſibi ſubjectos Epiſcopos, Metropolitas, Primates &c. Hodie ſedes Patriarchales excepta Romana occupantur à Barbaris. Hodierni Patriarchæ ſunt titulares ad inſtar Epiſcoporum in partibus. Innocent. III. in Concil. Lateran. IV. renovavit privilegia & jura veterum & majorum Patriarchalium ſedium, & inter Patriarchas hunc ordinem conſtituit, ut poſt Romanum Pontificem ſequatur Conſtantinopolitanus, poſtea Alexandrinus, tunc Antiochenus, & demum Jeroſolymitanus.

§. VII.

PRæter Patriarchas *majores* dantur etiam Patriarchæ *minores*, qui antiquitus fuere ſimplices Metropolytæ ſola fere nominis magnificentia cæteris præcellentiores, nullo privilegio ſpectabiles, ne conceſſa quidem prærogativa aut præeundi, aut ſedendi ante cæteros Metropolitas. Origo illorum petenda eſt à Schismate ex damnatione trium famoſorum Capitulorum inter Romanos Pontifices & Metropolitas Aquilejenſes oborta. Occupabant tunc Italiam tum Gothi, tum Longobardi: illi paſſim ſuos Metropolitas vocabant *Patriarchas.* Sed nec puriores in ornandis, nominum ſaltem gloria, ſuis Metropolitis erant Longobardi, quibus in Schisma abreptis viſum fuit nomen Patriarchæ fovendo ſchismati perquam eſſe accomodum. Et quoniam Aquileja diruto Syrmio evaſerat caput Illyrici Occidentalis, iſtud nomen Metropolitæ Aquilejenſi attribuebant, vel, ſicut quidam volunt, ipſe ſibi arrogabat. Primitus quidem authoritati Metropolitanorũ ex aſſumptione nominis *Patriarchici* nihil juris acceſſiſſe ſupra diximus, & conſtat ex reſponſione Nicolai I. ad Bulgaros data, quibus, dum ſibi Patriarcham expoſcerent, reſpondit Pontifex, talem Patriarcham *nomine aliud, re nihil aliud quam Metropolitam fore.* Succeſſu temporis autem prærogativam loci, & ſeſſionis, imo etiam jurisdictionis in quosdam Metropolitas obtinuerunt Patriarchæ. Et quidem ſi de Aquilejenſi loquamur, conſtat, quod à ſchismate reſilierit, & ſuam ſedem ad forum Julium transtulerit. Sed ne tunc quidem aliqua honoris præeminentia fuerat conſpicuus usque ad tempora Leonis VIII., qui illum circa annum 980. ſupra omnes Italiæ Metropolitas ſedere juſſit. Itaque Metropolita Aquilejenſis primus fuit; cui honor dignitatis Patriarchalis

lis obtigit, eidemque ad noſtra usque tempora inhæſit, donec paucis abhinc annis lite inter Sereniſſimam Domum Auſtriacam & Rempublicam Venetam compoſita Patriarchatus Aquilejenſis quoad titulum fuerit ſuppreſſus. Honor dignitatis Patriarchalis ſucceſſu temporis aliis etiam Metropolitis & Ecclesiis obtigit, quas inter venit Patriarcha Gradenſis. Huic Patriarchatui inſtituendo occaſionem dederunt ipſi Patriarchæ Aquilejenſes, qui Longobardorum incurſionibus, & devaſtationibus perterriti ad Inſulam Gradi ſeceſſerunt, ibidemque diutius moras traxerunt, ac demum ad propria redierunt à Longobardis ipſis revocati. Ab eo tempore Gradi Epiſcopus proprius eſt conſtitutus, & paulo poſt dignitate Patriarchali ornatus fuit, ſicque Patriarchatus Aquilejenſis in duos diviſus. Novo huic Patriarchæ ſubjiciebantur Epiſcopi tum illi, qui à ſchismate reſipuerant, tum qui nunquam à communione deflexerant, & illi omnes, qui Romanis Imperatoribus ſuberant. Placuit autem novo Epiſcopo ſuperaddere dignitatem Patriarchalem, ut Epiſcopi, qui communionis retinentiores fuerant, & Romanis paruerant tum Pontificibus, tum Imperatoribus ejusdem honoris & nominis Metropolitam haberent, cujus erat Metropolita eorum, qui Longobardorum Principi parebant, nec à ſchismatis pertinacia recedebant. Ampliſſima erat poteſtas Patriarchæ Gradenſis, & per omnes Venetorum ditiones circumferebatur. Tandem Nicolaus V. Pontifex vitæ ſanctitate, & meritis B. Laurentii Juſtiniani Venetorum Epiſcopi permotus Patriarchatum Gradenſem Venetias traſtulit (a). Quo tempore Gothi, & Longobardi ſuos Metropolitas nomine Patriarchæ exornarunt, eundem titulum Galli Metropolitæ Lugdunenſi in Concil. Matiſconenſi an. 585. celebrato contulerunt. Succeſſu temporis ipſi Pontifices titulum Patriarchæ diſpenſarunt. Sic Nicolaus I. ad inſtantiam Bulgarorum eis Patriarcham dedit. Idem dicendum de Patriarcha Luſitano, Indico &c. quos Pontifices titulo Patriarchæ exornarunt. Hisce addi poſſent innumeri Aſiæ, Africæ, & Europæ Patriarchæ, de quibus vid. Thomaſinus.

§. VIII.

INter primarios Hierarchiæ Eccleſiaſticæ Prælatos jure optimo reponi merentur Legati Pontificii, maxime, ſi eorum poteſtatem ex iis factis dimetiamur, quibus Sæc. 10. 11. 12. 13. &c. inclaruerunt,

(a) Part. 1. lib. 1. cap. 24. & 25.

runt. Tanta profecto illorum tunc temporis erat authoritas, ut Pontifices omnem ſuæ poteſtatis plenitudinem in eos effudiſſe videri poſſent. Unde graviſſimæ contra eos motæ ſunt querelæ tum à Regibus & Principibus, quorum ditionibus acciderant graviſſimi, tum ab Epiſcopis & Metropolitis, quorum jurisdictionem, aliaque jura dignitati Epiſcopali, & Archi-Epiſcopali annexa mirum in modum turbaverant, atque adeo de eorum poteſtate reſtringenda in variis Conciliis Conſtantienſi, Baſileenſi & Tridentino actum fuit. Primitus de legatis in genere, jure mittendi legatos, & variis legatorum ſpeciebus maxime ſub veteri ſtatu Reipublicæ Romanæ pauciſſimis videamus, de quibus fuſius agere pertinet ad Jus Publieum cæremoniale.

Legatus in genere eſt *Miniſter publicus, qui nomine publico pro expediendis negotiis à Principe jus mittendi legatum babente ad alium ſub fide publica juri naturali, gentium & Civili innixa mittitur.* Itaque jus mittendi legatos eſt juris tam naturalis, in quantum cuivis liberum eſt ſua negotia vel per ſe vel per alium expedire, quam juris gentium præcipue quoad jura & privilegia ab omnibus moderatioribus gentibus legatis publicis conceſſa, qualia ſunt *immunitas* à jurisdictione illius, ad quem mittuntur, niſi contra officium legati committant, & fortaſſis aliquid hoſtile contra Principem machinentur, *jus provocandi* domum, *ſalvus conductus*, qui ipſis in via præſtandus eſt &c. Hoc ipſum jus mittendi legatos competit ſummis Principibus, & hodie etiam inferioribus, cum hoc tamen diſcrimine, quod priores mittant legatos primi generis, id eſt cum charactere præſentatitio, cæteri legatos ſecundi generis ſine charactere, de quorum proedriis, juribus, privlegiis, præcedentiis agere ad nos non pertinet.

Nobis unice agendum de legatis Pontificum, quales hodie dari triplicis generis aliunde ſcimus nempe *legatos à latere*, *Nuntios Apoſtolicos*, & *Legatos Natos*, de quibus infra plura. Potiſſimum autem in ſequentia inquiremus: 1.mo, an & quales legatos, qua & quanta authoritate inſtructos antiquitus miſerint Pontifices? 2.do, undenam legatorum hodiernorum ſive à *latere*, ſive *miſſorum*, ſive *natorum* Origo ſit petenda? Quantum ad primum nemo utique adeo protervæ frontis erit, ut Pontifici ſuper ipſo jure mittendi legatum quæſtionem moveat? Si enim hoc jus ex jure naturali & Gentium Principibus ſæcularibus competat, cur id Pontifici denegetur? quod autem Pontifices hoc jus ſemper exercuerint, aliunde ex indubitatis hiſtoriarum monumentis conſtat. Quoad ipſos vero legatos, &

& diverſas eorum ſpecies, poteſtatem; & authoritatem &c. videtur, quod Pontifices æmulati fuerint mores Romanorum, apud quos triplicis generis erant legati, nempe *Municipales* ex decreto ſui Ordinis, cui inſerti erant, alicujus negotii expediendi cauſa ad Præſidem provinciæ, vel Præfectum Prætorium miſſi, & de his agitur ad Tit. *de Delegationibus*. *Provinciales*, qui habito prius conventu à provincia ad Principem vel ad ſedem præfectorianam in caſibus ſubito emergentibus vel petendi conſilii, vel expediendi negotii cauſa, vel etiam ad alias gentes a Romana Republica mittebantur, de quibus agitur in tit. ff. de legation. & *legati cum jurisdictione*, quales erant illi, quibus adminiſtratio provinciarum fuit demandata, ut vices ipſius Senatus Romani ſupplerent, & inſtar *ſpeculatorum* eſſent, & hi ordinarie erant Senatores, & à Senatu cum Proconſule mittebantur, & de his agitur in tit. ff. de Offic. Proconſ. & legati (a) Horum igitur veſtigia ſecuti ſunt Pontifices, quos antiquioribus temporibus triplicis generis legatos miſiſſe ſcimus. Aliquando mittebant legatos ſine ulla jurisdictione ad unum alterumque negotium juxta normam mandati, quo inſtructi erant, expediendum, ea lege, ut negotio juxta fines mandati, quos excedere nefas erat, expedito ad Pontificem reverterentur: & hi erant meri quaſi *Executores* Mandatorum Poontificis, quorum varias ſpecies enumerat Petrus de Marca (b), & Thomaſinus. (c) Huc pertinent Legati, quos Pontifices ad Aulas Imperatorum, Synodos particulares, & provincias expediendorum negotiorum cauſa, nulla tamen jurisdictione inſtructos miſerunt, ſic e. g. Legatos miſit Julius ad Orientales in cauſa S. Athanaſii, ut ad Concilium convenirent, Liberius ad Conſtantinum Imperatorem, ut novum Concilium Aquilejæ celebrandum convocaret, Zoſimus ad Synodum Carthaginenſem, ut *appellationes transmarinas* (d) urgerent, idem Zoſymus S. Auguſtinum in Mauritaniam, ut quibusdam cauſis finem imponeret &c. Alii iterum erant Legati, quos Pontifices cum poteſtate Jurisdictionis miſerunt ad Concilia Generalia, ut ipſorum nomine Conciliis cum prærogativa ſuffragii informativi, proponendi, referendi, & dirigendi præeſſent, quum nullum hactenus fuerit celebratum Concilium, cui non Pontifices vel per ſe, ver per

(a) Vid. Bœhmer ad Tit. de Legat. Petrus de Marca lib. 5. de Concord. lib. 5. cap. 1.
(b) Lib. 5. de Concord. cap. 2.
(c) Part. 1. lib. 2. cap. 117.
(d) De Appellationibus transmarinis, quas Zoſimus tantopere urgebat, plura diximus in noſtra Diſput. I. cap. 3. & plura alibi dicemus.

ſuos Legatos præfuerunt. Et quidem ſummam fuiſſe authoritatem Legatorum Pontificiorum, ac longe majorem, quam aliorum Epiſcoporum in Conciliis Generalibus fatentur illi ipſi, qui alias authoritati Pontificiæ neutiquam velificantur (a). Alii demum erant Legati, quos Pontifices velut *Speculatores*, & *Inſpectores* non unius negotii expediendi cauſa, ſed ad quaſcunque cauſas emerſuras miſerunt, ut bono Eccleſiæ, fidei, & diſciplinæ Eccleſiaſticæ invigilarent, & quaſi perpetuo in Comitatu & in Aula Imperatoria permanerent. Primum, illudque celeberrimum prorſus hujus rei exemplum videre eſt in Legatione, quam Leo I. Pontifex poſt celebratum Concilium Chalcedonenſe in Cauſa Eutychianorum commiſit Juliano Epiſcopo Coenſi, quem Conſtantinopolin ad aulam Imperatoriam ablegavit, juſſitque, ut vigilantiſſime attenderet, ne hæreſis Neſtoriana vel Eutychiana convaleſceret. Ab his Legatis in Comitatu agentibus ſuam originem ducunt *Reſponſales*, ſeu *Apocriſiarii*, quorum frequens fit mentio apud Scriptores Sæc. 6. 7. & 8. & tales ideo dicebantur, quia *reſponſa* ſeu *mandata* eorum, à quibus miſſi erant, exſequebantur. Habebant ſuos *Apocriſiaros* Conſtantinopoli Pontifices non tantum, ſed etiam Patriarchæ, & Exarchi, ipſe vero Patriarcha Conſtantinopol. erat Apocriſiarius omnium Epiſcoporum. Originem Apocriſiariorum Hincmarus à tempore Conſtantini M., quidam à Leone I. plerique à Pelagio II. repetunt: verum opinio Hincmari ex eo capite non ſubſiſtit, quod eo tempore nec ipſum nomen Apocriſiariorum in uſu fuerit, nec ullum exemplum afferri queat, quod Pontifices Legatum quemdam veluti ſpeculatorem perpetuum ad aulam Imperatoriam miſerint. Altera opinio propius veritati accedit, quia Leo omnium primus fuit, qui Legatum perpetuum Conſtantinopolin miſerat. Attamen ingens erat diſcrimen inter talem Legatum, & Apocriſiarium: ille unice invigilare debebat bono fidei, Religionis & diſciplinæ Eccleſiaſticæ, & ferme unicam curam in eo collocare, ne hæreſis Neſtoriana vel Eutychiana de novo caput erigeret, cum econtra Apocryſiario omnium negotiorum, rerumque in aula Imperatoria agendarum cura incumberet. Itaque origo Apocriſiariorum repetenda eſt à tempore Juſtiniani Imperatoris, & Agapiti Pontificis. Poſtquam enim Juſtinianus devictis Gothis Italiam cum Orientali imperio conjunxit, jam arctior nexus iuter Pontifices, & Imperatores Orientales intercedebat; antea enim Romanis Pontificibus agendum erat cum Re-

(a) Hos inter eſt Petrus de Marca, qui per plura Capite authoritatem horum Legatorum mirum in modum exſplicat de Concord. Imp. lib. 5. cap. 3. & ſeq.

Regibus Gothorum. Ipſum etiam Schisma Acacianum, cui Patriarchæ Conſtantinop. adhærebant, arctiorem communionem antea impediebat. Itaque primus, qui Legatum cum munere Apocriſiarii miſit, fuit Agapetus. Ad id ergo muneris aſſumpſit hic Pontifex Pelagium ſuæ Eccleſiæ Diaconum, & poſtea Romanum Pontificem, ſub quo dein inolevit mos mittendi Apocryſiarum, ipſe enim hoc munere decoravit S. Gregorium M. tunc temporis Diaconum, qui mortuo Pelagio ad Sedem Pontificiam aſſumptus hunc morem continuavit, & ad ſucceſſores ſuos traduxit, usque dum ita ferentibus rerum, ac temporum circumſtantiis hæc conſuetudo, uti mox dicemus, exoleverit. Id ſingulari animadverſione dignum eſt, quod ad munus Apocriſiarii ſemper aſſumpti fuerint Diaconi: Diaconus enim erat & Pelagius, & Gregorius, antequam ad ſuprea Eccleſiæ gubernacula fuerunt admoti, Diaconi erant etiam horum ſucceſſores in munere Apocriſiariorum. Thomaſinus ex duplici cauſa id factum eſſe exiſtimat, tum quod ita more receptum fuerit apud Patriarchas Orientales, qui nonniſi Diaconos hoc munere decorabant, tum quod Pontifices noluerint Epiſcopos à ſuis Eccleſiis diutius divellere, id quod pridem Synodus Sardicenſis interdixerat jubendo, ut Epiſcopi, quibus negotia ventilanda eſſent in Palatio Diaconos potius mitterent, quam ipſi ab Eccleſiis abeſſent (a). Quare mirum non eſt, quod hoc potiſſimum ævo, quo Apocriſiariorum Legationes in uſu fuere, ferme ſemper in electione Romanorum Pontificum ſors in Diaconos ceciderit, & hi ut plurimum ad ſupremum Eccleſiæ clavum gerendum fuerint promoti. Verum non diu duravit hæc mittendi Apocriſiarios conſuetudo, illiusque intermittendæ occaſionem & cauſam præbuit Hæreſis Monothelitarum, quam ipſi Patriarchæ Orientales Sergius, Pyrrus & Paulus excitarunt, foverunt & auxerunt, & ipſi Imperatores ſua authoritate vel promoverunt, vel ſua conniventia ſtabilierunt. quem enim latent duo illa famoſa edicta Imperatorum Heraclii, & Conſtantis, quorum alter ſuum *Ecteſin*, alter ſuum *Typum* cum grandi rei Catholicæ diſpendio promulgavit (b)? ipſe etiam Pontifex Honorius mitius egit cum Monothelitis, ſuaque conniventia Eccleſiæ haud parum nocuit, ut propterea jure à Synodo Ge-

(a) Can. 8 Concil. Nicæni.

(b) *Ectheſis*, & *Typus* duo ſunt Decreta Imperatorum, quibus jubet, ut à duplici voluntate, quam Monothelitæ negabant, in Chriſto aſſerenda abſtrahatur, quare fallit, & fallitur Vasquez, qui falſo putavit, *Typum* fuiſſe hæreticum, propterea recte à P. Graveſon ad Sæc. 5. caſtigatus.

Generali VI. ſententiam damnationis ſubierit. Hoc tempore attrociſſimis injuriis affecti ſunt Apocriſiarii, eorumque aliqui etiam in exilium relegati, prout conſtat de Martino poſtea Romano Pontifice, quem in Cherſoneſum fuiſſe relegatum legimus. Poſt extinctam hæreſin Monothelitarum Conſtantinus Pogonatus uſum Apocriſiariorum in palatio reſidentium reſtituere procuravit, ea tamen lege, ut Apocriſiariis in aula Imperatoria remanentibus libera eſſet agendi facultas in omnibus negotiis ſeu fidem ſeu diſciplinam Eccleſiaſticam reſpicientibus, quin ad ipſum Pontificem referendi neceſſitas foret. Verum ſuboluit Pontifex latentes laqueos, quos ambitio Patriarcharum Conſtantinop. ſtruxerat, qui ſuæ ſedis amplificandis honoribus ſemper intenti, ut Apocriſiarios in ſuam ſententiam in rebus novis conſtituendis pertraherent, terrore & minis ad extorquendum eorum conſenſum uſi ſunt. Ne tamen talis immutatio eſſet ſine omni fuco & colore, conſultiſſimum eſſe judicabant, ſi authoritate Sedis Apoſtolicæ communirent. Quare Leo II. Pontifex ſuum Apocriſiarium ita inſtruxit, ut & Imperatoris petitioni ſatisfaceret, & ſuæ authoritati, bonoque Eccleſiæ non præjudicaret. Verum paulo poſt hanc mittendi Apocriſiarios conſuetudinem denuo reſtauratam de novo interrupit hæreſis Iconoclaſtarum, & ſocietatis communionem ita abrupit, ut Pontifices de mittendis Apocriſariis omnem curam depoſuerint. Demum ſub Leone III. quando Carolus M. Imperium Romanum reſtituit, hæ Legationes ſe ipſis deſierunt. Ab illo ergo tempore Romani Pontifices ſuos Reſponſales in aula Imperatorum Francicorum habuerunt usque ad Carolum Calvum, cui ab hoc mittendarum legationum officio Romanam ſedem abſolvere placuit.

Multum inter eruditos diſputatur, an hi Reſponſales cum, vel ſine jurisdictione miſſi fuerint? Petrus de Marca exiſtimat, huic muneri nullam fuiſſe annexam jurisdictionem, neque Apocriſiarios aliam habuiſſe poteſtatem, quam monendi, referendi, invigilandi, interpellandi &c. (a) Thomaſinus econtra illorum jurisdictionem mirum in modum extollit & amplificat, & ut ſuæ ſententiæ robur conciliet, affert exemplum Pelagii Apocriſiarii à Vigilio Pontifice miſſi, qui in depoſitione Pauli Epiſcopi Gazenſis primariam poteſtatem præ cæteris Epiſcopis præſentibus exercuit. (b) Porro autem præplacet ſententia Petri de Marca: quia non legitur, quod Apocriſiarii aliquam jurisdictionem exercuerint. Neque conſultum fuiſ-

(a) De Concord. lib. 5. §. 16.
(b) Lib. 2. cap. 108. N. 17.

fuiſſet tranquillitati, & paci utriusque Eccleſiæ Romanæ & Conſtantinopolitanæ, ſi Apocriſiarii jurisdictionem Patriarcharum aliunde ſupreme ſuperbientium turbare voluiſſent. Exemplum à Thomaſino allatum parum probat, quia Pelagius illum actum Jurisdictionis ex ſpeciali delegatione Vigilii Pontificis eo tempore Conſtantinopoli degentis exercuit. Opportuna hic foret occaſio agendi de *Vicaris Sedis Apoſtolicæ*, utpote quibus correſpondent hodierni *Legati Nati.* Quoniam vero de iis ſpecialiter acturi ſumus, ad alia nobis erit properandum.

Ex dictis conſtat, antiquiores legatos, ſi illos excipiamus, qui ad Concilia Generalia miſſi ſunt, ut illis nomine Pontificis præſiderent, nulla fuiſſe inſtructos jurisdictione. Nova autem prorſus legatorum ſpecies invaluit à tempore Nicolai I. Pontificis, à quo legati Pontificii mitti cœperunt cum ampliſſima jurisdictione, & tanta, ut majorem nec ipſi Pontifices habere videri poſſent: convocabant Concilia, illis præſidebant, jurisdictionem Epiſcoporum ſuſpendebant, Epiſcopos deponebant, cenſuris ſubjiciebant, omnium beneficiorum collationem ſibi arrogabant, ſtatuta in perpetuum valitura condebant, procurationes exceſſivas exigebant. Veniebant cum ingenti pompa, induti habitu rubro, equitantes ſupra nachum, ſtipati militibus &c. jamque Epiſcopi & Archi-Epiſcopi ſe ſe juramento obſtringere debebant, quod neceſſarias procurationes, quæ ut plurimum fuerunt exceſſivæ, ſuppeditare velint. Hæc res neceſſario graves motus, & tumultus excitare debuit, & innumeris querelis anſam præbere. Conqueſtus eſt deſuper vehementer S. Bernardus in epiſt. quadam ad Eugenium III. ſcripta, in qua ipſum monet, ut mittat legatos, *qui Eccleſias non ſpoliant, ſed emendant, qui marſupia non exhauriunt, ſed corda reficiunt, & crimina detegunt &c.* Innumera ſcribi poſſent de luxu, pompa, abuſibus & exceſſibus legatorum, quamquam multi eorum fuerint, qui ſua poteſtate non niſi in ædificationem Eccleſiæ uſi ſunt. (a) Quare hisce legationibus ſeſe oppoſuerunt Reges & Principes, Archi-Epiſcopi & Epiſcopi, illi quidem, quia ſuis provinciis & ſubditis valde graves acciderant, hi vero, quia jura Epiſcopalia mirum in modum turbaverant, Itaque præprimis inter Reges Angliæ, & Pontifices fuit conventum, ne poſthac mittantur legati Pontificii in Angliam niſi de conſenſu ipſius Regis. Idem jus Reges Scotiæ ſibi aſſeruerunt. Cele-

(a) De his vid. Claudius Fleury, & Petrus de Marca Lib. V. de concordia à cap. 47. usque ad cap. 58. ubi exceſſus Legatorum graphice, & fuſe depingit,

Celebre eſt reſponſum, quod Rex Scotiæ cuidam legato Pontificio intrare volenti dediſſe fertur: *Non me memini legatum in mea terra vidiſſe, nec opus eſt aliquem vocandum. DEO gratias: omnia ſe bene habent.* Eandem prærogativam ſibi vindicant Reges Galliæ, qui nullos legatos admiſerunt, nec hodie admittunt, niſi ſub certis conditionibus, maxime à tempore, quo graviſſimæ lites exſurrexerunt inter Philippum Pulchrum & Bonifacium VIII. de quo vid. Extrav. inter commun. de conſuet, (a)

Mores Gallorum & Anglorum æmulantur Hiſpani & Belgæ, quia etiam apud ipſos mos invaluit, ut legatos Pontificios non niſi prævio conſenſu ſuorum Principum & ſub certis conditionibus admittant. Quænam ſint illæ conditiones, illarum nationum ſcriptores paſſim exponunt, (b) Habuere tot Regum & Principum proteſtationes inter alios hunc præcipue effectum, ut jam Legatis exigere Procurationes amplius non liceat, ſed ipſe Pontifex de neceſſariis ſumptibus providere debeat, iisque jam ex Annatis neceſſaria, ut ajunt, ſuppeditare ſoleat. Habent tamen Principes hodie in his legatis admittendis tanto minus difficultatis, quanto pluris ipſorum, rerumque publicarum intereſt, ut cum Aula Romana arctiori communione colligentur.

Quoniam vero Epiſcoporum præcipue, aliorumque Prælatorum Eccleſiaſticorum intererat, ut juribus, & privilegiis legatorum Pontificis arctiores ponerentur limites, ne omnis illorum jurisdictio tam contentioſa in decidendis cauſis, quam voluntaria in conferendis beneficiis periclitaretur, ad ipſorum inſtantias & gravamina quoad collationes beneficiorum jamjam in Concilio Baſileenſi, & poſtea in Concordatis Germaniæ, quoad poteſtatem vero judiciariam in Concil. Trident. cautum fuit, & proviſum, ut cauſæ omnes ad forum Eccleſiaſticum quomodocunque pertinentes in prima inſtantia coram locorum Ordinariis duntaxat cognoſcantur, neque *Legati etiam de latere* Epiſcopos in prædictis cauſis impedire, aut aliquo modo illorum jurisdictionem præripere, aut turbare præſumant. (c)

Jam ad hodiernos legatos revertamur, quos eſſe triplicis generis diximus, nempe *Legatos à Latere*, *Legatos* ſeu *Nuntios Miſſos*, & *Lega-*

(a) Vid. idem Author cap. 58.

(b) Sic ſuas facultates, & credentiales prius Parlamento exhibere debent legati, ut iis viſis & examinatis expendatur, an nihil libertatibus Gallicanis, juribus Regum, vel ſubditorum contineant &c. Vid. Van Eſpen Part. 1. Tit. 21. cap. 3.

(c) Seſſ. 24. de Reform. cap. 20.

Legatos Natos. *Legati à Latere* ſoli dicuntur Cardinales, caſu quo illos pro expediendo gravi aliquo negotio ad ſummos Principes mitti contingat. Dicuntur autem *Legati à Latere*, quia per legationes ſibi commiſſas quaſi à *latere* Pontificis avelluntur, cui vi muneris ſibi commiſſi continuo adhærere deberent, ut eum in regimine univerſalis Eccleſiæ adjuvent. *Miſſi* vocantur cæteri, qui ad provinciam aliquam gubernandam, aut alia negotia expedienda cum poteſtate judiciaria mittuntur, quales illi ſunt præcipue, qui hodie ad diverſas nationes & regna ablegantur, ut ibidem tamdiu perſiſtant, atque bono Eccleſiæ Romanæ invigilent, usque dum à Pontifice revocentur. Tales Nuntii ſunt Viennenſis in Auſtria, Lucernenſis in Helvetia, Colonienſis in provinciis Rhenanis. *Legati Nati* ſunt illi, qui habent Archi-Epiſcopatum, vel aliam dignitatem Eccleſiaſticam, cui annexa eſt dignitas *Legati Pontificii.* omnes hi Legati in eo conveniunt, quod jam à tempore Nicolai I. omnes cum jurisdictione, pro diverſitate tamen legatorum majori vel minori mittantur. Quod ſi aliquem ſine jurisdictione ablegari contingat (a), hic talis vocatur *Nuntius* ſimpliciter, vel etiam legatus extraordinarius. Jam ſi quis horum legatorum originem curioſius indagare velit, eam facile deprehendet, ſi ea, quæ antea de legatis diximus, vel obiter ſecum expenderit: nempe correſpondent hodierni *Legati à Latere* illis, quos olim unius, alteriusve cauſæ expediendæ gratia miſſos fuiſſe diximus. (b) Legati ſeu Nuntii Miſſi ſimiles ſunt Apocriſiariis. Legati Nati ferme conveniunt cum *Vicariis Sedis Apoſtolicæ*, de quibus mox §. ſequenti. Hoc titulo ornati fuere plures majores Metropolitæ per diverſa Regna, Nationes, & Provincias, Celſiſſ. Arhi-Epiſcop. Salisb. in Germania, Piſanus in Italia, Toletanus in Hiſpania, Cantuarienſis in Anglia, Rhemenſis in Francia, Strigonienſis in Hungaria, Quesnenſis in Polonia, & Pragenſis in Bohemia. Originem horum Legatorum referunt ad Sæc. 12. ubi Pontifices ſuos Legatos maxima authoritate per varias provincias miſerunt. hinc inde tamen non nullis Metropolitis legationis honorem tribuerunt ſub titulo *Legati Nati* (c). Ingentem olim horum Legatorum fuiſſe authoritatem dubitare non ſinit c. 1. de offic. Leg. quod omnino legi meretur. His quartum genus Legatorum addere liceat, illos nempe, quos Pontifices ſub clauſula

(a) Ut Magno Principi victoriam gratuletur, vel ut interſit electioni Imperatoris vel Regis ſine voto tamen &c.

(b) Vid. ſupra dicta

(c) Maſcovius in Diſſert. de Primat.

cum poteſtate Legati à Latere mittere ſolent, quam clauſulam communius addere ſolent, ſi viva voce legationem demandent. De his quæritur, quid inter ipſos, & Legatos à latere interſit? an nempe eadem jurisdictio, eadem dignitatis præeminentia cum aliis juribus competat, quæ Legatis à latere? Hanc quæſtionem accuratiſſime, & ſolidiſſime diſcutit Clariſſ. P. Engl (a), aſſerens, quod tantum interſit inter Legatum à latere, & Nuntium cum poteſtate à latere, quantum intereſt inter illum, qui habet poteſtatem Ordinariam, vel demandatam & non niſi in certo ſenſu Ordinariam e. g. inter Epiſcopum, & Vicarium Generalem, vel inter Principalem, & Procuratorem generalem: quemadmodum igitur hi tales non poſſunt ea, quæ ad jurisdictionem extraordinariam pertinent, vel ſunt majoris momenti, & ſpeciali mentione indigent, ita nec tales Nuntii ea poſſunt, quæ dignitati Cardinalitiæ in munere legationis majoribus radiis reſplendenti annexa eſſe exiſtimantur, qualia laudatus Author plura recenſet. (b) Atque hæc ſententia videtur nobis omnino veriſſima.

Agendum jam eſſet de officio & poteſtate Legatorum: quoniam vero de his paſſim agunt Canoniſtæ, & illi præcipue, qui de ſtylo Curiæ Romanæ ſcribunt, Lectorem noſtrum ad eos remittere placuit.

§. IX.

RECtus ordo poſtulat, ut de *Vicariis Sedis Apoſtolicæ* agamus, à quibus Originem *Legati Nati* derivavimus. Horum ergo nomine veniunt Majores quidam Metropolitæ, quibus Pontifices in diverſis regnis & provinciis ſuas vices commiſerunt, eosque ſingulari dignitatis & jurisdictionis præeminentia ornarunt, quatenus authoritate Apoſtolica ſibi commiſſa nomine Pontificum in cauſis majoribus in ipſos etiam Metropolitas ſupremam dicerent ſententiam. Vicariatus Sedis Apoſtolicæ eſt antiquiſſimus, fluxitque ex Primatu Romani Pontificis, vi cujus Pontifex ſuam jurisdictionem, ſalvis tamen juribus inferiorum Epiſcoporum, per omnes orbis Chriſtiani partes circumfert, atque molem totius Eccleſiæ ſuis humeris ſuſtentat. Quoniam vero omnibus & ſingulis Eccleſiis per ſe ipſum vel per Legatos ſuam impendere ſollicitudinem impoſſibile foret, ipſis vero Epiſcopis & Metropolitis cauſas majores ad Ponti-

(a) Ad Tit. de M. & Obed.
(b) Ad Tit. de M. & Obed. Num. 7.

tificem deferre incommodum accideret, Pontifices parte minore ſibi incumbentis in illuſtriores Metropolitas transferre, illisque particulam ſuæ plenitudinis communicare voluerunt, ut hoc modo ipſis neceſſitatibus regnorum & provinciarum, videlicet Eccleſiæ, & diſciplinæ Eccleſiaſticæ ſtabiliendæ ſervirent. Quare audiendi non ſunt hodierni Proteſtantes, qui hunc Vicariatum nigerrimis coloribus depingunt, fabulanturque, quod Pontifices hunc Vicariatum eum in finem excogitaverint, ut ſuum dominatum per omnes provincias circumferrent, novoque ſervitutis jugo & libertatem Eccleſiaſticam opprimerent, & nobiliores Metropolitas ſibi ſubſternerent. Neque enim aut potentius aut efficacius remedium ad ſtabiliendam authoritatem ſuam Pontificibus apud exteras gentes occurrere poterat, quam ſi quosdam illuſtriores Metropolitas dignitate Vicariorum Sedis Apoſtolicæ ornarent, quatenus hi, hoc ipſo, quod ſcirent Pontificem ſedere in Cathedra principali, ſedemque tenere Petri, magnam ſibi inde accedere honoris & authoritatis præeminentiam exiſtimantes, quippe quod vices Petri in ſuis Diœceſibus gererent, tanto libentius ſe Pontifici ſubjicerent. Atque ex hac ipſa Politia Romana factum eſſe ajunt, quod Pontifices ſuas vices non humilioribus, ſed illuſtriſſimarũ Eccleſiarum Epiſcopis, quorum aliunde magna aud gentes & Principes authoritas erat, committerent, ne Vicariatus Apoſtolicæ Sedis vileſceret, ſed ut eidem potius ex ipſis honorum radiis, quibus tales Epiſcopi coruſcarent, novum lumen affunderetur. Quare, ajunt ulterius, hoc Vicariatu poteſtas Epiſcoporum non aucta, ſed diminuta fuit, econtra authoritas Pontificis mira accepit incrementa, quatenus Epiſcopis novi compedes, quibus ſubjiciebantur Romano Pontifici, fuerunt injecti, jamque illud ferme omne, quod antea nomine proprio egerant, nomine alieno facere cogebantur. Verum quam inania, quam à veritate aliena hæc ſint, fuſe demonſtrat Thomaſſinus (a), & vel exinde patet, quod hoc modo illa unio nexusque inter caput & membra, inter Eccleſiam Matricem, & cæteras quodammodo inferiores, & filiales firmiori vinculo fuerit colligatus, ipſisque Eccleſiis, earumque Prælatis eatenus conſultum, quatenus cauſæ majores, quarum deciſio ad Romanum Pontificem pertinebat, via breviori & faciliori terminari poſſent. Itaque primus, qui hoc titulo fuerat honoratus, communiter creditur fuiſſe Epiſcopus Eccleſiæ Theſſalonicenſis, cui jam ad finem Sæc. 4.ti à Damaſo Pontifice prærogativam Vicariatus fuiſſe collatam, invictis

 ar-

(a) Lib 2. cap. 31.

argumentis demonſtrat Baluzius in ſupplem. ad Petrum de Marca, ubi etiam antiquitatem, præeminentiam, juraque prorſus inſigniſſima illius Eccleſiæ ſecundum longum & latum deducit. Hic titulus ſucceſſive aliis etiam Epiſcopis fuit attributus, & quidem in Gallia eodem nobilitati fuerunt Arelatenſis, Rhemenſis, Lugdunenſis, & Viennenſis, in Hiſpania Hiſpalenſis, Tarraconenſis, & Toletanus, in Anglia Epiſcopus Cantuarienſis, in Germania Moguntinus, in plagis Septentrionalibus Adalbertus Hamburgenſis, & Bremenſis Epiſcopus. Quæ, & quanta horum Vicariorum fuerit authoritas, tam facile dici nequit: videtur, quod eadem, quæ Exarchis & Primatibus, fuerit conceſſa, de quibus mox

§. X.

Videamus de *Exarchis*, & *Primatibus.* Nomen Exarchi eſt nomen Græcum, apud quos idem ſignificat, ac *Inceptor*, *Dux*, & Princeps alicujus rei. Aliquando ſimplicibus Metropolitanis tributum legitur, poſtea Patriarchis, & demum illis, qui toti Diœceſi præerant. (a) Itaque *Exarchi Diœceſeon* olim dicebantur majores illi Metropolitæ, qui pluribus præerant minoribus Metropolitanis ac Provinciis. Horum origo pariter derivanda à veteri diviſione imperii, qua imperium dividebatur in *Diœceſes*, ſub qua comprehendebantur plures provinciæ, in provincias & in *urbes. Urbibus* præerat Epiſcopus, Provinciis Metropolita, Diœceſibus *Exarchus* vel *Primas.* Sex potiſſimum hujusmodi *Diœceſes* juxta antiquam imperii diviſionem numerabantur, una in Occidente nempe *Romana*, & quinque in Orinte, nempe *Diœceſis Orientis*, cujus caput erat *Antiochia.* Et in hac numerabantur decem provinciæ. *Diœceſis Ægypti*, cujus caput *Alexandria.* Et hæc primitus complectebatur tres provincias, quibus dein adjecta fuit Arcadia. *Diœceſis Ponti*, cujus Metropolis *Cæſarea Cappadociæ*, & continebat ſex provincias, quæ poſtea diviſæ ſunt in duas. *Diœceſis Aſiana*, cujus urbs princeps erat *Epheſus* *Diœceſis Thraciæ*, cujus olim caput fuit *Heraclea*, poſtea *Conſtantinopolis*, & hæc quinque comprehendebat provincias. (b) Porro autem quum Diœceſes & Provincias Eccleſiaſticas olim ad formam Imperii Romani fuiſſe diſtributas ex dictis conſtet, ſequitur, quod illi Metropolitæ titulo *Exarchi* fuerint honorati, qui fuerunt Metropolitæ in urbibus Metro-

(a) Du Pin. de Diſcip. Eccleſ. Diſſert. I. §. 8.

(b) Du Pin de Diſcip. Eccleſ. §. 8. ubi diviſiones tum Eccleſiaſticas tum Civiles adeo accurate recenſet, ut nemo melius.

tropolibus *Diœceſeon*. Adeoque ſex fuerint *Exarchi*, nempe Romanus, Alexandrinus, Antiochenus, Cæſareenſis, Epheſinus, Heracleenſis. In Concil. autem Chalcedonenſi tres priores titulo Patriarcharum fuiſſe inſignitos ſupra diximus. Poſtquam vero in Concilio Chalced. Conſtantinopolitanus Epiſcopus dignitatem Patriarchalèm obtinuit, trium Exarcharum poſteriorum authoritas ferme ex toto intercidit, relicto ipſis ſolo nomine Exarchi & conſeſſus honore imo paulo poſt ex integro deſiere, cum illorum ſub nomine Exarchi vix aliqua occurrat mentio. (a) Hisce *Exarchis* ſolent annumerari quidam alii illuſtriores Metropolitæ, quos licet hoc titulo exornatos fuiſſe non legamus, attamen in re ipſa, ſi nempe Exarchatum ex Jurisdictione dimetiamur, fuerunt *Exarchi*. Tales fuere Metropolita Cyprius, qui Patriarcæ Antiocheno vel paruit nunquam, vel illius obedientiæ ſe ſubtraxit, Theſſalonicenſis, qui ſolus in Mecedonia Metropolitam egit, & propterea etiam à Damaſo *Vicariatu Sedis Apoſtolicæ* nobilitatus fuerat, Epiſcopus Acridæ, ſeu primæ Juſtinianeæ, quæ fuit patria Juſtiniani. Hic ergo pro ſua, qua in illam ferebatur, reverentia â Vigilio Papa obtinuit, ut ex Theſſalonicenſi Exarchatu quinque, vel ſex provinciæ ſubtraherentur, & ſuæ Acridæ adjungerentur. & demum Epiſcopus Carthaginenſis: erat enim Carthago caput Aſiæ, & multarum provinciarum Domina, erat altera quaſi Roma, illius Epiſcopus dictus fuit Apoſtolicus, & ſuam jurisdictionem in omnem Africam protendebat, & plura alia inſignia prorſus jura & privilegia habebat. (b) Hæc de Exarchis.

Exarchis, & Vicariis Sedis Apoſtolicæ proxime accedunt *Primates*. *Primas* ex ipſa etymologia nominis ille dicitur, qui in aliqua Republica, Civitate, vel Collegio quocunque primum ac præcipuum locum obtinet. Nomen iſtud in Eccleſia uſum frequentiſſimum, ſimul etiam ſignificationem diverſiſſimam ſucceſſu temporis obtinuit, & hinc Scriptores etiam diverſiſſimi generis Primates diſtinguere conſueverunt. Primitus quidem omnes Metropolitæ, quin etiam Patriarchæ & Exarchi dicebantur *Primates*, quatenus cœtibus Chriſtianorum, & Synodis præfuere. Sic enim in Concil. Nicæno Patriarchæ Antiochenus & Alexandrinus ſimpliciter dicuntur Metropolitæ. (c) In Conciliis variis dein hinc inde ſimplices

 Me-

(a) Nam ipſe Imperator Juſtinianus, quando quinque Patriarchas commemorat, nunquam ipſis adjungit Exarchos.

(b) Vid. Thomaſ. de Diſcip. Eccleſ. part. 1. lib. 1. cap. 18.

(c) Can. 6.

Metropolitæ hoc titulo ornabantur. Poſterioribus Sæculis illi vocabantur Metropolitæ, qui illuſtrioribus ſedibus cum aliqua honoris & authoritatis prærogativa præfuerunt: itaque multiplicis generis diſtinguendi ſunt Primates. Antiquioribus temporibus in Eccleſiis Africanis Primas erat *ſenior* Epiſcopus, & hinc dignitas Primitialis nulli ſedi erat affixa, ſed ad Senioris Epiſcopi in Provincia, ubicunque ille viveret, domicilium transferebatur. In reliquis Orbis partibus eo ævo antiquiori Primatus alligabatur urbi inter Civiles *Metropoli*, atque adeo ille erat Primas provinciæ, qui fuit Epiſcopus Urbis Metropoliticæ. Probant id quamplurima Concilia tam particularia quam generalia. Idem titulus fuit attributus quibusdam Epiſcopis, qui præficiebantur Eccleſiis Matricibus quadam ſpectabili honoris prærogativa conſpicuis: hac ratione Epiſcopo Jeroſolymitano honor obtigit, ut, licet ipſius Eccleſia fuerit ſuffraganea, attamen ipſe ſemper dignitate fuerit proximus Metropolitano Cæſareenſi, & locum haberet præ reliquis iſtius provinciæ Epiſcopis ſuperiorem, eo quod illius Eccleſia eſſet veluti Mater omnium Eccleſiarum, & hinc ipſum Concil. Nicænum eidem hunc honoris titulum conceſſit, & confirmavit. (a) Ex his apparet triplicis generis olim fuiſſe Met opolitas, ſed non niſi *honorarios*, quales fuere omnes illi, qui dignitatem Primitialem vel ex *Senioratu*, vel ex *Urbe Metropoli*, vel ex *Nobilitate Eccleſiæ* ſuœ mutuarunt. (b) Nova Primatum ſpecies invaluit in Eccleſia illorum nempe, quibus titulus Primatis una cum honoris non tantum præeminentia, verum etiam ampliori poteſtate in alios Metropolitanos fuit conceſſus. Itaque hunc titulum aſſumpſerunt Epiſcopi illuſtriorum Eccleſiarum, illarum præcipue, quibus Pontifex ſuas vices delegavit, & Vicariatum Sedis Apoſtolicæ contulit. Primatus hoc modo conſiderati paſſim fit mentio in Pſeudo-epiſtolis antiquiorum Pontificum. Hac primatus dignitate gaviſi ſunt Epiſcopus Theſſalonicenſis, in Gallia Arelatenſis, Rhemenſis, & Viennenſis, in Hiſpania Tarraconenſis, Hiſpalenſis, Toletanus, in Germania Moguntinus &c. & alii, de quibus ſupra actum, ubi de Vicariatu Sedis Apoſtolicæ egimus. Hæc autem dignitas aliquando ſedibus fuit affixa, uti in allatis exemplis, aliquando ſolis perſonis alligata, uti Auguſtino Cantuarienſi Epiſcopo. Præter hos Primates adhuc Sæc. 7. 8. & ſeq. erant quidam Metropolitæ *Honorarii*, illi nempe, qui nullos infra, & nullos ſupra ſe agnoſcebant Metropolitas, & immedia-

(a) Bingham Orig. Eccleſ. lib. 2. cap. 16. §. XI.
(b) Idem ibid.

diate à ſummo Pontifice dependebant, & communius erant illi, qui prærogativam *Palii* habebant, quo antiquitus non omnes Metropolitæ ornabantur, ſed illi ſolum, qui nulli Primati eſſent obnoxii, quales teſte Thomaſino erant Epiſcopi Rhotomagenſis, Rhemenſis &c. Denique ſucceſſu temporis factum eſt, ut jus creandi Primates fuerit reſervatum Pontificibus, Imperatoribus, & Synodis: ſic Carolus M. ſtatuit, ne alii Metropolitani appellentur Primates, niſi illi, qui primas ſedes tenent, & quos SS. Patres Synodali & Apoſtolica authoritate Primates eſſe decreverunt. Ab illo ergo tempore Pontifices patrocinantibus & intercedentibus Imperatoribus variis Metropolitis dignitatem Primatus ſive honorariam, ſive cum eminentia authoritatis præditam conceſſerunt. (a) Duo breviter elucidanda ſunt. Poſſet enim imprimis quæri, quale ſit diſcrimen inter *Exarchos* & *Primates?* ad quod facilis eſt reſponſio, ſi dicamus, quod olim & Patriarchæ, & Exarchi fuerint Primates appellati, diſcrimen tamen in eo fuerit, quod Exarchi fuerint Primates totius *Diœceſeos*, Primates econtra non niſi unius *provinciæ.* Si hodiernos mores antiquioribus moribus conformare placeat, poterit dici, quod Primates, qui præſunt uni Provinciæ, in qua ſunt plures Metropolitæ, jure vocentur *Primates*, illi vero, qui toti alicui Nationi vel Regno *Diœceſibus* antiquioribus haud abſimili præſunt, omni jure *Exarchi* appellari valeant. Poſſet ulterius quæri, quænam ſint jura Primatum? exiſtimamus eſſe diſtinguendum inter Primates antiquos *honorarios*, qui in effectu erant meri Metropolitæ ſolo honoris ex privilegio ætatis, vel dignitate urbis Metropoliticæ prærogativa eminentes, & *Primates vere tales*: illorum alia non erant jura, ſi *jus conſeſſus & dignioris ſedis* excipias, quam Metropolitorum: iſtorũ vero jura fuere & ſunt prorſus inſigniſſima, quorſum pertinet jus convocandi Synodos Nationales, eisdemque præſidendi, jus confirmandi & ordinandi inferiores Metropolitas, decidendi cauſas per viam appellationis à ſententia Metropolitæ ad ſe devolutas, terminandi controverſias inter ipſos Metropolitas exortas. Hodie tamen hæc jura rariſſimum habent uſum, poſtquam Synodi Nationales ferme deſierunt, Pontifices pleraſque cauſas majores ſibi reſervarunt, & ipſi Metropolitæ Primatum jura ſuſpicere dedignantur. De his infra recurret quæſtio.

§. XI.

(a) Thomaſ. lib. 1. cap. 33.

§. XI.

UT jam de *Metropolitis*, quos hodie *Archi-Epiſcopos* vocamus, eorumque juribus agamus, rectus ordo poſtulat, ut primitus quidem de nomine *Archi Epiſcopi* videamus. Nomen *Archi-Epiſcopi* ex ipſa ſua etymologia nihil aliud ſignificat quam primum inter Epiſcopos, & propterea non niſi primis Epiſcopis quondam fuit attributum. Nullibi ante Sæc. 4.tum legitur. Et quidem occurrit ſemel apud Sanctum Athanaſium in Cathalogo, quem Meletius Alexandro Epiſcopo dedit. (a) Et S. Epiphanius hæreſi 68. quæ eſt Meletianorum, illud ſæpius Alaxandro Alexandrino tribuit. Utrum vero vel Epiſcopi Alexandrini, eo quod ipſorum jura vel maxime controvertebantur, hoc nomen ſibi ipſis attribuerint, vel Epiphanius ex uſu illorum temporum aſſumpſerit, aut de novo excogitaverit, nolumus decidere. Verum longe uſitatior fuit vox iſta in Sæc. 5. & præprimis attributa Romanis Pontificibus Cœleſtino, & Leoni. (b) Cyrillo Alexandrino, & Joanni Antiocheno (c), Flaviano Conſtantinop. (d) aliisque. Ut paucis totum abſolvamus, primitus *Archi-Epiſcopi* vocabantur Patriarchæ, Exarchæ, & poſtea Primates, qui alios ſub ſe habebant Metropolitas, & ſingulariter Vicarii Sedis Apoſtolicæ, & hoc ad Sæc. usque 6. Ab hoc Sæculo usque ad Sæc. 8. aliis inſignioribus Metropolitis Tyrio Nicopolitano, Corynthio, Ravennenſi, Aquileienſi attributum legimus. (e) At poſt hæc tempora promiſcuè uſurpari cœpit de omnibus Metropolitis quosdam Epiſcopos ſubjectos habentibus, imo de quibusdam etiam Epiſcopis, qui Metropolitico jure minime fruebantur. (f) Illud hic animadverſione dignum eſſe judicamus, quod *Archi Epiſcopi* potiſſimum appellati fuerint illi Epiſcopi majores, vel Metropolitæ *titulares & honorarii*, qui nullos Epiſcopos ſibi ſubjectos habebant: nam perſuaſum erat illius ævi viris, quod nomen Metropolitæ nemini conveniret, qui non certorum Epiſcoporum numero præeſſet. Unde factum eſt, ut apud Græcos plures eſſent *Archi-Epiſcopi*, quam *Metropolitæ*, quia ſimplicibus Epiſcopis nomen *Archi-Epiſcopi*, quod non

(a) In quo ſic habetur: *Joannes juſſus ab Imperatore, ut una eſſet cum Archi-Epiſcopo.*

(b) Sic in Concil. Epheſino Cœleſtinus Rom. Epiſcopus aliquoties vocatur Archi-Epiſcopus Act. 1, 2. & 6. Leo vero in inſcriptionibus epiſtolarum Actis Concilii Chalcedonenſis præmiſſis.

(c) In Concil. Conſtantinop. contra Eutychen celebrato.

(d) Du Pin. Diſſert. 1. §. 3.

(e) Idem ibid.

(f) Idem ibid.

non niſi prædicatum cujusdam honoris ſine jurisdictione eſſe credebatur, aſſumere haud fuit difficile: at vero Eccleſias, & Epiſcopos ſibi ſubjicere immenſæ difficultatis rem eſſe, quis non perſpiciat? Hac de cauſa etiam in Italia, ut in tractu Neapolitano, & Sardinia, quidam Epiſcopi vocantur *Archi-Epiſcopi*, non vero *Metropolitæ*. Hæc de nomine *Archi-Epiſcopi*.

Metropolitæ dicuntur à *Metropoli*. Vox *Metropolis* idem eſt, ac *Urbs Mater*, non in eo ſenſu, quod ex ea cæteræ urbis provinciæ omnes tanquam filiæ diffluxerint, neque in alio ſenſu, quaſi vero à menſura & amplitudine dicatur Metropolis, prout vult Iſidorus, & Gratianus, ſed in hoc ſenſu, quod ſit urbs prima, præcipua, & totius Imperii caput. Atque in hoc ſenſu paſſim apud antiquos Scriptores Roma vocatur Metropolis, quod idem dicendum de aliis urbibus. *Metropolitanus* itaque ex primæva & originali ſignificatione ſignificat *Civem* Metropoleos. Uſus tamen obtinuit, ut *Metropolites* tantum is dicatur, qui primariæ urbi præeſt, & idcirco totius provinciæ curam gerendam in ſe ſuſcipit. Atque in hoc ſenſu vox iſta appropriata eſt quibusdam Epiſcopis in Concil. Nicæno I. Canon. 4. & ab hoc tempore ſæpiſſime occurrit tum in Synodorum Decretis, tum in ſcriptorum Eccleſiaſticorum operibus: at vero ante Concilium Nicænum nullibi in hoc ſenſu reperitur: quamquam Metropolitas quoad effectum juris, quatenus Epiſcoporum aliqui ampliori jurisdictione gaudebant, fuiſſe, innegabile ſit, quum Synodus Nicæna de Metropolitanis loquatur tanquam ex vetuſta conſuetudine longe antea conſtitutis. (a) Antea vero Metropolitæ vocabantur *primarii* Epiſcopi, prout colligere licet ex Canonibus Apoſtolicis, quos circa medium vel finem Sæculi III. fuiſſe conditos cum veriori ſententia credimus. (b)

Itaque Metropolita ſeu Metropolitanus eſt, qui primariœ urbi alicujus provinciæ tanquam Epiſcopus præeſt, ac propterea quibusdam præ cæteris Epiſcopis fruitur privilegiis ac juribus. Atque hæc definitio vera eſt, ſi loquamur de Metropolitis antiquiorum temporum, quibus dignitas Metropolitica ſemper urbibus Metropolibus fuit alligata. Poſtquam autem à tempore Sæc. 8. hæc dignitas ab urbibus Metropoliticis haud infrequenter ſeparata fuit, & hinc inde pro neceſſitate & urilitate univerſalis Eccleſiæ quædam aliæ, quæ opportuniores videbantur Eccleſiæ, à Pontifice cum

S con-

(a) *Antiqui mores ſerventur*, ait Synod. Can. 6.

(b) Can. 23. ubi legitur: Epiſcopos uniuscujusque gentis noſſe opotet eum, qui in eis eſt primus &c.

conſenſu Domini Territorialis in Metropoliticas fuerunt elevatæ, hodie illos Epiſcopos oportebit appellare Metropolitas, cujuscunque urbis ſint Epiſcopi (licet adhuc hodie communius hæc dignitas in Epiſcopos urbium Metropoliticarum transfundi contingat) qui provinciæ, & cæteris in ea conſtitutis Epiſcopis cum jure Metropolitico præſunt. Solent autem authores haud ſecus quadruplicis generis Metropolitas, quam Primates, ut anteà diximus, diſtinguere, nempe *Honorarios*, quales erant ſeniores in aliqua provincia Epiſcopi, in quos ſede vacante, vel Metropolita impedito poteſtas Metropolitica transferebatur. *Titulares*, qui fuerunt Epiſcopi illarum urbium, quibus Imperatores titulum *Metropolis* dederunt ſine poteſtate tamen & jurisdictione ſpeciali 3. Epiſcopi Eccleſiarum *Matricum*, earum nempe, quæ ab ipſis Apoſtolis ſunt inſtitutæ, & 4.to Epiſcopos *Urbium Metropoliticarum*, qui hisce urbibus cum poteſtate in totam provinciam, & illius Epiſcopos præerant.

De Origine Metropolitarum videamus, de qua jam ſupra, dum de Patriarchis egimus, aliqua diximus. Eam eſſe perobſcuram nemo facile negaverit. Petrus de Marca eam ab Apoſtolis eſſe derivandam exiſtimat aſſerens, quod ab his Titus, & Timotheus, ad quos ſcribit Apoſtolus Paulus, Metropolitæ fuerint conſtituti, eo quod ipſorum ſollicitudini integræ Provinciæ fuerint ſubjectæ. Huic ſententiæ ſuffragari videntur Euſebius, & Chryſoſtomus. Verum enim vero, quis non primo mox obtutu videat, quod hæc opinio ſolido careat fundamento, quum nullibi legatur, quod Apoſtoli quosdam conſtituerint Epiſcopos cum aliqua præeminentia ſupra cæteros? in epiſtolis Pauli ad Titum & Timotheum non niſi ea referuntur, quæ ſunt communia omnibus Epiſcopis, quin vel minimum quid contineatur, ex quo amplior in alios Epiſcopos transfuſa jurisdictio argui poſſet. Dein demus, quod Apoſtoli Epiſcopis à ſe ordinatis ſubjecerint integras provincias, num propterea evaſerunt Metropolitæ? Metropolita non à ſubjectione ſolius provinciæ, ſed vel maxime ipſorum Epiſcoporum ſuam habet menſuram: at vero tantus eo tempore non erat Epiſcoporum numerus, ut Epiſcopis, quos inſtituerunt Apoſtoli, eorum aliqui potuerint ſubjici, vel ſi fuerunt, de ſubjectione hujusmodi nihil legitur. Alii exiſtimant, non multo poſt tempora Apoſtolorum erumpentes ſectas, ſchismata, & controverſias inter ipſos Epiſcopos obortas neceſſitatem induxiſſe, ut in quosdam Epiſcopos pro decidendis cauſis amplior transfunderetur jurisdictio, quis enim alias terminaturus

rus

rus fuiſſet controverſias? Nam ad Pontificem ſemper confugere nec conſultum, nec commodum, nec utile, nec neceſſarium videbatur. Semper convocare Synodos pro ſingulis cauſis emergentibus pariter erat vel impoſſibile, vel perquam difficile aut certe incommodum. Thomaſinus exiſtimat, inde petendam eſſe Metropolitarum originem, unde petitur origo Patriarcharum, nempe ab Eccleſiis *Matricibus*, illis nempe, quas Apoſtoli in urbibus *Matricibus* ſeu *Metropoliticis* & principibus fundarunt, & inſtituerunt, adeóque illis fuerint dicti Metropolitæ, qui fuerunt Epiſcopi in Eccleſiis *Matricibus*: & quoniam Apoſtoli converſionem gentium à celeberrimis Romani Imperii urbibus non ſine Numine Divum incœpiſſe, & in his primas inſtituiſſe Eccleſias conſtat, neceſſario ſequitur, quod Epiſcopi Urbium Metropoliticarum, quarum Eccleſiæ erant *Matrices* & primariæ, fuerint Metropolitæ. Duplici id argumento facile evincitur, quorum primum ex ipſo nomine *Metropolitæ* depromitur, alterum à conſuetudine, uſu, & experientia derivatur, quum utique res ſit notiſſima, quod Eccleſiæ juxta normam & formam imperii fuerint diſtributæ, & illæ magis præcipuæ exſtiterint, quæ fuerunt Eccleſiæ Urbium Metropoliticarum. Eccur enim, ut ſupra diximus, Eccleſia Hieroſolymitana Eccleſiarum omnium antiquiſſima, & à Myſteriorum ibidem peractorum magnitudine, & à primæva inſtitutione, præcipua, ſimplex fuit parœcia ſuffraganea Eccleſiæ Cæſareenſis, niſi quod Cæſarea per Palæſtinam fuerit Metropolis? Nos utrique ſententiæ aliquid tribuimus, exiſtimantes, utramque in auxilium eſſe vocandam, ut ſinceram Metropolitarum originem eruamus. Itaque non abnuimus, quod Epiſcopi Urbium Metropoliticarum ex ipſa loci dignitate ſingularem quamdam præeminentiam mutuaverint, ſed non talem, ex qua illorum dignitati amplior accederet jurisdictio in cæteros provinciæ Epiſcopos: hæc igitur ab extrinſeco advenire debuit. Jam vero undenam hanc profluxiſſe exiſtimamus niſi occaſione variarum ſciſſionum, ſchiſmatum & controverſiarum inter ipſos Epiſcopos obortarum, quas, quum nemo foret, qui dirimeret, aut ſaltem facili negotio dirimere poſſet, neceſſum fuit, ut quidam conſtituerent judices, & in eos amplior dirimendi cauſas poteſtas transfunderetur. Quoniam vero Epiſcopi Urbium Metropoliticarum aliunde duplici præeminentia præ cæteris effulſerunt, quarum unam â dignitate ſuarum Eccleſiarum, quibus præerant (erant enim Eccleſiæ Matrices) alteram à dignitate urbium, in quibus erant Epiſcopi, emendica-

dicaverunt, profecto hæc jurisdictio in neminem Epiſcoporum majori jure aut decentia transferri potuit, quam in hos Epiſcopos, usque dum ſucceſſive jura Metropolitica moribus introducta (ait enim Synodus Nicæna? *antiqui mores ſerventur*) in Concilio Nicæno, & ſubſequentibus lege ſtabili fuerint communita. Atque hæc veriſſima nobis videtur eſſe Origo antiquorum Metropolitarum, donec, ut ſupradiximus, dignitas Metropolitica ab Urbibus Metropoliticis, fuerit ſeperata, & jus creandi Metropolitas circa Sæc. 8. ad Pontifices requiſito tamen conſenſu Imperatorum, & Regum pervenerit.

Jam de authoritate, poteſtate, jurisdictione, & de juribus Metropolitarum videamus, quæ certè fuerunt ampliſſima, & tanta, ut ſi cum juribus, quibus hodie Metropolitæ gaudent, comparentur, eorum minima pars & velut portiuncula ſupereſſe videatur. Fuere autem potiſſimum ſequentia: 1.mo penes Metropolitas erat poteſtas dirigendi omnium Epiſcoprum comprovincialium electiones, eos confirmandi, & vel per ſe, vel per alios Epiſcopos à ſe ſpecialiter delegatos ordinandi, ſecus Canones electiones irritas eſſe volebant (a). Fuit tamen hæc poteſtas non arbitraria, ſed non nihil limitata, & circumſcripta, quatenus ſe ſe majori Synodi Provincialis parti attemperare debuerunt. (b) Ipſos tamen Metropolitas à Synodo Provinciali eligi, & ordinari oportebat, quin alium Metropolitam ex alia provincia arceſſere neceſſum fuerit. (c) 2.do poteſtas decidendi cauſas inter ipſos Epiſcopos comprovinciales, imo etiam cauſas ſubditorum, & quidem citra viam appellationis, ut adeo concurrentem cum ſuis Epiſcopis jurisdictionem habuiſſe vidantur, ita tamen ut cauſas Epiſcoporum vel ad Synodos referre, vel per Epiſcopos tanquam judices delegatos examinare, & terminare debuerint, usque dum lege Juſtinianea authoritatem ſine Synodo audiendi, & decidendi cauſas obtinuerint. (d) 3.tio poteſtas convocandi Synodos particulares, eisque præſidendi, quales ex præ-

(a) Conſtant iſta ex plurimis ſynodorum Canonibus, quos refert Bingham lib. 2. cap. 16 §. 12. & quidem jus confirmandi Epiſcopos penes Metropolitas per 12. & ultra ſæcula permanſiſſe, ſicut infra dicemus.

(b) Concil. Nicœn. Can. 6. expreſſe ait: *ſi duo vel tres propter ſuam, qua delectantur, contentionem contradicant, vincant plurium ſuffragia.* Similia habet Concil. Arelat. &c. &c cap. 2.

(c) Id fuiſſe in uſu Eccleſiæ teſtis eſt S. Auguſt. in Brevic. Collat. ubi Donatiſtis Cæcilii ordinationem impugnantibus, & objicientibus, quod Numidiæ Primatem ad ſe ordinandum non accerſuerit, reſpondit, Cæcilianum ad id faciendum non fuiſſe obligatum.

(d) Vid. Bingham loc. cit. & l. 29. Cod. de Epiſcop. Audicat.

præſcripto Synodi Nicænæ quot annis duæ celebrari debuerant. (a) Vocabant autem Epiſcopos per literas *circulares*, quas *Synodicas*, & *tractorias* vocare conſueverant. Epiſcpis neceſſario comparendum erat, niſi ſuo officio & munere privari, vel aliam cenſuram ex arbitrio Metropolitæ & Synodi infligendam ſubire vellent. 4.to ipſorum officium erat imperiales leges, & Canones vel à Synodis vel ab Imperatore conditos promulgare, illorumque obſervantiam procurare. (b) Viſitare Diœceſes, abuſus emendare, corrigere &c. 5.to Epiſcopis peregre proficiſcentibus dabant *literas formatas*, neque ſine licentia Metropolitæ extra provinciam longius proficiſci ipſis erat licitum (c) Qui mos adhuc Sæc. 7. tempore Gregorii M. in Eccleſia obtinuit. (d) 6.to tempore ſedis vacantis curam Eccleſiarum vacantium habebant, negotia Eccleſiæ interea dirigebant, redditus Epiſcopales in tuto collocabant, maturamque novi Epiſcopi electionem procurabant. (e) 7.timo Metropolitanorum erat tempus celebrandi Paſcha ſupputare, & de eo ſuos Epiſcopos comprovinciales certiores reddere. Quamquam enim cura computandi Cycli à Concilio Nicæno Epiſcopo Alexandrino fuerit demandata: quia tamen hujus rei ratio non ſemper fuit habita, idcirco curæ Metropolitanorum incumbebat tempus præſtituere, & illud toti Provinciæ ſignificare. (e) 8.vo Metropolitis non licebat abeſſe à Synodis Generalibus, bene vero Epiſcopis. En! quaſi in compendio ampliſſima jura Metropolitarum. Verum enim vero quis neſcit, hanc ampliſſimam olim poteſtatem cum tot, ac tantis juribus connexam jam nunc arctiſſimis limitibus eſſe circumſcriptam, ita, ut, ſicut antea diximus, ſi hodierna illorum poteſtas cum illa antiquiori comparetur, illius vix umbra remanſiſſe videri poſſit. Incœpit autem horum jurium diminutio circa Sæc. 9. & per ſubſequentia Sæc. 10. 11. 12. & 13. potiſſimum, quin imo ad Concil. usque Tridentinum perduravit, crevitque. Duo autem potiſſimum ſunt jura magis præcipua, quæ Metropolitis fuerunt ſubducta, nempe *jur confirmandi Epiſcopos*, quod ipſis ex jure anti-

(a) Cɩn. 4. item Concil. Chalced. c. 18, Carthag. 1. v. c. 21.

(b) Ita jubet! Juſtin. in Epiſt. Novel. 6.

(c) Concil. Carthag. c. 9. Greg. M. lib. 6. epiſt. 8. ubi reprobat Epiſcopis quibusdam, quod ſine licentia Metropolitæ tranſmarina petere audeant.

(d) Nondum enim eo tempore jura Epiſcopalia ad Capitula tranſibant, id quod poſterioribus ſæculis nempe 13. & ſeq. factum eſſe legimus.

(e) Demandabatur hæc Provincia Epiſcopis Alexandrinis, eoquod Ægyptii rerum Aſtronomicarum fuerint peritiſſimi. Hi dein diem Paſchatis inſinuabant Epiſcopis: Epiſcopi vero per ſuos Diaconos in Epiphania Domini id ipſum populo promulgari fecerunt.

tiquo competit (a), & ipſi ferme per 13. Sæcula pacifice, & ſine interruptione exercuerunt, cujus amiſſio illis debuit accidere tanto difficilior, quanto majorem aliorum Jurium privationem exinde paſſi ſunt. Et quod adhuc Metropolitis durius accidere debet, hoc ipſum *jus confirmandi* Pontifici in Concordatis Germaniæ ſtabilitum ſuit, id quod Metropolitarum Germanicorum generoſiori charitati, maſculæ virtuti, ac ſingularem erga ſupremam ſedem pietati, ac reverentiæ eſſe adſcribendum alibi diximus. (b) Alterum jus illis ademptum eſt poteſtas judicandi cauſas majores ſuorum Epiſcoporum depoſitione, vel degradatione dignas, quas Patres Concil. Tridentini ſoli Pontifici reſervarunt. (c) Licet illas jam antea fuiſſe reſervatas argumentis ſat luculentis oſtendi valeat. Quod ſi quis cauſas ſollicite & curioſius inquirat, ex quibus hæc poteſtas in tantum fuit diminuta, dabimus ſequentes. 1.mo collectio Iſidori Mercatoris juribus Metropolitarum diminuendis haud ultimam præbuit occaſionem: inſeruit nempe Iſidorus ſuæ Collectioni epiſtolas ſpurias antiquorum Pontificum usque ad Siricium Papam. Porro autem in his ferme omnia jura Metropolitarum adſcribuntur Pontificibus: hi ergo occaſione utendum rati illas epiſtolas in vim legis aſſumpſerunt, & præfatæ collectionis acceptationem, & uſum miris modis, quidquid cotradixerint Epiſcopi Galliæ, ubivis urſerunt. 2.do jam ab eo tempore deſierunt Synodi provinciales olim valde frequentes. 3.tio ipſi Pontifices jura Metropolitarum reſtringere, coarctare, & arctioribus limitibus circumſcribere cœperunt. Acceſſerunt 4.to variæ exemptiones & privilegia, quibus Pontifices Epiſcopos Metropolitarum obedientiæ ſubtraxerunt, ſibique immediate ſubjecerunt. Item 6.to frequentiores appellationes ad Sedem Pontificam, reſervationes, quibus ſibi Pontifices ferme omnes cauſas majores, quarum cognitio & deciſio antiquitus tam ad Metropolitas quam Epiſcopos pertinuit, reſervarunt. 6.to ſupervenerunt etiam reſervationes dignitatum Eccleſiaſticarum, & Beneficiorum, quorum collationem Pontifices ad ſe attraxerunt, quas jure merito ultimum arietem dixeris, quo Metropolitarum poteſtas fuit depreſſa. Ne tamen in Pontifices injurioſi eſſe, aut cum hodiernis Acatholicis ſentire videamus, utpote qui totam cauſam in ambitionem, & Dominatum Pontificium refundere conſueverunt,

fa-

(a) Conſtat ex Decreto Gratiani, & Collect. Greg. IX. quòd jus confirmandi ſemper fuerit propriũ.

(b) Vid. Oratio, quam habuimus, quando Celſiſſ. Archi-Epiſcopus Salisburg. Epiſcopum Lavantinum à ſe nominatum ſolemniter confirmavit an. 1754. die 18. Aprilis.

(c) Seſſ. 24. de Reform. cap. 5.

ſatendum eſt ulterius, quod & Metropolitæ & Epiſcopi ipſi Pontificibus neceſſitatem fecerint, ut & Metropolitarum, & Epiſcoporum juribus arctiores ponerent limites: inprimis enim quem latent turbulenta illa tempora, & ſchismata inter Pontifices Gregorium VII. Paſchalem II., Calliſtum II. ex una, & Imperatores Ottones, Henricos ex altera parte? quum enim Metropolitæ & Epiſcopi, Germaniæ potiſſimum, Imperatoribus adhærerent, ſchismata foverent, & nutrirent, & pauciſſimi, ſi duos vel tres excipiamus, fuerint, qui jura Pontificum defenderent, ambitioni Pontificum adſcribi nequit, ſi de illorum juribus reſtringendis cogitaverunt. Quis ignorat ſimoniacas electiones Epiſcoporum, collationes Beneficiorum iis potiſſimum temporibus frequentiſſimas, & ferme quotidianas, quibus per Concilia, & Pontifices obviandum fuerat, & vix aliter obviari potuit, quam per reſtrictiones jurium, quibus & electores, & confirmatores utebantur. Ad hæc multi Epiſcopi Jurisdictionem Metropolitarum ſubterfugere volentes, majori ſibi duxerunt honori Pontificum, quam ſuorum Metropolitarum poteſtati ſubjacere, & hinc ſe ſua ſponte ſuis Metropolitis ſubtraxerunt. Præterea negari nequit, quod ipſi Metropolitæ in vindicandis juribus ſuis teſte Thomaſino. (a) minus ſolertes, & negligentiores fuerint, ut quid ergo mirum, ſi Pontifices occaſiones reſervandi jura Metropolitica, eaque reſtringendi ambabus amplexati ſunt manibus? In eo verum dicunt & Acatholici, & quidam Catholici infringendæ authoritatis Pontificiæ ſtudioſores, quod Metropolitarum authoritas decreverit, quando crevit poteſtas Pontificum. In eo tamen excedunt, quod omnem culpam in Pontificum ambitionem refundant.

Quænam ſint hodierna jura Metropolitarum pauciſſimis dicemus. Inprimis habent jura communia Ordini, Jurisdictionali Epiſcopali legi Diœceſanæ, & ipſi ſtatui ſeu dignitati illorum (b) annexa. Dein habent quædam jura ſed reſtricta tam in ſubitos ſuorum Epiſcoporum ſuffraganeorum, quam in ipſos ſuffraganeos. quantum ad jura Metropolitica in Suffraganeos, illorum Doctorum profecto ſententia eſt intolerabilis, qui Metropolitis poteſtatem in Epiſcopos ſibi ſubjectos nullam concedunt, niſi in caſibus nominatim à jure expreſſis: an enim hi tales neſciunt communes Juris regulas, quod non plures correctum, quam expreſſum, quod exceptio

(a) Lib. 1. cap. 48.

(b) Dicemus infra quadruplicis generis eſſe jura Epiſcopalia, *Ordinis*, *Jurisdictionis*, *Legis Diœceſanæ*, & *Status*.

ptio firmet regulam in contrarium, quod correctiones juris ſint odioſæ, quod in dubio pronuntiandum ſit pro jure communi, & pro illo, qui habet intentionem fundatam in jure? nunquid hæ omnes regulæ militant pro juribus Metropolitarum? Hoc ſcimus, quod per Concil. Trident. (a) Metropolitis ſit ſubtracta cognitio cauſarum criminalium, & cauſæ majores ad Pontifices, minores ad Concilia provincialia, vel ad Judices delegatos ab ipſis conſtituendos ſint devolutæ: quod autem Congregatio Cardinalium hanc diſpoſitionem contra literam & mentem Concilii Tridentini ad cauſas civiles extenderit, de hoc merito conqueri Metropolitæ poſſunt, quum Cardinales poſſint quidem Concilium dubium declarare, neutiquam vero ultra proprietatem verborum extendere. Præterea talis declaratio, ſi quæ exiſteret, in forma authentica producenda foret. Sed ne quidem hoc ſufficeret, niſi inſimul illam promulgamulgari, & acceptari contingeret. Vid. deſuper P. Engl. (b) Quare regulam contrariam ponimus ſequentem, quod Metropolitæ ea omnia jura exercere valeant, quæ vel à Synodis, vel à Pontificibus non leguntur eſſe adempta, vel uſum, conſuetudinem, & obſervantiam reſtrinxiſſe probari nequit. Profecto, ſi hodiernam obſervantiam inſpiciamus, fatendum erit, quod ipſi Epiſcopi ſuffraganei ſubjectionem erga Metropolitas revereri nolentes, & neſcio quid authoritatis ſibi accedere exiſtimantes, ſi immediate Pontifici ſubjiciantur, in cauſa fuerint, quod Metropolitæ tot inſignibus juribus exciderint. Utrum vero hac ratione ſibi, ſuis Eccleſiis, & juribus bene conſuluerint, & non potius Pontificibus occaſionem præbuerint, ut jura etiam Epiſcopalia arctioribus limitibus coarctarent, aliis decidendum relinquimus, in quibus, ſi diſpendium paſſi ſint, ſibi ipſis adſcribant. Profecto ſi jus convocandi Synodos Provinciales, jus admittendi appellationes à Tribunali Epiſcopi ad tribunal Metropoliticum item jus ſupplendi negligentiam Epiſcoporum ex jure devolutionis promanans ſeponamus, admodum pauca ſunt jura Metropolitarum tam in Epiſcopos, quam eorum ſubditos, quæ ſingularem in jure conſiderationem merentur, vel uſum pretio æſtimabilem habent. Quænam autem in ſpecie ſint jura Metropolitarum, in obviis authoribus videri poteſt. (c) Nos alia vocant.

§. XII.

(a) Seſſ. 24. cap. 5.
(b) P. Engl ad Tit. de M. & O.
(c) Idem ibid.

§. XII.

JAm ad Epiſcopos nobis convertendus eſt ſermo, de quibus fuſius agere tanto nobis accideret jucundius, quanto majorem jurium plenitudinem ab ipſo Chriſto Domino quam liberaliſſime in ipſos diſpenſatam in charactere Epiſcopali ſemper ſuſpeximus. Ab ipſo nomine *Epiſcopi* ordiamur, quod eſt derivatum a verbo Græco ἐπισκοπέω, quod eſt *ſuperintendere*, ut adeo Epiſcopus idem, ac *Superintendens*, ipſum vero nomen potius nomen *operis*, quam *honoris* eſſe videatur. (a) Quidquid de nomine ſit, hoc certum eſt, quod antiquitas Epiſcopos omnibus illis honorum titulis exornaverit, quibus hodie gloriantur ſummi Pontifices: paſſim enim vocabantur *Apoſtoli*, *Apoſtolorum Succeſſores*, *Patres Apoſtolici*, *Pontifices maximi*, *ſummi Sacerdotes*, *Principes Sacerdotum*, *Papæ Patrum*, *Patres &c.* prout alibi oſtendimus. (b) Nobis itaque animo fixum eſt de illorum inſtitutione, ordine, ſuperioritate, officiis, ac juribus, quantum & temporum, & pagellarum anguſtiæ permittunt, agere, id unum præmonentes, quod triplicis generis Epiſcopi ſint diſtinguendi, nempe Epiſcopi *Ordinarii*, *Titulares*, & *Chor-Epiſcopi*, de quibus ſecundum ordinem agemus.

Primitus de Inſtitutione Epiſcoporum agamus, inquirendo, an Chriſtus ipſe Epiſcopatum veluti gradum quemdam ſuperiorem, cui annexa foret poteſtas tam ordinis quam jurisdictionis cum cæteris juribus Epiſcopalibus ſingularibus inſtituerit, ita quidem, ut Epiſcopi ſuam jurisdictionem immediate à Chriſto acceperint? Res nobis eſt tam cum Acatholicis, quam Catholicis: illi, quum vocationem ſingularem Apoſtolorum ad munus prædicandi contra apertiſſimam literam Scripturæ negare nequeant, ſaltem illorum poteſtatem, & Superioritatem ſupra cæteros Clericos & Presbyteros, ac jurisdictionem in dubium vocant, docentes, quod illi Eccleſiarum majorum præfecti, quos Catholici *Epiſcopos* vocant, ambitione, ſuperbia, regendique cupidine inflati, ſua ſponte *Jura Collegialia* invaſerint, ſe ipſos ſupra cæteros inferiores elevaverint, & neſcio quæ jura, honorum titulos, ac dignitatum prærogativas ſibi arrogaverint, id quod jam Sæc. 3. factum eſſe aſſerunt, quo Eccleſia jamjam in ſtatum corruptum degenerare cœperat. Iſti vero ne-

T

(a) Pulcherrime id ex variis textibus S. Auguſtini deducit Thomaſinus, qui ſemper Epiſcopatum velut onus humeris Angelicis formidandum habuit. Vid. cit. author part. 1. lib. 1, cap. 65. N. 16.

(b) Vid. Diſput. 4. § 3.

neſcio quo blandiendi Sedi Pontificiæ ſtudio agitati equidem inſtitutionem divinam neutiquam impugnare præſumunt, in eo tamen in Epiſcopos & jura characteri Epiſcopali annexa valde iniqui eſſe videntur, quod jurisdictionem Epiſcoporum non tam ipſi Chriſto quam Pontifici ſaltem tanquam cauſæ immediatæ in acceptis referant. Contra utrosque eadem ferme militant argumenta, quibus inſtitutio Epiſcopatus ab ipſo Chriſto facta demonſtratur.

Et quidem 1.mo ipſam Apoſtolorum vocationem, quorum ſucceſſores eſſe Epiſcopos ſaltem Catholicis certum eſſe debet, non nihil accuratius expendamus: nunquid Chriſtus omnes & ſingulos ſingulari vocatione vocavit, nunquid omnes ſuum Apoſtolatum immediate à Chriſto acceperunt fatente Apoſtolo & dicente: *Apoſtolus non ab hominibus, neque per hominem, ſed per JESUM Chriſtum.* Galat. 1. cum quo conſentit S. Lucas cap. 6. *vocavit diſcipulos ſuos, & elegit duodecim ex ipſis, quos vocavit Apoſtolos.* Nonne Chriſtus ipſe dixit: *Ite, prædicate.* Marc. 16. nunquid ipſe dedit poteſtatem: *quæcunque alligaveritis &c.* Math. 18. item *quorum remiſeritis peccata.* Joan. [illegible]. & iterum: *ego mitto vos, ſicut me miſit pater.* Joan. 20. Profecto Chriſtus ſuos Apoſtolos non ad Petrum miſit, ut ab eo ſuam acciperent poteſtatem, ſed ipſe eam dedit, neque quod vel ipſe Petrus ullum in ipſos dominatum exercuerit, aut Epiſcopi per diverſas provincias ab Apoſtolis conſtituti à Petro vel confirmati fuerint, vel ullam ab ipſo poteſtatem acceperint, ullibi legitur.

Patres etiam audiamus, quorum teſtimoniis recenſendis non immorabimur. (a) Nunquid hi omnes perfectiſſimam Chriſti imaginem in Epiſcopis reverentur, paſſim illos vel *Apoſtolos*, vel *Apoſtolorum* ſucceſſores appellant, exquiſitiſſimis prorſus elogiis eos exornant, & unanimi calculo fatentur, quod Epiſcopi vices Chriſti & Apoſtolorum in terris ſuſtineant, Chriſto ipſo dicente: *qui vos audit, me audit:* quod ſi ergo Epiſcopi *imaginem Chriſti* præſeferant, ſi vices Chriſti in terris ſuſtineant, nunquid ipſe Chriſtus hanc imaginem impreſſiſſe ſuis Apoſtolis, eamque illorum Succeſſoribus in hodiernam usque diem imprimere, & vices ſuas committere credendus erit? quod ſi Epiſcopi ſint *Apoſtolorum Succeſſores* hoc ipſo ſuam jurisdictionem immediate à Chriſto habere debent, alias de vera ſucceſſione actum erit. Nam de natura ſucceſſionis eſt, ut ſucceſſor ab eo habeat ſuam poteſtatem, à quo habet Prædeceſſor, alias non tam erit ſucceſſio, quam nova inſtitutio: videant ergo ſcripto-

(a) Innumera teſtimonia SS. Patrum Ignatii, Irenei, Tertulliani, Cypriani, Firmiliani, Paulini, Optati, Hieronymi, & Auguſtini refert Thomaſ. part. 1. lib. 1.

ptores illi Catholici, qui jurisdictionem Epiſcoporum in Pontificem veluti fontem originarium immediatum refundunt, qua ratione ſucceſſionem veram in munere Apoſtolatus defendere valeant, & non potius Acatholicis nova arma ſuppeditent, quibus inſtitutionem Epiſcopatus ex jure divino ſecundum mentem Catholicorum promanantis impugnare poſſint. Et quare Pontifices Petri Succeſſores in hodiernam usque diem ſuam poteſtatem immediate à Chriſto accipiunt, non vero cæteri Epiſcopi? num alia fuit vocatio Petri, & aliorum Apoſtolorum? aliud profecto diſcrimen inter collationem poteſtatis Petro, & cæteris Apoſtolis factæ non invenio, niſi quod Chriſtus Petro in ſingulari, cæteris vero Apoſtolis in communi ſuam poteſtatem communicaverit, dicendo: *quidquid alligaveritis.*

Traditionem conſulamus: quis elegit, confirmavit, & ordinavit Epiſcopos per univerſum orbem? elegerunt plebs, Clerus, Epiſcopi comprovinciales cum Metropolita, confirmavit, & ordinavit idem Metropolita cum ſuis Epiſcopis comprovincialibus. Nunquid pro licentia eligendi ad Pontificem fuit provocatum, nunquid ab ipſo confirmatio petita, nunquid ipſe poteſtatem ordinandi cæteris Epiſcopis commiſit, aut Ordinatorem conſtituit, eique ſuas vices delegavit? per 12. Sæcula vix aliquid ſimile legimus: nemo certe de confirmatione à Pontifice petenda, ſi illos excipiamus, qui in *Provinciis ſuburbicariis* Eccleſias Pontifici ſubjectas regebant, nemo de Ordinatione ab ipſo impetranda ſomniavit. Si dicatur, quod hæc ipſa poteſtas confirmandi, & ordinandi Epiſcopos à Pontifice in Epiſcopos fuerit transfuſa, hi vero nomine & authoritate Pontificum confirmaverint, & ordinaverint, hæc ipſa reſponſio petit principium. Ubi, quando Pontifices hanc poteſtatem dederunt, an igitur Apoſtoli poteſtatem ſibi immediate à Chriſto, non vero à Petro, traditam non transtulerunt in ſuos ſucceſſores? Qualem ergo influxum habuit poteſtas Petri in Ordinationes Epiſcoporum, quos ipſi Apoſtoli per ſe ipſos vi poteſtatis à Chriſto ſibi communicatæ ordinarunt? Res quodammodo abſurda, & vires intellectus humani tranſcendens eſſe videtur, quod jurisdictio omnium Epiſcoporum in toto orbe Catholico exiſtentium ex Primatu Petri velut ex fonte originario immediate in ipſos diffundatur. Quemadmodum Chriſtus Dominus characteri Epiſcopali poteſtatem ordinandi Presbyteros, ita etiam conſecrandi Epiſcopos alligavit: & quoniam in Epiſcopo poteſtas Ordinis, & Jurisdictionis indiſſolubili nexu ſunt colligatæ, fieri nequit, ut ex conſecratione Epiſcopali una ſine al-

 tera

tera in Epiſcopum conſecrandum diffluat. Nunquid Chriſtus Dominus eſt Author immediatus gratiæ Sacramentis annexæ, quare non jurisdictionis Epiſcopalis? quum haud ſecus hæc ſit alligata conſecrationi Epiſcopali, quam illa Sacramentis.

Sed audire lubet Doctores Catholicos Bellarminum, Turrecrematam, & pleroſque Scholaſticos, contra quos præcipue hæc diſputare placuit: ajunt enim 1,mo, in hac doctrina difficillime ſalvari *Primatum* Romani Pontificis; nam ſi perfectiſſima Chriſti *imago* reſplendeat in Epiſcopis, ſi Epiſcopi *vices Chriſti* in terris ſuſtineant, ſi ipſi ſuam jurisdictionem immediate habent à Chriſto independenter à Pontifice & quidem vi verborum Chriſti, quibus dixit: *ſicut miſit me Pater, ita & ego mitto vos*, nihil, vel parum erit differentiæ inter Pontificem & Epiſcopos, æqualis illorum erit jurisdictio in univerſam Eccleſiam, omnis ſubordinatio inter Pontifices & Epiſcopos evertetur. 2.do. Inanis, vacua, fruſtranea eſt omnis jurisdictio Epiſcopalis ſine plebe, ſine cœtu fidelium, ſine Eccleſia, & ideo ille ipſe qui deſignat plebem & cœtum una cum plebe ſubjecta confert jurisdictionem: ſed utique Pontifex deſignat plebem, ſubjicit cœtum fidelium, & Epiſcopis certos Eccleſiarū limites præſcribit? Ad hæc 3tio. Leo M. Pontifex expreſſe docet, quod non modo omnes orbis Catholici Eccleſiæ Epiſcopales authoritate Petri fuerint inſtitutæ, verum etiam omne donum Epiſcopale à Petro tanquam Capite in omnes Epiſcopos diffluxerit. (a) 4.to, ad quid ergo paſſim Epiſcopi ſe ſe *DEI & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopos* ſcribunt, ſi ſuam Pontifici nolint in acceptis referre jurisdictionem? Verum hæc talia & tanta non ſunt, ut nos à præconcepta noſtra doctrina, quam putamus eſſe omnino certiſſimam, divellant: demus enim, quod in Epiſcopis reſplendeat perfectiſſima *Chriſti imago*, nunquid hæc poterit plenioribus radiis coruſcare in Pontifice, quam in Epiſcopis? demus quod vices Chriſti in terris ſuſtineant: nunquid hoc ipſum poterit intelligi cum aliquo moderamine, cum reſtrictione ad certas Eccleſias, cum quadam ſubordinatione ad Pontificem, cum ordine ad certas functiones, munia, & Jurisdictionalia? quid prohibet quo minus in Chriſto conſideremus duplicem vel multiplicem perſonam Paſtoris ſupremi omnium Eccleſiarum, & particularis hujus vel illius Eccleſiæ haud ſecus quam in Pontifice,

(a) Ait Leo epiſt. 89. *Hujus muneris Sacramentum ita Dominus ad omnium Apoſtolorum officium voluit pertingere, ut in Beatiſſimo Petro Apoſtolorum omnium ſummo principaliter collocaret, ut ab ipſo quaſi quodam capite dona ſua velut in corpus omne diffunderet.*

fice, in quo Theologi omnino quadruplicem diſtinguunt perſonam *Epiſcopi in Diœceſi Romana*, *Metropolitæ* & *Primatis in Provinciis ſuburbicariis*, *Patriarchæ in Occidenti*, *ſupremi Primatis* in univerſo orbe Catholico. Quo ſuppoſito facili negotio exſplicatur, qua ratione *vices Chriſti* ſuſtineant, & à Chriſto miſſi ſint, ſicut ipſe à Chriſto miſſus fuerat nempe in ordine ad ſuas Eccleſias particulares, in ordine ad munia ſibi commiſſa. Nec dicatur, quod Chriſtus miſſus fuerit cum pleniſſima poteſtate, & quidem in omnes Eccleſias: ſed utique in poteſtate Chriſti fuit hanc poteſtatem limitare, reſtringere, & coarctare, prout libuerit? Neque dubium eſt, quin Chriſtus ſuos Apoſtolos ſufficienter inſtruxerit, eoſque docuerit, qualem poteſtatem dederit, in quibus caſibus, cauſis, officiis & muniis ſuas vices gerere debeant. Et quis neſcit, textus cum textibus eſſe concordandos? quum ergo alibi legatur, quod Chriſtus Petro, illiusque ſucceſſoribus pleniorem jurisdictionem communicaverit, dubitari nequit, quod hoc ipſum ſuis Apoſtolis tradiderit, hi vero id ipſum quam optime intellexerint. Ex his facile quisque intellexerit, quantum diſcriminis inter Pontifices, & Epiſcopos intercedat, qua ratione *Imago Chriſti* perfectius reluceat in Pontificibus, quam longe amplior illorum ſit jurisdictio, & ita Primatus Pontificis in ſalvo maneat. Neque officit, quod Pontifex deſignando plebem ipſam Jurisdictionem conferre videatur, nam deſignatio plebis ut plurimum collationem antecedit, & fit vel per electionem, vel confirmationem, ipſa autem Jurisdictio confertur vi conſecrationis Epiſcpalis, cui Chriſtus haud ſecus *poteſtatem jurisdictionis*, quam *Ordinis* alligavit. Itaque quando Eccleſia fines Diœceſium determinat, & juxta beneplacitum ſuum inter Epiſcopos dividit, nihil facit aliud, quam quod jurisdictioni vel jam collatæ, vel vigore Ordinis Epiſcopalis conferendæ det objectum, in quod Epiſcopus ſuam jurisdictionem exercere valet. Illud, quod Leo M. de inſtitutione Eccleſiarum aſſerit, in ſenſu obvio non poſſe accipi ex ſupra dictis conſtat, quia utique Apoſtoli authoritate à Chriſto ſibi tradita inſtituerunt Eccleſias, & conſtituerunt Epiſcopos, neque certe ex antiquis Eccleſiarum documentis liquido oſtendi poteſt, quod omnes Eccleſiæ per totum orbem Catholicum diffuſæ authoritate Pontificum fuerint erectæ. Et demus hoc, anne ex eo, quod ad erigendam novam Eccleſiam requiratur conſenſus Pontificis, inferri poteſt, quod ipſa etiam Jurisdictio Epiſcopalis à Pontifice immediate dependeat? textus ex Leone allatus probat nimium: loquitur

enim de effuſione *donorum Epiſcopalium:* at vero illam effuſionem non à Petro, ſed à Chriſto factam eſſe quis negaverit? itaque à Petro diffunditur Jurisdictio in Epiſcopos in eo ſenſu, quod quum Pontifex ſit Caput Eccleſiæ, inter ipſum & Epiſcopos ſumma debeat eſſe concentratio, ita ut Epiſcopus eſſe Epiſcopus cum jurisdictione nequeat, niſi in communione ſtet cum Pontifice. Dein quærere liceat, á quo Pontifex habeat ſuam jurisdictionem? profecto ab ipſo Chriſto, quod nemo Catholicorum negaverit. Et tamen hæc jurisdictio non niſi dependenter ab electione Cleri Romani in ipſum veluti per canalem diffunditur. Quidni hoc ipſum de jurisdictione Epiſcoporum dicatur? illa deſignatio plebis, inſtitutio & confirmatio à Pontifice danda ſunt requiſitæ conditiones, ut Chriſtus ſuam jurisdictionem impertiatur. Ille titulus *DEI & Apoſtolicæ Sedis gratia* eſt titulus novus, olim incognitus, Sæc. 13. adinventus: eo enim primitus Archi-Epiſcopus Nicoſienſis in Cypro inſula circa an. 1251. uſus fuiſſe legitur. Secuti ſunt hujus veſtigia alii Archi-Epiſcopi præcipue Ravennatenſes, & poſtea etiam Epiſcopi. In ſpecie legitur etiam, quod hoc titulo Archi-Epiſcopi Salisburg. circa an. 1417. uti cœperint. Cauſam novi hujus tituli ſponte aſſumpti ſi quis quærat, ea aliunde eſt liquida. Voluere Archi-Epiſcopi Nicoſienſes Clientelæ ſuæ obſervantiam erga ſummam Sedem conteſtari ea potiſſimum ex ratione, quod ſuam præcellentem poteſtatem in Epiſcopos Græcos Armenorum & Maronitarum beneficio ſingulari Sedis Apoſtolicæ debuerint. Archi-Epiſcopis aliis hunc titulum aſſumere placuit, vel quia ſciebant dignitates Archi-Epiſcopales promanare à Pontifice, vel quia hoc ipſo titulo participationem amplioris jurisdictionis de plenitudine poteſtatis Pontificiæ in ſe diffuſam ſignificare voluere. Interim hoc titulo nec Epiſcopi Græci, nec omnes Latini, imo pauciores ex Latinis utuntur.

Jam de Superioritate *Gradus*, & *Ordinis Epiſcopalis* agendum. Iterum nobis lis erit partim cum Acatholicis partim cum Catholicis, priores *Superioritatem gradus*, poſteriores *Ordinem Epiſcopalem* prout diſtinctum à Sacerdotio negant, illumque meram eſſe *extenſionem* Ordinis ſacerdotalis aſſerunt. Contra ambos ferme eadem militant argumenta, quorum primum petitur ex luculentiſſimis teſtimoniis Patrum, qui ſemper tres agnoverunt Gradus diſtinctos Epiſcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum, & de duobus poſterioribus

bus tanquam primo ſubordinatis ſunt locuti. (a) Suffragatur continua traditio à tempore Apoſtolorum ad nos usque traducta, ex qua conſtat, quod Apoſtoli primitus, poſtea illorum ſucceſſores talem tantamque poteſtatem in Eccleſiam, & in cæteros omnes Clericos exercuerint, ut ſi hæc illorum poteſtas, ac jura cum poteſtate cæterorum Clericorum comparetur, idem eſſe videatur, ac ſi tenuiſſimum rivulum cum immenſo Oceano comparaveris. Liceat immenſa Epiſcoporum & munia & jura prorſus ſublimiſſima in unum quaſi cumulum conjicere: Nunquid enim & Apoſtoli & Apoſtolorum Succeſſores ordinarunt Epiſcopos & Presbyteros per diverſa loca, rexerunt præcipuas Eccleſias non per unam urbem, ſed per integras provincias, non per provincias modo, ſed etiam per ampliſſima Regna, ac Diœceſes diffuſas, &, ſi ita dicere liceat, diffuſiſſimas, diſpenſarunt officia, munia, & beneficia Eccleſiaſtica, Primatum tenuere in Conciliis, præcipui fuere Adminiſtratores Sacramentorum Baptismi & Evchariſtiæ ita ut ſine delegatione cæteris Clericis nec baptizare, nec celebrare Miſſam licuerit, quædam Sacramenta ipſi ſoli uti Sacramentum Confirmationis & Ordinis adminiſtrarunt, ſupremam habuere curam bonorum Eccleſiaſticorum, viſitarunt Diœceſes, exercuere jurisdictionem in cauſis controverſis, easque in ſua Epiſcopali audientia ultimato judicio terminarunt &c. Sed de his pluribus infra, ubi quadruplicis generis jura Epiſcopalia non nihil accuratius expendemus. Atque hæc omnia in unum cumulum conjecta an non ſuperiorem Gradum ſeu Ordinis ſeu Jurisdictionis arguere videantur? anne hæc officiorum juriumque ſuperabundantia mera Presbyteratus ſit extenſio, & non potius origo, fons & abundantiſſima Ordinum, & dignitatum Eccleſiaſticarum plenitudo dici mereatur? emicuit hæc Epiſcopatus inexhauſta plenitudo in Chriſto, qui idcirco ab Apoſtolo vocatur *Epiſcopus animarum noſtrarum*, exundavit hæc primum plenitudo Sacerdotii à Chriſto in Apoſtoſtolos, ab his in ſuos ſucceſſores, quibus profecto non unius Presbyteratus extenſionem, ſed infinitam quamdam ſacerdotalium functionum, jurium ſingularium, & regiminis Eccleſiaſtici opulentiam infuderat. Ab hac ſcatebra manarunt deinceps rivulorum inſtar dignitates & ordines omnes Epiſcopali jure inferiores. Itaque à veri ſimilitudine procul ſunt, qui ſola Presbyterii extenſione conſtare Epiſcopatum autumant, dum econtra illud

(a) Ferme integrum Catalogum Patrum affert Binghamus Anglicanus Lib. 2. Orig. Eccleſ. ſ. 2. & ſeq.

lud inconcuſſum haberi debet, Ordinum omnium ſacrorum, jurium, virium ac prærogativarum ſpiritualium plenitudinem in Epiſcopatu, ut in primogenio fonte, reſidere, & inde ſeu rivulos effluere ordines, & poteſtates clericales omnes, maxime Sacerdotales. Antequam Sacerdos in Epiſcopum conſecretur, quodam velut rore poteſtatis ſacræ perfuſus eſſe videtur: quamprimum in Epiſcopalem Ordinem ſacra inauguratione adſciſcitur, plenitudine Sacerdotii & poteſtatis ſuperfunditur: ramuſculus nempe in arborem quaſi divinam excreſcit. Quum in faſtigium Epiſcopale aſſurgit Presbyter, poteſtatis ſuæ, cujus hactenus uſuram parciſſimam nactus fuerat, conſequitur plenitudinem, nullius ex arbitrio pendentem, imperium ſummum, & ſtupendam quamdam fœcunditatem. Sterilis antea, & infœcunda erat illius poteſtas, nullique communicabilis, nunc fœcunda fit, & in ingentem exſurgit fluvium, ut per Ordinationes velut per quosdam canales in omnes Clericos ordinandos derivari valeat. Precaria, obnoxia legi & imperio Epiſcopali erat antea ſimplicis Presbyteri poteſtas, nunc omnes velut aggeres perrumpit, & in vim poteſtatis ſummæ exſurgit. Jam ut ad id, quod nobis ſemper in hac re præcipuum erat viſum, perveniamus: faciamus pleniſſimam omnium jurium, privilegiorum, prærogativarumque Epiſcopalium communionem, eaque omnia ſuperabundantiſſime ſine ulla limitatione, reſtrictione aut diminutione in ſimplices Sacerdotes transfundamus: unum tamen illudque facile præcipuum Jurium Epiſcopalium eſt, quod hactenus neque unquam ulli Sacerdotum fuiſſe communicatum legimus, etſi cæterorum ferme omnium jurium Epiſcopalium particulam in Presbyteros fuiſſe diffuſam negare non audeamus, neque poſſe communicari Eccleſia unquam credidit. Atque hoc non aliud, quam *poteſtas ordinandi Sacerdotes.* Habuere, & in hodiernam usque diem habent Abbates privilegium in corpore juris clauſum conferendi Ordines minores, prætendunt quidam jus etiam Ordinandi Subdiaconos, quin aliquoties poteſtatem Diaconos conſecrandi fuiſſe communicatam paſſim à multis Doctoribus aſſeritur, quamquam illorum ſententiæ magni nominis Theologi contradicant, & ſimilia privilegia, quæ hinc inde conceſſa leguntur, ſub- & obreptionis, ſuppoſitionis, & falſitatis arguant: nullum tamen ex tota retro acta antiquitate authenticum privilegium afferri poteſt, ex quo probari poſſet, quod ſimili modo poteſtas conſecrandi Sacerdotes unquam ſimplici Sacerdoti fuerit communicata: quin imo conſtat ex adver-

ſo, quod Eccleſia omnes prorſus Ordinationes à ſimplicibus Presbyteris factas pro irritis, nullis, & invalidis habuerit. An non Iſchyra à Synodo Alexandrina munere ſuo fuit exutus, eo quod Colluthus, qui ipſum ordinaverat, ſimplex fuerit Sacerdos (a)? an non quidam Presbyteri à Concilio Sardicenſi ad Laicorum ſortem reducti ſunt, quod Eutychianus, & Muſæus, qui miniſterio Eccleſiaſtico eos initiaverant, falſo crediti fuerint Epiſcopi, quum fuerint ſimplices Presbyteri (b)? Jam vero liceat cum Theologis aſſumere argumentum quoddam ſcholaſticum, qui hoc modo argumentantur: poteſtas ſingularis, nulli alteri competens arguit diſtinctum adæquate Ordinem Clericalem: at vero Epiſcopis competit poteſtas prorſus ſingularis, ipſis ſolis propria, nulli alteri communicabilis, ut quid ergo non deberet eſſe Ordo adæquate diſtinctus, ſed mera extenſio Ordinis ſacerdotalis? ajunt quidem, quod Epiſcopatus in ipſo Sacerdotio radicetur, atque ab eo eſſentialiter dependeat? ſed quid tum, num propterea illa ſingularis poteſtas cum plenitudine jurium Epiſcopalium neutiquam in Ordine ſacerdotali velut in ſuo fonte contenta, ſed mediante Ordinatione Epiſcopali noviter ſuperinfuſa, ſolique chacteri Epiſcopali annexa non erit poteſtas diſtincta? an non ſciunt hujusmodi Scholaſtici diſtinctiunculis ludentes diſtinguere inter requiſita vel conditiones, & inter ipſas cauſas cum effectu influentes, quem veluti ex ſuperabundantia à ſuis cauſis effundi aſſerunt. Num modica particula jurium ſacrorum in Ordine ſacerdotali præcontentorum plenitudinem, ac ſuperabundantiam jurium ex ſe diffundere valeat? verum tædet hujusmodi ratiunculis, ſubtilitatibus, & diſtinctiunculis ex cerebro quorundam exceſſive *ſubtilizantium* enatis (verbo ſit venia) multum ludere, quando aliunde argumenta ex authoritate, traditione, & ipſa rei natura deprompta illarum vim qualemcunque elidunt. Haud difficile nobis accideret ſubtilitatibus ſubtilitates opponere, diſtinctiunculas diſtinctiunculis elidere (neque enim nos omnis ingenii ſubtilitas deſeruit) niſi grandi piaculo duceremus, aut temerarie nos acturos crederemus, ſi poteſtatem Epiſcoporum ex viribus potius noſtri humani intellectus, quam pondere authoritatis dimetiri vellemus. Abſit tamen à nobis, ut omnem rationem eliminemus, & proſcribamus. Aſſumamus argumenta inconcuſſa, communia, & in authoritate fundata, & de cætero frivolis rationibus in mera ſubtilitate & cerebro luxuriantis ingenii

 fun-

(a) Prout refert S. Athanaſius in Apologia ſua à Binghamo citatus.
(b) Concil. Sardic. Can. 19.

fundatis nuntium remittamus. Unum adhuc eſt, quod Doctoribus contrariæ opinionis opponamus. Aſſerunt ipſi, quod Epiſcopatus eſſentialiter dependeat à Presbyteratu. Quid enim, ſi ſententiam Virorum doctiſſimorum Joan. Mabillonii, Edmundi Martene, Franciſci Pagi, Binghamii adoptaremus, aſſerentium, quod plures Pontifices & Epiſcopi à Diaconatu mox ad Epiſcopatum fuerint promoti? Profecto hanc opinionem non omni deſtitui fundamento, & authoritas tantorum Virorum, & plura exempla ab ipſis adducta commonſtrant, qualia ſunt in Cæciliano, Athanaſio, Petro Moggo, & Agapeto, Vigilio, Pontificibus Romanis. Et quod magis eſt, teſtatur Franciſc. Pagius (a) per unum alterumve Sæculum non niſi Diaconos, & Archi-Diaconos ad ſupremum Eccleſiæ clavum tenendum fuiſſe aſſumptos. Verum abſit, ut hanc ſententiam faciamus noſtram, præſtat potius eam in ſuſpenſo relinquere.

Plura ſunt, quæ hiſce DD. contrarii opponere ſolent, nempe provocant tum ad Chor-Epiſcopos: qui, licet fuerint ſimplices Presbyteri, attamen poteſtatem ordinandi Presbyteros habuiſſe leguntur, tum ad exempla, nominatim ad ordinationem feliciſſimi Diaconi, quem Novatus Presbyter ordinaſſe legitur, ad ordinationem Danielis Presbyteri à Paphnutio Abbate Ægyptiaco ordinati. Verum quis neſcit, quod inter Authores adhuc multum diſputetur, utrum Chor-Epiſcopi fuerint ſimplices Presbyteri, vel Epiſcopi? utrumque exemplum in contrarium allatum aliud non probat, niſi quod & Novatus curaverit, ut feliciſſimus ordinatus fuerit in Presbyterum, & Caſſianus Paphnutium, quem ſibi ſucceſſorem conſtituere volebat, ad Presbyterii honorem provexerit.

Agendum quoque de Epiſcoporum *Electione*, *Confirmatione*, & *Conſecratione*. Verum hæc in aliam occaſionem differimus. Interea pauca ſuper his animadvertiſſe ſufficiat. Quantum ad electionem equidem hæc olim fiebat in loco vacantis Eccleſiæ à populo, Clero, Epiſcopis comprovincialibus, & Metropolita, ita ut populus & Clerus ex communiori ſententia votum conſultivum, Epiſcopi cum Metropolita votum deciſivum habuerint. Quoniam vero incommodum erat Metropolitis ad locum non raro ignobilem vacantis Eccleſiæ accedere, electiones vel ad ſuas urbes transtulerunt, vel permittebant Clero & populo facultatem tres eligendi, quos dein Metropolitæ præſentare debebant, cui poteſtas erat unum ex iis eligendi. A Sæc. 5. ſæpe & ordinarie etiam interveniebat conſenſus Im-

(a) Ad vitam Sabiniani Pontif.

Imperatorum & Regum. Hunc morem admittendi Clerum & populum Eccleſia Latina retinuit ferme ad Sæc. usque 12. quo tempore populus excluſus, & jus eligendi ex conſuetudine potius, quam jure ſcripto privative ad Capitula fuit devolutum. In Eccleſia Græca jam circa Sæc. 6. & 7. plebs ſuo qualicunque ſuffragio excidit.

Quantum ad confirmationem hæc olim mox peracta electione in loco vacantis Eccleſiæ fiebat. Poſtquam autem plebs & Clerus abſente Metropolita electionem celebrabat, decretum & inſtrumentum electionis mittebatur, & Metropolita præmiſſo rigoroſiſſimo examine ſuper electione, & qualitatibus electi confirmationem impertiebatur. Quondam ordo confirmationis obſervabatur, ita ut Abbas ab Epiſcopo, Epiſcopus à Metropolita, Metropolita ab Exarcho vel Patriarcha confirmari debuerit, niſi aliud moribus hinc inde fuiſſet introductum. Atque hic mos obtinuit ferme ad Sæc. usque 13. prout ſupra diximus, usque dum Pontifices jus confirmandi ſibi ſolis reſervaverint, Concordata Germaniæ vero idem ipſis ſtabiliverint.

Quantum ad conſecrationem hæc olim in ipſa Epiſcopi conſecrandi Eccleſia præſente populo fieri ſolebat, ad quam proin conſecrator ſeſe conferre debuerat. Ad eam Metropolita cum omnibus Epiſcopis comprovincialibus confluxerat, quos antea Metropolita per literas circulares invitare conſuevit. Quod ſi omnes comparere nequiverint, ſuum conſenſum per literas declarare oportuit: quo in caſu tres Epiſcopi aſſentiente Metropolitano ad peragendum conſecrationis rium credebantur eſſe ſufficientes. (a) Pauciores quam tres per Canones (b) eſſe non poterant. Equidem à Canonibus Apoſtolicis conſecratio à duobus Epiſcopis facta comprobatur. (c) At vero id repugnat omnibus cæteris Canonibus, qui conſecrationem à duobus factam equidem non reprobant, attamen tam conſecratorem quam conſecratũ ab officio removeri jubent. Ex hoc Theologi occaſionem ſumpſerunt diſputandi, an pluralitas Epiſcoporum ſit juris divini, & velut de eſſentia conſecrationis Epiſcopalis, ut aliter facta non valeat? dicendum paucis, valere conſecrationes, etſi non fiant à tribus Epiſcopis, quia Eccleſia ſæpius pro validis habuit Ordinationes, quæ fiebant non modo à duobus, ſed etiam ab uno Epiſcopo, prout pluribus exemplis oſtendi poſſet: ſic enim

(a) Optabant enim SS. Canones, ut omnes Epiſcopi Comprovinciales, aut ſaltem ſeptem confluerent.

(b) Vid. Concil, Nicæn. 4. Chalcedonenſe, aliáque, quæ à Binghámo citantur lib. 2. c. 11.

(c) Can. Apoſt. 1.

Pelagius Romanus Epiſcopus, & Dioſcorus Alexandrinus à duobus tantum Epiſcopis fuiſſe ordinati leguntur, & tamen illorum conſecrationem tanquam validam habuit Eccleſia, Siderius Epiſcopus Pabæliſcæ ab uno tantum Epiſcopo conſecratus fuerat, attamen Athanaſius ipſius Ordinationem & approbavit, & confirmavit. Paulinus Epiſcopus Antiochiæ Evagrium ſine ullo alio Epiſcopo ſibi adſiſtente ſucceſſorem conſecravit, & nihilominus teſte Theodoreto Epiſcopi Romanus, & Antiochenus Evagrium pro vero habuere Epiſcopo. Noviora paſſim referunt exempla de S. Greg. M. qui Auguſtino Anglorum Apoſtolo facultatem dedit per ſe ſolum Ordinandi Epiſcopos. Similem facultatem Patriaræ Æthyopiæ fuiſſe datam legimus. Et nos ipſi ſcimus, quod aliquoties Epiſcopi Germaniæ in locum Aſſiſtentium Epiſcoporum, dum conſecrabantur, quosdam Abbates aſſumpſerint. Sed & hoc ſcimus, quod modernus Pontifex antiquioris diſciplinæ Eccleſiaſticæ zelator maximus, id ipſum, ne fieret, prohibuerit. Ratio autem, cur Eccleſia pluralitatem Epiſcoporum ad conſecrationem deſideraverit, triplex aſſignari poteſt, 1.mo ad ſignificandam unitatem Eccleſiæ in omnibus ſuis Paſtoribus. 2.do ad deſignandam ſuperabundantiſſimam illam gratiarum, donorumque ſpiritualium abundantiam, qua Epiſcopus ſuperfunditur, & 3.tio ad oſtendendum, quanti, & quam ingentis momenti res ſit conſecratio Epiſcoporum. Opinioni contrariæ multum patrocinatur Tournelius exiſtimans, quod præfata pluralitas jure optimo in jus divinum refundi poſſit & debeat ob continuatam traditionem, praxin & obſervantiam Eccleſiæ, adeoque ſubintrare debeat communis regula: *quod ſemper in Eccleſia fuit obſervatum, neque in Concilio aliquo legitur inſtitutum, id Juris divini eſſe credendum eſt.* Porro autem, quis ignorat, hanc regulam tunc obtinere, quando traditio fuit conſtans, perpetua, nunquam interrupta, & ipſa Eccleſia hoc vel illud eſſe juris divini credidit: ſecus dicendum foret, quod mixtio aquæ cum vino in Sacrificio Miſſæ, collatio Baptismi per ſubmerſionem ſit juris divini, quod nemo dixerit. Conſtat autem ex dictis, quod Eccleſia conſecrationes Epiſcoporum etiam ab uno Epiſcpo factas validas eſſe agnoverit, & vel expreſſe, vel tacite approbaverit.

De ipſo jure conſecrandi paucis videamus: Jus conſecrandi Epiſcopos in regula pertinuit ad Metropolitas. Plures tamen ab hac regula erant exceptiones, & quidem Romanus Pontifex conſecrabat univerſos provinciarum ſuburbicariarum Epiſcopos, Patriar-

triarcha Alexandrinus & Antioechenus Epiſcopos in ſuis Patriarchatibus, Exarchi in ſuis Diœceſibus exiſtentes, & demum Epiſcopus Carthaginenſis ordinabat omnes Epiſcopos Africæ. Succeſſu temporis una cum jure confirmandi jus ordinandi vel deſignandi conſecratorem ad Romanum Pontificem fuit devolutum. Sed poſſet alicui oboriri ſcrupulus, an Pontifici hoc jus in Germania competat. Ratio dubitandi poſſet eſſe, quod Concordata Germaniæ, ex quibus jura tam Pontificum, quam Epiſcoporum ſunt dimetienda, de jure conſecrandi altum ſileant, & ſolius juris confirmandi mentionem faciant. Quidquid tamen de hoc ſit, Pontifices ſaltem ſecuri ſunt in poſſeſſorio, & ſi cauſam ad petitorium devolvi contingeret, pro ipſis militaret regula communis: non plus correctum quam expreſſum: quia igitur hoc jus ante inita Concordia Germaniæ exercuerunt, exercebunt etiam poſthac.

Jam de Officiis & juribus, authoritate, poteſtate & Jurisdictione Epiſcoporum. In immenſum excreſceret noſtra Diſſertatio, ſi omnia ipſorum officia, munia, & jura, ea præcipue, quæ in primitiva Eccleſia, & ante reſervationes Pontificias exercuerunt, vel obiter recenſere vellemus. Ut ergo aliquo modo brevitati, quantum fieri poteſt, conſulamus, quadruplicis generis jura Epiſcopalia diſtinguamus, nempe *Ordinis*, *Jurisdictionis*, *Legis Diœceſanæ*, & *Status* ſeu *Dignitatis*. Jura *Ordinis* ſunt illa, quæ characteri Epiſcopali ſunt annexa in ordine ad adminiſtranda Sacramenta, aliasque functiones Epiſcopales obeundas. Et hæc iterum ſunt duplicis generis nempe vel *communia* ſimplici Sacerdoti etiam convenientia, qualia ſunt poteſtas baptizandi, S. Evchariſtiam adminiſtrandi, ligandi & ſolvendi in foro pænitentiali, prædicandi Evangelium, vel ſolis Epiſcopis *propria*, qualia ſunt poteſtas ordinandi Clericos, confirmandi baptizatos, conficiendi Chryſma, loca ſacra ædificandi, conſecrandi Eccleſias, reconciliandi Eccleſias pollutas, benedicendi Cœmeteria, aliaque loca ſacra, Abbates, Abbatiſſas, ſacras Virgines &c. Quoad *jura communia* ſeu priora id animadvertendum eſt, quod Epiſcopi ſoli fuerint Ordinarii miniſtri Sacramentorum Baptiſmi, Evchariſtiæ, & Pœnitentiæ, neque ſimplici Sacerdoti ſine mandato Epiſcopi conferre Baptiſmum, neque præſente Epiſcopo Sacrificium celebrare, neque etiam pœnitentiam publicam ordinare licuerit. Inter præcipua autem munia Epiſcopalia reputabatur munus prædicandi & concionandi, ut in Epiſcopi præſentia Presbytero concionari nefas fuerit, quare mirum non eſt, quod

Synodus Tridentina libere pronuntiaverit, munus prædicandi ex jure divino ad Epiſcopum pertinere. (a) Quoad *Jura Ordinis charaćteri Epiſcopali annexa* iterum diſtinguendum eſt inter illa, quæ ſimplici Sacerdoti ſunt *communicabilia*, & ea, quæ ſunt *incommunicabilia*, ferme omnia communicari poſſunt ex ſpeciali delegatione, ſi poteſtatem Ordinandi Presbyteros excipiamus, de quo ſupra. De poteſtate adminiſtrandi Sacramentum Confirmationis, & Ordinandi Diaconos, an ſit communicabilis, nondum inter Authores convenit.

Quoad *Jura Jurisdictionis & Legis Diœceſanæ* iterum diſputatur, quænam utrique ſint propria? ferme communis DD. opinio in cap. 16. & 18. de poteſt. & offic. Jud. Ord. fundata eſt, quod ea, quæ in *faciendo* ad jurisdictionem, illa vero quæ in *recipiendo* conſiſtunt, ad legem Diœceſanam pertineant, in quorum ſententia ad legem Diœceſanam vix aliud pertinet quam jus recipiendi *Cathedraticum*, *ſubſidium Charitativum*, *procurationem Canonicam* (b), decimas, cenſus, penſiones. Cætera Jura Epiſcopalia omnia decidendi cauſas, infligendi cenſuras, abſolvendi, diſpenſandi, viſitandi Diœceſin, convocandi Synodos, concedendi Indulgentias, conferendi Beneficia, inſtituendi præſentatos, confirmandi Electos pertinebunt ad Jurisdictionem Eccleſiaſticam. Verum, ſi noſtram deſuper ſententiam liceat, ſincere fatemur, quod hæc communis ſententia ſolidum in cit. Capit. fundamentum non habeat, ſuamque originem unice trahat ex non ſufficienti intellectu deciſionis Pontificiæ. Quod ut oſtendamus, prius duo animadvertimus, 1.mo quod *Lex Diœceſana* poſſit ſumi, vel late, vel ſtricte: late ſumpta ſub ſe comprehendit *omne imperium in ſacra*, ſtricte ſumptum opponitur *Jurisdictioni Epiſcopali* cap. 16. & 18. cit. 2.do quod antiquiores inter *Legem Diœceſanam*, & *Jurisdictionem Epiſcopalem* non adeo accurate diſtinxerint, & utramque vocem promiſcue adhibuerint, prout patet ex cap. 1. C. 10. q. 1. & cap. 34. C. 16. q. 1. quin imo ipſe Innocentius III. in ſua decretali epiſtola, ex qua cap. 16. & 18. fuit depromptum, hæc jura paſſim confundat. Nunc itaque evolvenda eſt Hiſtoria cit. cap. Lis erat inter Epiſcopum Veneтenſem & Monaſterium Rotomagenſe. Prætendebat Epiſcopus, quod Monaſterium, & omnes illius Parochiales Eccleſiæ jure communi ad ipſum pertineant. Abbas ſe fundabat in exemptione. Quæſtio-

(a) Seſſ 23. de Reform. cap. 1.

(b) Cathedraticum datur in recognitionem Cathedræ Epiſcopalis. Subſidium Charitativum propter urgentem neceſſitatem Eccleſiæ. Procuratio Canonica porrigitur Epiſcopo Eccleſiam viſitanti.

ſtione ad Pontificem delata ipſe pronuntiabat, Monaſterium à *Juriſdictione Epiſcopali* eſſe liberum, ipſas tamen Eccleſias Parochiales *Legi Diœceſanæ* eſſe ſubjectas. Hæc deciſio novæ controverſiæ anſam præbuit, replicabat enim Abbas, quod tertia pars *emendarum*, quas quidam homines pro ſuis exceſſibus ſolvere tenebantur, ad ſuum Monaſterium ab antiquo pertinerent, & caſu quo inter Parochianonos oriri lites contingat, citatio & examen privative ad Abbatem, ipſa vero deciſio cauſæ ad Abbatem & Epiſcopum cumulative pertineat. Epiſcopus duplicando ſe fundavit in re judicata. Triplicabat Abbas eſſe diſtinguendum inter *Legem Diœceſanam*, & *Juriſdictionem Epiſcopalem*, & in caſu præſenti non quæri de *Lege Diœceſana*, ſed *Juriſdictione*, adeoque ſalva lege Diœceſana Epiſcopi, poſſe Juriſdictionem ſaltem quoad aliquos actus nempe citationem, & examen &c. ad Monaſterium pertinere, quam diſtinctionem ipſe Pontifex approbavit. Jam quis non videt, quod in hoc Capit. *Juriſdictio* opponatur *Legi Diœceſanæ* unice in eo; quod Juriſdictio involvat poteſtatem examinandi, cognoſcendi, & decidendi cauſas, neutiquam vero in eo, quod hæc in dando, illa in recipiendo conſiſtat? Abbas nihil aliud prætendit niſi citationem, examen, & deciſionem cauſæ cum *emendis*, cœtera omnia Epiſcopo quam libentiſſime conceſſit. Ex his jam per ſe fluit, quale ſit diſcrimen inter *Juriſdictionem Epiſcopalem*, & *Legem Diœceſanam* ſtricte acceptam, & quæ utrique ſint jura annexa. Nempe ad Juriſdictionem pertinet ſola poteſtas jus dicendi de cauſis controverſis, & quæ cum hac connectuntur, cœtera jura omnia ſupra recenſita, & ſi quæ ſint alia, ad *Legem Diœceſanam* ſunt referenda. Hæc diſtinctio procul dubio ſuum ortum ducit, à variis exemptionibus, & uſum habere poteſt, quando inter Epiſcopos & exemptos lites oriuntur, prout nos ipſi caſum practicum dare poſſemus. Id adhuc addendum, quod in Pace etiam Weſtphalica, in cujus Art. 5. §. 48. *Juriſdictio Epiſcopalis* quoad Proteſtantes ſuſpenſa legitur, hinc inde & paſſim *Juriſdictio Epiſcopalis*, & *Lex Diœceſana* promiſcue ſumantur.

Jura Status ſeu dignitatis ſunt illa, quæ certis præeminentiis tam Eccleſiaſticis quam politicis dignitati Epiſcopali veluti ſuperadditis undecunque provenientibus, ſunt annexa. Sic e. g. ſi loquamur de Statu Eccleſiaſtico, multi Epiſcopi ſunt ſimul Metropolitæ, Primates, Patriarchæ, Legati Nati, Delegati Summi Pontificis, & hoc ipſo gaudent variis titulis, privilegiis, proedriis, inſignibus &c. Item noſtri Epiſcopi Germaniæ, ſi de Statu politico nobis ſit ſermo, ſunt

ſi-

ſimul Status Imperii, Principes, Electores, & inde varia, & quidem præcipua Imperii officia obtinent. Sic e. g. Elector Moguntinus eſt Archi-Cancellarius Imperii, Celſiſſimus Princeps Salisburg. &c. habet Directorium in ſcamno Principum &c. hinc duplicis generis jura Status vel dignitatis politicæ diſtinguenda ſunt nempe *Communia*, qualia ſunt, quod ſint Status Imperii, habeant ſeſſionem cum voto in Comitiis, & Superioritatem Territorialem, Et *extraordinaria* dignitati ſoli e. g. Archi-Epiſcopali annexa, uti ſunt Archi-Cancellariatus, Directorium &c. circa hæc jura Status, & Dignitatis Eccleſiaſticæ per modum regulæ habendum eſt, quod, licet Capitulum Sede vacante ſuccedat in jura Epiſcopalia, non tamen in jura *Status & dignitatis.* Quoad *jura Status politica* diſtinguendum eſt inter jura Status *communia*, & *propria* ſeu dignitati e. g. Archi-Epiſcopali affixa, in priora ſuccedit Capitulum Sede vacante non vero poſteriora, niſi aliter vel in jure ſit diſpoſitum, vel ex conſuetudine, & præſcriptione obtineat (a). Hactenus dictis ex Jure publico addendum eſt, quod noſtris Epiſcopis Germaniæ ſua jura in Pace Religioſa & Weſtphalica mirum in modum reſtricta, eorumque Jurisdictio una cum Lege Diœceſana quoad Proteſtantes totaliter, ſi paucos excipiamus caſus, fuerit ſuſpenſa (b). Sed de hoc videbimus alibi.

Hactenus de Epiſcopis, eorumque juribus in genere. Juvat aliquá etiam dicere de Epiſcopis Titularibus, ſeu in partibus, ſicuti vocare ſolemus, & Chorepiſcopis. Epiſcopos titulares ſeu in partibus illos vocare ſolemus, qui ſunt ordinati ad Eccleſias Patriarchales, Metropoliticas, & Epiſcopales à barbaris & infidelibus Mahumetanis & Saracenis occupatas, & adhuc ab illis poſſeſſas. Origo illorum in acceptis referenda eſt Eccleſiæ Orientali, in qua jam Sæc. VII. inolevit mos ſubrogandi Epiſcopos in Eccleſias inacceſſas, & ab Imperio Chriſtiano avulſas. Hunc morem ſecuti ſunt Hiſpani, qui oppreſſa à Mauris Hiſpania perrexerunt illarum Eccleſiarum Epiſcopos creare, dum hæc conſuetudo univerſalem Eccleſiam pervaſerit, ex qua hodiernis potiſſimum temporibus Epiſcopi ſuffraganei à potentioribus, Germaniæ potiſſimum, Epiſcopis ex more recepto in ſublevamen & partem ſollicitudinis aſſumpti ad tales

(a) Sic e. g. Sede vacante Capitulum habet ſeſſionem cum voto in Comitiis, & exercet Superioritatem Territorialem, non tamen ſemper admittitur ad jura dignitati propria e. g. ad electionem Imperatoris, ſi Archi-Epiſcopus ſit Elector, ad convocandos Electores, ſi eligendus ſit Imperator &c.

(b) Art. 5. §. 48.

les Eccleſias viduatas ordinantur. Mos iſte invaluit ex variis cauſis, & tunc potiſſimum, quando vel Epiſcopi plures ambierunt, & obtinuerunt Epiſcopatus, vel curam & ſollicitudinem Epiſcopalem negligentius exercuerunt, vel omnino in alios transtulerunt, præcipue vero illo ævo frequentiores facti ſunt Epiſcopi Titulares, quando Epiſcopi Cruciatas pro recuperandis terris ſanctis ſecuti ſunt. Etſi enim ſuos habuerint Archi-Diaconos, Officiales, & Vicarios Generales, qui jura Jurisdictionis exercerent, nemo tamen erat, qui functiones Epiſcopales Ordini annexas perageret, & hinc Pontifici ſupplicarunt, quatenus Epiſcopos faceret in partibus. Tales Epiſcopi dantur etiam in Italia, qui ex indultu Concilii Lateranenſis V. regunt Eccleſias Cardinalibus commendatas. Tales Epiſcopos eſſe veros Epiſcopos nemo Catholicorum negat. Id ſolum à quibusdam in dubium vocari ſcimus, utrùm ad Concilia Generalia ſint vocandi, & in iis votum deciſivum habeant? nobis non vacat huic quæſtioni immorari. Neque quis exiſtimet, Ordinationes talium Epiſcoporum eſſe inanes, vacuas, & ferme ridiculas: duplex enim Eccleſiæ cauſa eſt ordinandi tales Epiſcopos, nempe ut & jus in illas Eccleſias inique avulſas retineat, & memoriam illarum licet triſtiſſimam conſervet. Nunquid Rex manet Rex, etiamſi regno ſuo inique exuatur (a)?

Reliquum eſt, ut de Chorepiſcopis agamus, qui quondam duplicis fuere generis nempe veri Epiſcopi & Chorepiſcopi ſimpliciter tales. Chorepiſcopi dicebantur tum illi, qui in oppidis, pagis & vicis in Epiſcopos fuere Ordinati, cum illi, qui è ſuis Eccleſiis ejecti ab aliis Epiſcopis in ſublevamen fuerunt aſſumpti. Prohibuit tamen Synodus Sardicenſis & poſtea Laodicena, ne in hujusmodi locis abjectis conſtituerentur Epiſcopi, quatenus Epiſcopalis honor & dignitas ſarta tectaque conſervaretur (b). Hæc tamen lex non ubivis locorum, potiſſimum in Ægypto, Lybia, Cypro, Arabia, Aſia minore non obtinuit, ubi ſæpius majorum Diœceſium Epiſcopos cum conſenſu Metropolitani & Synodi Provincialis pro majori emolumento Eccleſiarum ſuam Eccleſiam in plures diviſiſſe, & ſingulis ſingulos Epiſcopos præfeciſſe legimus. (c) De Chorepiſcopis ſimpli-

(a) De his fuſe agit Thomaſ. 1. p. lib. 1. cap. 27. & 28.

(b) Synod. Sardic. Can. 6. & Laodicena Can. 57.

(c) Plura hujus rei exempla affert Bingham lib. 2. cap. 12. §. 2. de Greg. Nazianzeno, erat enim Nazianzum parvum oppidum, ſic etiam S. Auguſtinus in Diœceſeos ſuæ oppido *Fuſula* dicto novum Epiſcopatum erexiſſe legitur.

pliciter talibus videamus. Erant hi nihil aliud quam Vicarii foranei ab Epiſcopis aſſumpti, ut curam Eccleſiarum ruralium & Parochorum haberent, & quædam Epiſcopi munia obirent. Origo *Chorepiſcoporum* neutiquam ex inſtitutione Chriſti, & Apoſtolorum eſt derivanda, quum illorum nec Scriptura, nec Canones & Conſtitutiones Apoſtolicæ, nec Ignatius, nec Cornelius Papa, licet ambo Ordines Eccleſiaſticos ſui temporis accurate recenſeant, mentionem faciant. Itaque in Eccleſia Orientali circa initium Sæc. IV. orti ſunt, quum illorum mentio occurrat in Concil. Ancyrano, & Neocæſareenſi, in Eccleſia vero Occidentali illorum meminit Concilium Regienſe an. 436. celebratum. Ortum ſuum inde traxerunt, quod, quum Sæc. 4. & 5. jamjam Eccleſia immenſa acciperet incrementa, & jam Epiſcopi omnia per ſe ipſos in oppidis & vicis peragere non potuerint, neceſſe habuerint conſtituere quosdam Epiſcopos *Vicarios*, vel Presbyteros, illisque dare facultatem quædam minoris momenti negotia expediendi. Officia autem illorum erant ſequentia: 1.mo erant præpoſiti Presbyterorum ruralium (a) eo ferme modo, quo hodie Decani rurales, vel Archi-Diaconi. 2.do ex delegatione Epiſcopi poterant conferre Ordines Minores, & Subdiaconatum. 3.tio vocabantur ad Concilia, & in iis ſuam dicebant ſententiam. 4.to poterant celebrare Sacrificium in urbibus præſente etiam Epiſcopo, id quod aliis Presbyteris non licebat. Succeſſu temporis illorum tam numerus quam authoritas in tantum excrevit circa tempora Caroli M., ut ipſis etiam Epiſcopis formidanda exiſteret, ea enim jam ſibi arrogabant munia, quæ ſolis Epiſcopis ſunt propria e. g. authoritate propria facere Ordinationes Clericorum &c. Quare de illorum abrogatione hinc inde actum fuerat, & quidem in Eccleſia Latina abrogari cœperunt Sæc. 8. tum à Leone III. qui Ordinationes ab ipſis factas caſſavit, tum in Concil. Ratisbonenſi, quod inſuper vetuit poſthac creare Chorepiſcopos. Ultimato tandem Chorepiſcopatus abrogatus fuit in Concilio Metenſi an. 888. in quo ultima Chorepiſcoporum fit mentio. Diſputant DD. an fuerint veri Epiſcopi? Quæſtio hæc facillimæ eſt deciſionis, ſi diſtinctionem ſupra factam ante oculos ponamus: fuere *veri Epiſcopi* illi, quos Epiſcopi in amplioribus Diœceſibus cum conſenſu Metropolitani ſolemni ritu conſecrarunt. Item illi qui à ſuis Eccleſiis extorres facti ab Epiſcopis fuerunt aſſumpti. (b) Cæteri erant ſimplices Presbyteri ampliori quadam, poteſtate prædi-

(a) Eo enim tempore Clerici alii dicebantur *Civitatenſes*, & alii *Rurales &c.*

(b) Novel. 40. 42. & 47.

diti negotia quædam expediendi, & functiones Epiſcopales minores obeundi.

Ut Epiſcoporum dignitas, & ampliſſima poteſtas ac Jurisdictio magis, magisque eluceſcat, placuit aliqua per modum Appendicis de quibusdam titulis, prærogativis, officiis, & juribus, quibus antiquitus gaudebant, ſuperaddere. Loquendo de honorum titulis alibi diximus, quod illis omnibus ornati fuerint, quibus hodie ipſos Pontifices exornatos novimus. Hos inter ſpecialem mentionem meretur titulus *Sanctiſſimi*, quo honorabantur ab illis, qui eos vel ſalutabant, vel ipſorum mentionem in ſuis ſcriptis & epiſtolis faciebant. Occurrit hæc honorifica appellatio paſſim in reſcriptis Imperatorum (a) & tam frequens fuit, ut Socrates ſcribens de Epiſcopis neceſſum duxerit ſe ſe excuſare, quod Epiſcopis ea ætate viventibus hunc titulum non tribuerit. Hac honorifica appellatione frequenter S. Hieronymus honoravit Sanctum Auguſtinum in epiſtolis ad ipſum datis cum inſcriptione: *Domino vere ſancto, & Beatiſſimo Papæ Auguſtino*, prout legere eſt in epiſtolis S. Auguſtini. Ad prærogativas Epiſcoporum pertinet etiam mos olim frequentiſſimus Epiſcopo *inclinandi capat* ad recipiendam illius benedictionem, id quod ipſi Imperatores facere non detrectabant. (b) Item alius mos exoſculandi illorum manus (c), imo etiam occinendi Epiſcopis *Oſanna*. Quem honorem Chriſto Jeroſolymam intranti fuiſſe exhibitum legimus. Noluit tamen Eccleſia hunc morem utpote homini plus juſto honoris attribuentem approbare. (d) Huc etiam ſpectat *Cathedra*, ſeu *Thronus Epiſcopalis*, quem Epiſcopi in Eccleſiis habebant, & Scriptores Eccleſiaſtici miris extollebant elogiis. Interim hic thronus non auro, & argento erat diſtinctus, ſed non niſi celſitudine eminebat, quin imo vitio vertebatur Epiſcopis, ſi ſplendidum ſibi thronum exſtrui curarent. (e) Tanti etiam Imperatores æſtimabant Epiſcopos, ut ad ipſorum interceſſionem hominibus flagitioſis pœnam mortis condonarent, quos dein Epiſcopi pœnitentiæ publicæ ſubjicere conſueverunt. (f) In eo etiam ſingula-

X 2

(a) Novel. 40. 42. & 77. (b) Probat id Bingham ex S. Hilario, & Valeſio.

(c) Cujus rei teſtes ſunt Ambroſius, Paulinus, Chryſoſtomus &c.

(d) Videbatur nempe, quod hic honor ſit exceſſivus, & ſoli Chriſto debitus.

(e) Teſtatur Euſeb. lib. 7. Hiſt. Eccleſ. cap. 30. inter alia crimina, quæ Synodus Antiochena Paulo Samoſateno objecit, illud etiam fuiſſe, quod tribunal & ſublimem thronum, non ut Chriſti diſcipulus, ſed ut quidam hujus mundi princeps, ſibi ipſe conſtruxerit.

(f) Ex hoc more paſſim DD. deducunt jus Aſyli. Ex hoc ipſo autem apparet ingens diſcrimen inter jus aſyli antiquum & hodiernum. Olim erat ordinatum ad pœnitentiam ſeriam eamque publicam agendam, hodie unice à morte liberat.

gulariter eminuit authoritas Epiſcoporum, quod olim peregre proficiſcentibus *literas formatas* dederint, ſine quibus nemo in aliena Eccleſia ad Synaxin, ad menſam communem, vel communionem admittebatur. Erant hæ literæ in antiqua Eccleſia frequentiſſimæ, & per eas omnes Eccleſiæ inter ſe communicabant, & propterea paſſim apud antiquos Scriptores vocantur literæ *concentrationis*, *contesſerationis*, & fuere multiplicis, potiſſimum triplicis generis, nempe *commendatoriæ*, quæ illuſtrioris conditionis hominibus dabantur, ut lautiori menſa exciperentur, *communicatoriæ* omnibus & ſingulis fidelibus in communione viventibus, dari conſuetæ, quatenus ad menſam communem admitterentur, *dimiſſoriæ* ſolis Clericis datæ, quando ab una Diœceſi in aliam domicilii figendi cauſa concedebant. Omnes hæ literæ dicebantur formatæ, quod peculiari forma, ſingularibus ſignis & characteribus ſcriptæ erant, ut à ſuppoſititiis diſtingui poſſent. (a) Sed non vacat plura de his ſcribere. Quædam adhuc ad poteſtatem Epiſcoporum pertinentia addere liceat, quorſum pertinet jus diſpenſandi redditus Eccleſiæ, adminiſtrandi bona Eccleſiaſtica, eorumque ſupremam habendi curam, quam, licet in ſuos Archi-Diaconos, Diaconos, vel alios Adminiſtratores transtulerunt, ipſi tamen ſemper primarii Adminiſtratores permanebant, usque dum circa Sæc. 9. Beneficia ad modum tituli perpetui cum jure percipiendi redditus fuerint jure conſuetudinario potius, quam ſcripto introducta. Item habuere Epiſcopi poteſtatem peculiares ſibi liturgias formandi, dummodo analogiæ fidei, & ſanæ doctrinæ adhærerent: inde natæ ſunt tot liturgiæ e.g. Romana, Ambroſiana, Conſtantinopolitana, Africana, de quibus vid. Cardin. Bona. (b) Huc etiam ſpectat jus non tam condendi *ſymbola* & *formulas fidei*, quam *confeſſionem fidei* varie exprimendi. Hujusmodi formulæ occurrunt apud Irenæum, Cyprianum, & Tertullianum, item aliud erat Symbolum Euſebianum, Cyrillianum, Aquilejenſe &c. (c) Potiſſimum hic agendum foret de ampliſſima Jurisdictione, quam Epiſcopi habuere non modo in cauſis Eccleſiaſticis, ſed etiam civilibus, ita ut ex indulgentia ipſorum Imperatorum Laicis liberum fuerit omnes cauſas ſæculares ad Epiſcopalem Audientiam deferendi, ut ab Epiſcopis more Arbitrorum compone-

(a) Cum enim hæretici viderent miram illam communionem inter omnes Eccleſias, etiam ipſi dabant litteras formatas. Ut ergo ſpuriæ à genuinis diſcernerentur, Synodus Nicæna certam illis formam præſcripſit. Vid. Cabaſſut. in ſpeciali Diſſert. de lit. form.

(b) Rerum liturg. Tom. 1.

(c) Vid. Pingham lib. 2. cap. 6. §. 2.

nerentur. (a) Exercuere Epiſcopi hæc judicia per plurima Sæcula ad Sæc. usque 10. vel 11. donec ſua judicia cum ſtrepitu forenſi juxta normam juris civilis exercere cœperunt, quo factum eſt, ut hac ſua jurisdictione exciderent. (b) Ut nihil dicamus de aliis Juribus, quibus per Pontifices, eorumque reſervationes cauſas majores ſibi reſervantium fuerunt exuti.

Hactenus de Epiſcopis Catholicis. Pauca de Epiſcopis Proteſtanticis dicenda ſuperſunt. Adeo odioſa erat Proteſtantibus dignitas Epiſcopalis, ut ne quidem ipſum nomen Epiſcopi in plerisque locis retinere, ſed prorſus expunctum & penitus deletum voluerint, & hinc paſſim illos, quos vices Epiſcopi in ſuis Eccleſiis ſubire aſſerunt, vocare ſolent *Superintendentes, Inſpectores, Præpoſitos.* In quibusdam tamen Regnis uti in Suecia & Dania nomen Epiſcopi retinuerunt. Item Epiſcopi vocantur Lubecenſis, Osnabrugenſis, Merſeburgenſis, Naumburgenſis, Misnenſis. Arbitrarium tamen eſſe aſſerunt nomen Epiſcopi aſſumere, vel repudiare. Hac de cauſa Rex Boruſſiæ Fridericus, cum coronam Boruſſicam ſibi imponi faceret, primarium aulæ ſuæ ſacerdotem conſtituit Epiſcopum, & ab eo unctionem accepit. Quantum ad jura Epiſcopalia diſtinguendum eſt inter Epiſcopos Proteſtanticos, qui ſimul ſunt *Principes* uti e. g. Lubecenſis, & cæteros, quos vocant *Superintendentes*, hi ſimiles ſunt cæteris ſuis paſtoribus, niſi quod aliquam inſpectionem ſuperiorem habeant, illi vero inprimis non exercent *jura Ordinis*, cum nullum Ordinem Epiſcopalem agnoſcant, & ad ſuos Epiſcopatus non per conſecrationem, ſed per electionem vel confirmationem aſſumantur. *Jura Jurisdictionis Eccleſiaſticæ* exercent qua *Principes* non qua *Epiſcopi.* Aliqua jura *Legis Diœceſanæ* exercent qua *Principes* veluti Superioritati Territoriali cohærentia (c) aliqua qua Epiſcopi, quorſum ea pertinent quæ jura Capitulorum, collationes Beneficiorum, & quasdam conſuetudines, vel immunitates concernunt, in quantum nempe ipſorum Jurisdictio per varias Capitulationes vel eſt circumſcripta, vel reſtricta. Quod attinet jura Status & dignitatis, notum eſt, quod Catholici ipſis quæſtionem ſtatus moverint, & pro Epiſcopis illos agnoſcere noluerint, eo quod à Pontifice non confirmentur, nec conſecrentur, nec Concordatis Germaniæ ligari voluerint, donec contoverſia in Pace Weſtphalica fuerit compoſi-

(a) L. 7. & 8. Cod. de Epiſc. Aud.
(b) Vid. prima Diſſert. cap. 3. in fine.
(c) Fermo totum Jus in ſacra, quod à populo in ipſos translatum ajunt ſaltem quoad Jura Collegialia &c.

poſita ea lege, ut pro veris Epiſcopis habeantur, & ſub qualitate Epiſcopali ad Comitia, & ſuffragia Imperii in ſcamno intermedio admittantur (a) hoc intuitu gaudent iisdem titulis, quibus Epiſcopi Catholici, vocanturque *Sereniſſimi*, & *Reverendiſſimi*, inſignia Epiſcopalia gerunt, exceptis iis, quibus in liturgia ſacra adminiſtranda exornantur Epiſcopi Catholici. Gerunt pedum ſeu baculum paſtoralem, quod in ſignum poteſtatis Epiſcopalis Epiſcopo traditur cap. unic. de ſac. Unct. Huic gladius adjungitur, qui ſæcularem poteſtatem denotat qua hodie Epiſcopi tam Catholici, quam Proteſtantici gaudent. Mitram quoque Epiſcopalem in inſignibus gerunt ad inſtar Epiſcoporum Catholicorum, quod ipſorum monetæ oſtendunt, relictis tamen veſtibus ſacerdotalibus, quibus Epiſcopi ad actus Ordinis exercendos utuntur. Denique gaudent juribus & immunitatibus Epiſcoporum Catholicorum, quorum plura recenſet Bœhmerus. (b) Quam exigua & ferme nulla ſint jura Superintendentium Proteſtanticorum, quos in locum Epiſcoporum ſubintraſſe aſſerunt, fuſius docet Zieglerus. (c) Ajunt quidem ſuos Superintendentes eſſe ſimiles antiquiſſimis primorum Sæculorum Epiſcopis ab omni ambitione, & dominandi libidine prorſus alienis: ſed qua ratione id probant? evolvant, quæſo, Proteſtantes ſacram Scripturam, ſcripta, & epiſtolas Patrum Sæculi I. & II. (nolumus ad Sæc. III. provocare, in quo jam ambitionem invaſiſſe Epiſcopos aſſerunt) & ſepoſitis præjudiciis ex mente ſuam dicant ſententiam, & fateri debebunt, quod tunc dignitas & poteſtas Epiſcoporum longe major eminuerit, quam hodie in ipſis conſpicitur, ſi quædam extrinſeca ex amplitudine Diœceſium, & quibusdam honorum titulis & dignitatibus Characteri Epiſcopali ab Eccleſia annexis promanantia jura ſeponamus. Sed manum de tabula: non enim hæc fuſius proſequi ex rerum & temporum circumſtantiis nobis eſt licitum.

§. XIII.

EPiſcopis jure optimo ſubſtituimus Coadjutores ſuos. De Coadjutoribus tam Epiſcoporum, quàm aliorum Clericorum tam temporalibus, quàm perpetuis, illis nempe, qui aſſumuntur cum jure

(a) Art. 5. Pac. Weſtphal. §. 6.
(b) Ad tit. de Offic. Jud. Ord. §. 69.
(c) In ſpecial. Diſſert. de Superintend.

jure ſuccedendi agunt DD. ad Tit. de Cler. ægrot. quamquam capitula ad hunc titulum pertinentia unice agant de coadjutoribus temporalibus Clericorum Epiſcopo inferiorum, in quibus Eccleſia ſtatuit, ut Clericis ægrotis, debilibus, aliisque ſuis beneficiis præeſſe non valentibus detur Coadjutor, tum ne Clerici benè meriti in jam provecta & ultima ætate cogantur ſua dimittere beneficia, quod certè ipſis deberet accidere graviſſimum, tum ne Eccleſia notam ingratitudinis incurreret, ſi Clericos bene meritos violenter à ſuis beneficiis avelli pateretur. Itaque Coadjutor eſt ille, qui authoritate juris, vel judicis eſt conſtitutus, ut vices Prælati vel miniſtri Eccleſiæ legitime impediti ſuppleat. Alius *temporalis*, & alius *perpetuus* cum jure ſuccedendi. De utriusque origine videndum paucis. De coadjutoria temporali dubium non eſt, quod ſemper in Eccleſia obtinuerit, quia non legimus, quod Epiſcopi ægroti vel ſenes à ſuis Eccleſiis amoti fuerint: quomodo enim alias fuiſſet proviſum bono Eccleſiarum? De Coadjutoriis perpetuis majus eſt dubium: ſunt enim aliqui DD., qui Coadjutorias putant juri communi eſſe incognitas, & ſolo ſtylo curiæ introductas. Alii aliter ſentiunt, quorum ſententias non moramur. In primis tribus ſæculis vix aliquod Coadjutoriæ perpetuæ exemplum authenticum occurret, niſi hiſtoriam de Petro ſibi in ſucceſſorem deſignante Clementem adoptare placuerit, quam paſſim ſcriptores rejiciunt, & ipſe rei eventus dudum confutavit, quum non Clemens, ſed Linus & Cletus Petro ſucceſſiſſe paſſim perhibeatur (a). In ſæc. 4. plura occurrunt exempla, & hæc inter exemplum Narciſſi Jeroſolymit., qui referente Euſebio (b) Alexandrum quemdam antea Cappadociæ Epiſcopum Divina revelatione deſignatum, conſentientibus vicinarum Eccleſiarum Epiſcopis ad munus Fpiſcopale evocavit. Accedunt exempla Virorum Sanctorum, qui conſentiente Clero & plebe & Synodis ſibi Coadjutores, & ſucceſſores aſſumpſerunt: ſic Alexander Alexand. ſibi Athanaſium, hic ipſe Petrum, Valerius Auguſtinum, Auguſtinus Eradium Presbyterum elegerunt. Erant deſignationes ſucceſſorum hoc ſæculo tanto frequentiores, magisque neceſſariæ, quanto plures & vehementiores erant diſſenſiones, quibus Eccleſia tunc temporis graſſantibus Novatianis, Donatiſtis, & Arianis concutiebatur ob manifeſtiſſimum periculum, ne poſt mortem Epiſcoporum orirentur diſſenſiones ob- & intruſiones, qua-

(a) Alii poſt Petrum ponunt Cletum, alii aliter.
(b) Lib. 6. Hiſt. Eccleſ. cap. 11.

quales à Novatianis & Donatiſtis Eccleſias pinquiores & honoratiores invadentibus facta eſſe, teſtis eſt Socrates: quare neceſſe fuit Eccleſiæ, ut Æconomiæ cauſa non obſtante lege Synodi Antiochenæ hujusmodi Coadjutorias graviſſime prohibentis (a) tales deſignationes fieri permitteret. Incipiendo à ſæc. 5. varia emanarunt conciliorum decreta, quibus deſignationes ſucceſſorum, & Coadjutorum aſſumptiones cum ſpe ſuccedendi reprobantur. Notabile occurrit exemplum in ſæc. 8. ſupplicaverat Bonifacius magnus ille Archiepiſcopus Moguntinus & Apoſtolus Germaniæ Zachariæ Papæ, ut ſibi liceret ſucceſſorem denominare. Sed obſtitit Pontifex vehementiſſime, & tandem nonniſi ægerrime in id conſenſit, atque reſcripſit: *hoc nulli alteri concedi patimur, quod tibi charitate urgente largiendum cenſuimus.* Famoſa eſt hiſtoria Sancti Udalrici Auguſtani Epiſcopi, qui ſibi ſucceſſorem deſignavit, & ad Epiſcopatum Auguſtanum modis, quibus potuit, promoveri voluit Adalberonem Nepotem ſuum cum conſenſu Imperatoris; ſed quia Adalbero conſenſum concilii requirere omiſerat, Patres Concilii Ingelheimenſis vehementer reſtiterunt, & factum iſtud vix non hæreſeos damnarunt. Inſtabat S. Udalricus, ut ſibi liceret reſignare Epiſcopatum, & ingredi Monaſterium. Commonuere Patres Udalricum, ne ſimili facto & purioribus regulis diſciplinæ contrario exemplo commacularet vitam ſuam ſanctitate illuſtrem, & in id tandem conceſſerunt, quod ipſo vita functo Adalberoni Epiſcopatum concedere velint. Incipiendo à ſæc. 10. varii Canones contra Coadjutorias tunc temporis valde frequentes ſunt editi, quibus pleni ſunt libri Decretales. Ad Concil. Trident. veniamus, in quo ſuper Coadjutoris penitus abrogandis vehementiſſime referente Pallavicino fuit actum. Inſtabant multi pietate, doctrina, eruditione, & puriori zelo illuſtres Epiſcopi, easque omnino ab Eccleſia proſcriptas volebant. Verum reſtitit Cardinalis Lotharingicus, cui conſentiebant 78. Patres, quorum ope prodiit decretum, quo Coadjutoriæ perpetuæ in quibuscunque beneficiis Eccleſiaſticis prohibentur, & ſolummodo in Eccleſiis Cathedralibus, & Monaſteriis permittuntur (b). Cauſæ autem, cur Eccleſia tales deſignationes, & aſſumptiones Coadjutorum tantopere abhorreat, & velut deteſtetur, eſt duplex, nempe quia ſapiunt hæreditariam ſucceſſionem, & inducunt votum captandæ mortis.

De

(a) Can. 23. in quo legitur: *non licere pro ſe alterum ſucceſſorem ſibi conſtituere, quod ſi tale aliquid factum fuerit, irritum eſt.*

b) Seſſ. 25. de Reform. cap. 7.

De modo, quo olim dabantur Coadjutoriæ, & hodie dari debeant, videamus. Olim datio Coadjutoris pertinuit ad Clerum, & populum, ad Synodos Provinciales, & Metropolitas, vel illos, qui inſtar Metropolitarum fuerunt Superiores. Incipiendo à ſæc. 5. ordinarie etiam interveniebat conſenſus Imperatorum & Regum, quod vel ſolum exemplum Udalrici mox memoratum probat. Nondum eo tempore requirebatur conſenſus Pontificis, niſi in uno alterove caſu, quo nempe Epiſcopi ſucceſſorem petebant illi, qui ſimul Vicarii Sedis Apoſtolicæ fuerant, uti commonſtrat exemplum S. Bonifacii, de quo ſupra. Circa finem ſæc. 15. occurrunt exempla, ex quibuscolligitur, jam tunc frequentius in aſſumendis Coadjutoribus conſenſum Pontificis fuiſſe requiſitum, donec Pontifices poteſtatem dandi Coadjutores ſibi reſervaverint, quorum primus fuit Bonifacius VIII. in cap. 1. de Cler. ægrot. in 6.

Ex Concil. igitur Trident. (a) requiritur cauſa neceſſitatis vel utilitatis à Pontifice cognita, & approbata. Inde conſurgit dubium, an in Eccleſiis Germaniæ electivis poſſit Prælatus Eccleſiaſticus cum conſenſu Pontificis independenter à conſenſu Capituli ſibi Coadjutorem aſſumere? Id quod jure optimo negatur, ſecus enim qua ratione conſultum erit juri libero eligendi Capitulis competenti, quo per aſſumptionem Coadjutoris excidunt? nunquid hoc modo facile elidi poſſunt multæ electiones? nunquid Pontifex in concordatis Germaniæ ſolemniſſime ſtipulatus fuit, quod per nullam reſervationem, vel gratiam exſpectativam & diſpoſitionem ſub quacunque verborum forma per ſe, vel authoritate ſua factam, vel faciendam jus electionis liberum velit impedire, turbare, reſtringere: quid autem in effectu foret talis aſſumptio, niſi gratia exſpectativa? Dein non poteſt Epiſcopus ſine conſenſu capituli reſignare, vel permutare: ergo neque Coadjutorem aſſumere: Et ſi juxta cap. 23. de Præb. in 6. in ſuſceptione Canonici requiritur conſenſus Capituli, cur non in aſſumptione Prælati, quod pluris interſit Capituli, quale habeat caput, quam membrum? Nec obeſt, quod Concil. Trid. loc. cit. ſolius cauſæ à Pontifice cognitæ mentionem faciat, quia Synodus nec voluit, nec potuit derogare Concordatis Germaniæ, quæ Capitulis jus eligendi ſalvum relinqui volunt. Quod ſi dicatur ulterius, vi Concordatorum unice eſſe abolitas *reſervationes Apoſtolicas* regulis Cancellariæ inſertas, quum tamen datio Coadjutoris jam pridem antea ad Pontificem pertinuerit

(a) Seſſ. 24. de Reform. cap. 7.

rit per cap. un. de Cleric. æprot. in 6. in promptu eſt reſponſio, quod per concordata Germaniæ omnes reſervationes libero eligendi juri Capitulorum præjudicioſæ fuerint caſſatæ: nunquid autem per dationum Coadjutoris liberæ electiones vel maxime impediuntur, turbantur, & quamfacillime eliduntur? ſi inſtes, quod Capitulo jus eligendi non niſi *ſede vacante* competat, id eo modo negatur, quo modo aſſeritur. Capitulis toties jus eligendi competit, quoties Eccleſiæ de aliquo capite eſt providendum, & ex hac ſola ratione dicitur *ſede vacante* competere, quia hic caſus eſt communis, & ordinarius. Quare non dubito, quod ad electionem Coadjutoris omnes Capitulares citandi ſint, haud ſecus quam ad electionem Epiſcopi, in ipſa vero electione forma electionis in cap. 42. de Elect. præſcripta omnino ſit obſervanda, quum aſſumptio Coadjutoris in effectu ſit electio Epiſcopi, & eidem ſubrogata. Neque Coadjutoriæ perpetuæ tanquam à jure communi exorbitantes debent eſſe melioris conditionis, quam electiones juri communi apprime conformes. Accedit praxis Germaniæ. Debet tamen ex communi praxi, deciſionibus Rotæ, & ſtylo Curiæ requiri *beneplacitum ſedis Pontificiæ*, qui, ſi debite fuerit requiſitus, ſolet dare *breve hortatorium* ad capitulum, eique negotium electionis omni meliori modo commendare.

Quum hic vel maxime agamus de præcedentiis Prælatorum in Hierarchia Eccleſiaſtica, breviter diſpiciendum, qualis Coadjutoribus Epiſcoporum (de Coadjutoribus Canonicorum certum eſt, quod eisdem nulla debeatur præcedentia, etiamſi Coadjutus aliquam habeat præcedentiam, fortaſſis, quia eſt ſenior, quia magis coruſcat ille qui propriis, quam qui alienis reſplendet radiis) præcedentia debeatur? Inprimis non præcedit Epiſcopum Coadjutum, bene vero Capitulares, & in ſua Eccleſia habet easdem præeminentias, prærogativas, & honores, eundem locum & ſtallum in capitulo, & ferme cætera jura omnia, quæ habet Coadjutus. Si concurrat cum extraneis ſive inferioribus, ſive æqualibus e. g. aliis Coadjutoribus, tunc eadem ſeſſionis & præcedentiæ habet prærogativam, quam Principalis. Si cum aliis ſuo Principali dignitate æqualibus, tunc præcedentiam prætendere non poteſt, quam ſuus ex quocunque titulo fortaſſis Senioratus, privilegii, conſuetudinis habiturus foret principalis; & ita à Congregatione SS. Rituum eſſe deciſum 1640. aſſerunt. Nihilominus Barboſa affert deciſionem Rotæ Romanæ contrariam, & provocat ad receſſum Imperii Spiræ de an.

1529.

1529. in quo Coadjutor Epiſcopi Wormatienſis ſtatim poſt Epiſcopum Bambergenſem ante Spirenſem Epiſcopum perſonaliter præſentem ſediſſe legitur. Noſtrum non eſt in hujusmodi quæſtionibus ſententiam dicere: hoc ſolum ſcimus, quod legatis in comitiis ſpecialiter ad electionem Imperatoris convenientibus, eſto veniant cum charactere præſentatitio, non idem, qui ſuis Principalibus, concedatur conſeſſus honoris & præcedentiæ.

§. XIV.

CORpus quoddam in utroque ſtatu tam Eccleſiaſtico quam Politico ſumme ſpectabile conſtituunt *Capitula Cathedralia*, de quorum origine juribus & præcedentiis paucis agendum erit. Et primo quidem de ipſo nomine *Capituli* videamus. Nomen *Capituli* ex Inſtitutis Monaſticis in Cathedrales Eccleſias fuiſſe translatum, illud dubitare non ſinit, quod ante Inſtitutum Crodogangi in hoc ſenſu antiquis *Presbyteriis*, à quibus Capitula ſuam primævam deducere originem mox dicemus, fuiſſe attributum non legamus, & ipſe Crodogangus quamplurima ex Inſtitutis Monaſticis, præſertim ex regula Benedictina, quæ tunc temporis cæteras regulas abſorpſit omnes, & ſola viguit, & floruit in Gallia, deprompſerit, & in ſpecie inter alia conſtituerit, ut Canonici cum ſuo Epiſcopo pro negotiis majoribus expediendis convenirent. Jam vero conſtat, quod Monachi Benedictini ex præſcripto regulæ ſingulis diebus in quodam Monaſterii conclavi convenerint, ubi quoddam capitulum ſacræ regulæ ipſis fuit prælectum, prout adhuc hodie in plerisque Monaſteriis fieri conſuevit. Inde factum eſt, ut ipſe locus ab his lectionibus diceretur *Capitulum*, illi vero, qui ſuffragium habuere in Capitulo, vocarentur *Capitulares.*

Originem *Capitulorum* ab antiquis *Presbyteriis* ſuam trahere originem indubitati juris eſt. *Presbyterium* autem ſub ipſis Apoſtolis invaluit, & nihil aliud erat, quam ipſum Collegium Clericorum à Chriſto inſtitutum ex Epiſcopo, Presbyteris, & Diaconis conflatum, ita ut hujus collegii caput fuerit Epiſcopus, cæteri autem Epiſcopum in miniſterio, & regimine Eccleſiæ, in Adminiſtratione & diſpenſatione bonorum Eccleſiaſticorum conſilio & auxilio ad inſtar miniſtrorum ſimul & Senatus Eccleſiaſtici adjuvarent (a). Sæculo 4. in civitatibus illuſtrioribus plures exſtructæ ſunt Eccleſiæ,

(a) Hos enim ſolos tres gradus commemorant Scriptores & Patres primorum ſæculorum, uti ſupra diximus.

ſiæ, quibus Presbyteri & Diaconi præficiebantur, ita tamen, ut manerent membra Senatus Eccleſiaſtici, atque ut Epiſcopi oſtenderent, hos Presbyteros titulis aliarum Eccleſiarum propoſitos à corpore Senatus Eccleſiaſtici non eſſe avulſos, in ſignum communionis particularis per Acolythos ad ipſos miſerunt *Eulogias* (a), quo honore Clericos rurales non dignabantur Epiſcopi (b). Hujus Senatus Eccleſiaſtici ſingularia fuiſſe jura & prærogativas tum ex mox dicta miſſione Eulogiarum, tum ex eo patet, quod Clerici Civitatenſes, ex quibus Presbyterium erat conflatum, fuerint primarii Conſiliarii, & Epiſcopus ſine illorum conſenſu ex præſcripto Concilii Carhg. IV. (c) nec Clericos ordinare, nec cauſas ad *Epiſcopalem audientiam* delatas decidere potuerit, cujus evidentiſſimum argumentum hodierna Eccleſiæ Romanæ facies in Collegio Cardinalium exhibet. Sæculo VIII. hoc *Presbyterium* novam prorſus induit formam, dum Crodogangus celeberrimus ille Metenſis Epiſcopus inter Clericos *Civitatenſes* vitam communem introduxit, eisque certas regulas tam ex Canonibus Conciliorum, quam ex Inſtitutis Monaſticis depromptas ab Imperatoribus, & Synodis particularibus Aquisgranenſi & Francofurtenſi confirmatas præſcripſit. Quo tempore tantus erat fervor & numerus Clericorum ad vitam hanc communem aſpirantium, ut, quum Collegia *Civitatenſia* in ſedibus Epiſcopalibus erecta iis recipiendis non ſufficerent, plures Eccleſiæ Parochiales in Collegia Canonicorum transformari debuerint. Atque inde fluit origo Eccleſiarum *Collegiatarum*, quales hodie tam in urbibus Epiſcopalibus, quam aliis locis dari aliunde ſcimus. Summa regularum complectebatur 34. capita, quæ in compendio refert Bœhmerus (d). Hoc tempore Clericis in communi degentibus nomen Canonici fuit ex ratione ſingulari appropriatum. Olim enim omnes Clerici matriculæ alicujus Eccleſiæ ſeu Civitatenſi, ſeu rurali inſerti (*Canon* enim idem ſignificat ac *catalogus* & *matricula*) vocabantur *Canonici*, & per hoc diſcriminabantur à Clericis, qui oratoriis Magnatum inſervierant, ſuamque ſuſtentationem non à redditibus

(a) Eulogiæ nihil erant aliud quam certæ particulæ ex panibus à fidelibus oblatis exciſæ, & ab Epiſcopo benedictæ, quæ ad abſentes, qui non poterant communicare, mittebantur. Similes Eulogias ipſi Epiſcopi ad ſe invicem in ſignum communionis mittere conſueverunt, & ideo ſingulari honori ſibi tribuere debebant Presbyteri Civitatenſes, quod Epiſcopi Eulogias ad ipſos mittere dignarentur. vid. Cabaſſutius in Diſſert. de Eulogiis.

(b) Teſtatur id expreſſe Innocent. I. in epiſt. lib. 1. cap. 5. cujus verba clariſſima vid. in Bœhmero ad Tit. Ne ſede &c. §. 3.

(c) cap. 22. & 23. uterque textus habetur in Decreto Gratiani cap. 6. C. 15. q. 7. vid. etiam cap. 7. C. 16. q. 1.

(d) Ad Tit. de vit. & hon. Cler.

bus Eccleſiæ, ſed ab ipſis Magnatibus receperant. Itaque Clerici communem vitam juxta præſcriptum Crodogangi degentes *Canonici* vocari cœperunt à *Canone*, quatenus ſecundum certas regulas, ſeu Canones ipſis vivendum erat. De hoc inſtituto normaque vivendi ſcribere nimis longum foret.

At vero ſæc. 10. Canonici hujus vitæ regularis pertæſi facti, & liberioris vitæ ſtudio agitati à vita communi recedere, corpus ſeparatum ab Epiſcopo conſtituere, & bona Epiſcopi à bonis Capituli ſeparare cœperunt, ita ut jam alia forent bona Capituli, & alia Epiſcopi. Sed neque hoc illis ſufficiebat, nam labente ſæc. ſequenti mox redditus Capituli ſecundum certas portiones inter ſe ipſos diſtribuere placuit. Ab illo tempore authoritas Capitulorum & Capitularium mirum in modum crevit, usque dum in illam dignitatis præeminentiam aſcenderint, qua hodie in utroque ſtatu Eccleſiaſtico, & Politico eminent. Quadruplicis autem generis jura ſunt, quæ collegium iſtud adeo ſpectabile faciunt. Imo *jus eligendi* Epiſcopos, *jus ſuccedendi* in jura Epiſcopalia tempore ſedis vacantis, *jus adjuvandi* Epiſcopum in regimine ſuæ Eccleſiæ, *jus conferendi* Canonicatus vacantes, niſi in quantum huic juri vel per reſervationes, vel per pacta, & conſuetudines fuit derogatum. Quantum ad *jus eligendi*, illud circa ſæc. 13. ad Capitula jure potiùs conſuetudinario, quam ſcripto fuit devolutum, dum nempe Capitula poſt abrogatas inveſtituras per annulum & baculum, & initum pactum Callixti II. cum Henrico V. Imperatore excluſo populo & Clero, illud ad ſe privative attraxerunt, & Pontifices Capitulis illud confirmarunt (a). Quantum ad *jus ſuccedendi* in jura Epiſcopalia ſede vacante tribus primis Eccleſiæ ſæculis curam Eccleſiæ Presbyterium habuiſſe videtur: non enim tunc temporis erat, qui jus interimiſticum regendi Eccleſias ſibi vindicare poterat, eo quod nihil de jure quodam Metropolitis, vel aliis quæſito legamus (b). Sæculo 4., quo Eccleſia in tot ſchismata & hæreſes præcipue Novatianorum, Donatiſtarum, & Arianorum ſcindebatur, quum ſingulorum ſtudia huc directa eſſent, ut ſuæ ſectæ addictus Eccleſiæ providendæ præficeretur, & non raro Novatiani & Donatiſtæ pinguiores Eccleſias aut invaderent, aut occultis artibus ad ſe traherent,

(a) Ad Tit. de vit. & honeſt. Cleric.

(b) Vid. cap. 42. de elect.

(c) Jus Metropolitarum moribus ſucceſſive fuiſſe introductum, ſupra diximus. Num vero jam eo tempore jjus Metropoliticum ſe ad regimen Eccleſiarum vacantium extenderit, jure optimo dubitatur.

rent, invaluit in Africa uſus mittendi Epiſcopum, quem interceſſorem, & interventorem appellabant, ut interim ſedi vacanti præeſſet. Hic mos tranſiit ad alias Eccleſias Occidentales, & ab ipſis Pontificibus Gregorio M., aliisque mirum in modum fuit promotus. Communius autem Epiſcopis vicinioribus, aut è ſede ſua deturbatis Eccleſiæ vacantes commendabantur (a). Poſtquam vero imperatores & reges jamjam negotiis electionum ſeſe immiſcuerunt, atque Epiſcopatus per annulum & baculum conferre incœperunt, tales commendatores, & viſitatores communius non niſi cum conſenſu regis, vel ab ipſis regibus ſunt conſtituti. At ubi Canonici à menſa communi Epiſcopi ſeſe ſepararunt, majoraque in dies jura ſibi vindicarunt, atque hoc ipſo tempore Henricus V. pro ſe & ſuis ſucceſſoribus *inveſtituris per annulum & baculum* ſolemniter renunciare coactus fuit, ipſi ſucceſſive excluſo Clero & populo una cum jure privative eligendi Epiſcopum jurium Epiſcopalium adminiſtrationem intermiſticam ad ſe attraxerunt. Jam de his juribus, de quibus Juris Eccleſiaſtici interpretes ad Tit. Ne ſede vacant. fuſius agunt, pauca eaque non obvia afferre liceat. Inprimis ipſa rubrica cit. Capituli, quæ ſenſum completum facit, difficultatem faceſſit ſtatuendi regulam univerſalem, ex qua dignoſcendum foret, quænam jura Epiſcopalia Capitulis ſede vacante competant. Multi regulam negativam, plures affirmativam ſtatuunt, priores dicunt, quod Capitulum nihil poſſit, niſi quod in jure expreſſe conceſſum eſſe legitur. Poſteriores ajunt: Capitulum poteſt omnia, quæ jure non leguntur eſſe prohibita: atque horum ſententia hucusque prævaluit, & primas tulit: quamquam enim rubrica ipſius tituli *ne ſede vacante aliquid innovetur*, primæ opinioni videatur expreſſe patrocinari, attamen ſi bene inſpiciatur, potius poſteriori ſententiæ apertiſſime ſuffragatur: quid enim aliud dicit *innovatio* ſecundum proprietatem & ſignificationem verbi propriam, niſi mutationem ſtatus & alienationem bonorum Eccleſiaſticorum: ſed utique ne quidem Epiſcopus mutare ſtatum, aut bona Eccleſiaſtica alienare poteſt? itaque exinde potius inferendum foret, quod Capitulum ea omnia poſſit, quæ alienationem, innovationem aut mutationem ſtatus non ſapiunt. Ad hæc, cur Canones ſpecialiter exprimunt tot jura, quæ non tranſeunt ad Capitulum, niſi quia ſupponunt, quod de ſe omnia jura tranſeant? fruſtra enim fit exceptio à regula, ubi non eſt regula.

Sed miſſa hæc faciamus: potius, ut Capitulis ſuam præcedentiam

(a) Vid. Böhmer in jure Paroch. ſect. 8. cap. 2.

tiam, & seſſionis prærogativam vindicemus, videamus, quænam jura ſede vacante ad Capitulum tranſeant. Vacat autem ſedes vel morte naturali vel civili Prælati e. g. renunciatione, depoſitione, translatione, & ſpecialiſſime ex Pace Weſtphalica reſervato Eccleſiaſtico, ſeu mutatione Religionis (a). Quadruplicis generis jura Epiſcopalia ſupra diſtinximus, jura Ordinis, Jurisdictionis, legis Diœceſanæ, & ſtatus ſeu dignitatis.

Pro his jam ſequentes ſunt regulæ: Regula prima. Ad Capitulum non transeunt jura Ordinis Epiſcopalis, hoc ipſo quod Charactteri Epiſcopali ſint annexa. Regula ſecunda. Ad Capitulum transeunt jura omnia tam Legis Diœceſanæ, quam Jurisdictionis voluntariæ ac contentioſæ, niſi aliqua ſint ſpecialiter excepta, & hinc Capitulum ſede vacante poteſt confirmare electos, inſtituere præſentatos, diſpenſare in votis, decidere cauſas, infligere cenſuras, abſolvere à cenſuris, unire beneficia, exigere Cathedraticum, & ſubſidium charitativum. (b) Excipitur autem 1.mo omnis alienatio, prout ipſa Rubrica cit. Tit. probat, quin & redditus Epiſcopales non poteſt Capitulum in proprios uſus convertere, ſed debet Epiſcopo reſervare per claros textus in cap. 40. de elect. in 6. Excipitur 2.do collatio Beneficiorum. (c) Cur autem hæc Capitulo ſit interdicta, Authores dant varias rationes, alii dicunt, quod collatio Beneficii ſit ſpecies donationis & actus gratiæ, adeoque Epiſcopo reſervanda. Alii aſſerunt, quia præfata collatio inter fructus Epiſcopales eſt computanda, quos Canones ſucceſſoribus reſervari imperant: ſed nec una nec altera ratio placet: non prima: quum enim Epiſcopus Beneficia juxta merita perſonarum & regulas Juſtitiæ diſtributivæ diſpenſare debeat, profecto talis collatio mera & vera donatio dici nequit. Multo minus placet altera ratio, quum ſanctiores Epiſcopi optime gnari, quanti interſit conſcientiæ collatoris, & Eccleſiarum, quibus providendum, ut dignior & Eccleſiæ utilior, aſſumatur, jus conferendi Beneficia potius inter onera, quam commoda referendum eſſe duxerint. Et certe quomodo hæc collatio fructus dici poteſt, quum in ea non tam bonum proprium, quam Eccleſiarum attendi debeat? Et quis neſcit, quod hæc

(a) Nempe ſi vel Epiſcopus Catholicus ad caſtra Proteſtantium, vel Proteſtanticus ad noſtra tranſeat, tunc enim talis omnia jura beneficialia amittit. Iſtud Reſervatum in Pace Religioſa ſolis Catholicis fuit conceſſum, in Pace autem Weſtphalica ad Proteſtantes quoque extenſum.

(b) Vid. Authores paſſim ad Tit. Ne ſede vac.

(c) Cap. 2. Ne ſede vac, &c.

hæc laxa nimis, & carnalis, ut eam vocat Van Eſpen, SS. Canonum interpretatio Gallis occaſionem præbuerit *Jus Regaliæ* (a) etiam ad collationes Beneficiorum extendendi? aſſerebant enim, quod cum *jus Regaliæ* omnes fructus Epiſcopales complectatur, eo ipſo etiam ad collationem Beneficiorum pertineat. Quare nos aliam rationem non damus, niſi illam, quam ipſum Capitulum ſuggerit: *quia id in jure ſcriptum non legitur*: nempe eſt collatio Beneficii quaſi appendix Ordini Epiſcopali ex ipſo jure divino annexa: & quum Epiſcopi hoc jus per 12. Sæcula ſemper exercuerint, &, uti dictum, Epiſcopi quam maxime interſit, quales aſſumantur Rectores Eccleſiarum, neque Canonici merita præficiendorum ſufficienter noſcere poſſint, voluere jura Epiſcopis collationem Beneficiorum reſervare. Et quid ſi Beneficiis per immaturam collationem male proviſum fuerit, nunquid omne onus in Epiſcopum redundabit? Excipitur 3.tio inſtitutio vel proſecutio litis ſuper juribus Epiſcopalibus cap. 3. Ne ſede &c. Regula 3.tia. Capitulum non poteſt exercere *jura ſtatus & dignitatis*, ea nempe, quæ ex Jure Eccleſiaſtico dignitati ex ſingulari privilegio, vel delegatione ſunt ānexa, quorſum pertinent jura, quæ Epiſcopus exercet tanquam *Sedis Apoſtolicæ* Delegatus vel Legatus &c. Aliter dicendum de juribus, quæ Epiſcopo qua *Principi* conveniunt, illiusque *Dignitati politicæ* cohærent: nam diſtinguendum inter jura, quæ Statibus imperii ſunt *communia*, qualia e.g. ſunt habere votum & ſeſſionem in Comitiis, exercere Superioritatem Territorialem, & inter jura *ſingularia*, ipſi dignitati & præeminentiæ ſedis propria, qualia e. g. ſunt dirigere in Comitiis imperii, eligere Imperatorem, convocare Electores &c. priora Capitulum exercet, non autem poſteriora, niſi in quantum illa vel ex ſpeciali lege, vel ex uſu & obſervantia habet (b). utrumque ex notoria praxi conſtat. Nec obeſt, ſi dicatur, quod utique Capitula ab Imperatore *Inveſtituram* non recipiant, & hoc ipſo Superioritatem Territorialem exercere nequeant. Quia Superioritas Territorialis non dependet ab Inveſtitura, ſecus Civitates imperii illam exercere non poſſent. Et utique Capitulum quodammodo repræſentat ipſum Epiſcopum ad eum fere modum, quo hæres defunctum? Sed ex hoc ipſo novum oboriri poteſt dubium, an Capitula ſede vacante jura Epiſcopalia nomine *proprio*, vel *administratorio* exerceant, quia eam ex lege ſtabili & fixa exercent, adeoque

(a) De hoc jure alibi fuſius dicemus, quando de jure Eccleſ. particulari Germaniæ ſcribemus.
(b) Utrumque præjudiciis confirmat Böhmer ad Tit. Ne ſede &c.

que ſunt ſimiles illis, , quibus jurisdictio à lege eſt delegata. Hæc de Capit. Sede vacante.

Quantum ad *jus adjuvandi* Epiſcopum in regimine ſuæ Eccleſiæ ex dictis conſtat, quod Capitulum ſit ſupremus Senatus Epiſcopi, hic vero in rebus majoris momenti bonum Eccleſiæ concernentibus nihil agere poſſit ſine conſenſu Capituli, atque adeo unum corpus cum Capitulo conſtituat, ita ut ipſe ſit caput, Capitulares vero ſint membra hujus corporis, prout loquitur Pontifex, & conſtat ex tit. de his, quæ fiunt &c. & tit. de his- quæ à majori &c. à cujus fuſiori exſplicatione brevitatis cauſa nobis eſt abſtinendum. Porro autem aliud nobis hic occurrit dubium, an nempe Epiſcopi, in quantum ſunt *principes* adhibere teneantur conſenſum Capituli in iis, quæ Jurisdictionem Territorialem, & *Jura Status Politici* concernunt, ſpectántque? ratio dubitandi eſt, quod Capitulum cum Epiſcopo tantum qua Epiſcopo ſit conjunctum, quin aliud ex Jure Canoico erui valeat. Et quis neſcit, quod Principes Eccleſiaſtici alio Senatu ſint inſtructi, cujus conſilio in regimine Politico utuntur? Quo tamen non obſtante patrocinandum erit Capitulis, tum quod Capitulum ſemper fuerit Senatus Epiſcopi, tum quod jura Status ſint nexu indiſſolubili connexa cum juribus Epiſcopalibus, ipſi Eccleſiæ incorporata, neque Principi qua Principi fieri poſſit præjudicium, quin ſimul fiat ipſi Eccleſiæ. Et hinc dicuntur Principes non ſimpliciter, ſed cum addito: Principes *Eccleſiaſtici*, ut appareat, quod Principatus cum Epiſcopatu cohæreat, & inter jura Epiſcopi & Principis quædam ſit jurium communicatio. Interim Capitula quoad hoc jus in non paucis Eccleſiis per Capitulationes tempore Sedis vacantis factas ſibi proſpexerunt. Quantum ad *collationem Canonicatuum* in Eccleſiis Cathedralibus jus conferendi Canonicatus haud ſecus quam cætera jura, de quibus antea diximus circa Sæc. 12. & 13. ad Capitula ſive ex conceſſione Epiſcoporum ſive ex conſuetudine ſive præſcriptione pervenit. Variat tamen mos in diverſis Eccleſiis: nam in quibusdam Epiſcopus una cum Capitulo confert Canonicatus, ita ut votum Epiſcopi æquivaleat ſuffragiis Capitularium, in quibusdam placuit alternativa, in plerisque Eccleſiis Germaniæ Epiſcopi omnino ab hoc jure fuere excluſi, illudque privative ad Capitulum titulo quocunque reſignationis, conſuetudinis, vel præſcriptionis fuit devolutum. (a) Jus iſtud Capitula exercuerunt, usque dum Pontifices ſibi per *Regulas Canellariæ* octo, & poſtea ſex menſes vel potius jus conferendi Canonicatus

(a) Vid. Van Eſpen Part. 2. Tit. 21. cap. 1.

in his menſibus ſibi reſervaverint. Hæc *alternativa* etiam in ipſis Concordatis fuit confirmata, ita tamen, ut arbitrio Capitulorum relictum fuerit, an hac *alternativa* gaudere velint, caſu quo fortaſſis pinquiora privilegia habuerunt. (a) Porro autem hi *Menſes Papales* in Pace Weſtphalica reſpectu Proteſtantium penitus ſunt ſublati. (b) Inde autem ingens conſurgit quæſtio, ad quem *Menſes Papales* in Capitulis tam pure Proteſtanticis, quam mixtæ Religionis pervenerint num ad Epiſcopos, num ad Principes territoriales, vel ad Capitula (c)? Doctores Proteſtantici illud paſſim, licet non omnes, vindicant Principibus. Nos hactenus ſemper pro Capitulis militavimus, & in facto etiam pro iis reſpondimus. Hanc quæſtionem alibi ex profeſſo & ſat fuſe quidem deducemus.

Ex his jam apparet, quod Capitulum duplex conſtituat corpus unum cum ſuo Epiſcopo, in quantum nempe Epiſcopus eſt Caput Eccleſiæ, & Capitulares membra illius in negotiis Eccleſiam Epiſcopalem concernentibus, alterum inter ipſos Canonicos, in quantum habet ſingularia bona & jura prorſus inſignia ſibi ſoli propria: unde recte Capitulum deſcripſeris dicendo, quod ſit *Collegium Canonicorum Eccleſiæ Cathedralis ſub Epiſcopo quidem, ſed ſimul ſeparatum corpus ſub directione Præpoſiti vel Decani conſtituens, & peculiaribus juribus gaudens, Epiſcopo in adjutorium datum, & de regimine Eccleſiaſtico participans, conſtans ex iis, qui vel ratione ſuæ Præbendæ, vel alias de conſuetudine votum & ſeſſionem habent in Capitulo.* Hodiernis ergo moribus Capitulo tanquam Director præeſt Decanus, qui ad Capitulum convocat, in eo dirigit, proponenda cum voto informativo proponit, vota colligit, concluſa Capitularia executioni mandat, expedienda expedit, atque ſupremam bonorum, ac jurium Capitularium curam exercet. Quare autem hæc directio ſuprema potius ad Decanum quam Præpoſitum fuerit devoluta, infra dicemus. Nunc primum agendum foret de juribus, quæ Capitulis Eccleſiarum Cathedralium tum in ordine ad Epiſcopum, quo cum Capitulares unum corpus conſtituunt, tum in ordine ad ſe ipſum competunt. Sed hæc miſſa facimus. Nobis ſufficit præcipua illorum jura vel obiter recenſuiſſe, ex quibus quisque facile dimetietur, quam ſublimis honoris conſeſſus, & dignitatis prærogativa corpori tam ſpectabili tot, tantisque

(a) Sic enim legitur in Concordatis: *ut hæc ordinatio collationis beneficiorum non reſervatorum per alteros menſes poſſit per nationem publicari, & omnes, qui ipſa gaudere voluerint, tempus congruum habeant eandem acceptandi.*

(b) Art. 5. § 19.

(c) Tale Capitulum mixtæ Religionis eſt e. g. Osnabruggi.

que juribus & privilegiis conſpicuo in Hierarhia Eccleſiaſtica debeatur. Eccur enim tam ſublimem ac ferme ſupremam dignitatis & honoris prærogativam poſt dignitatem Pontificiam in Collegio Cardinalium ſuſpicimus, niſi, quia ſunt ſupremus Senatus Romani Pontificis, eidem in regimine Eccleſiæ aſſiſtunt, & Sede vacante Eccleſiæ de novo Pontifice provident? cur non hoc idem de Collegio Canonicorum, ſeu de Capitulis Eccleſiarum Cathedralium dicamus, atque primum eisdem poſt Epiſcopum locum vindicemus?

§. XV.

AD Prælatos Epiſcopis inferiores tranſitum faciamus, qui paſſim pro more antiquiorum & noviorum Sæculorum *Abbates*, *Antiſtites*, *Præſules*, & *Præpoſiti* Archimandritæ appellari conſueverunt. Nobis potiſſimum ſermo erit de *Prælatis regularibus*, quibus mox dicta nomina appropriari ſolent. (a) Nolumus tamen hisce exſplicandis longius inſudare ſolum nomen *Abbatis* utpote & frequentius, & antiquius, & magis uſuale non nihil dilucidaturi. Itaque nomen *Abbatis* in lingua Hebraica, Siriaca, & Græca idem ſonat, ac *Pater*, adeoque ab officio Superiores Monaſteriorum, Congregationum, ac Ordinum vocantur Abbates, eoquod ipſorum regimen potius debeat eſſe *paternum*, quam *berile*, lenitate & manſuetudine potius temperatum, quam exceſſivo rigore aſperum. In hoc ſenſu ſæpius nomen Abbatis occurrit in Regula Benedictina. Noviores Ordinum fundatores, illorum maxime, quos Mendicantes vocamus, nomen Abbatis noluerunt aſſumere, eo quod ſuo ævo jam jam dignitatem valde conſpicuam in Eccleſia ſignificaret, quæ cum ſtatu humilitatis & paupertatis, quam profitebantur, neutiquam convenire videbatur. A primæva inſtituti Monaſterii origine probabilius Monachi ſibi ipſis ſuum conſtituebant Abbatem. Poſtquam vero Monachi Epiſcopis ad inſtar Clericorum fuere ſubjecti, & quidem in Oriente Sæc. 5. in Concil. Chalcedonenſi, in Occidente vero Sæc. primum 6. (b) Epiſcopi Monaſteriis dabant ſuos Abbates.

(a) Dicuntur Antiſtites, quaſi qui ante cæteros ſtant ratione præcedentiæ. Præſules vocantur quia quaſi in ſacris præſiliunt, uti ait Haftenus à verbo *Præſule*, quo nomine olim compellabatur, qui primus erat inter Salios, id eſt Martis Sacerdotes à *ſaliendo* dictus. Hodie nomen Præſulis eſt nomen dignitatis. *Prælati* dicuntur, quia præſunt aliis.

(b) Ante Concil. Chalced. Monachi inter Clericos non numerabantur, & habebantur inſtar Laicorum, neque nexu ſingulari ſubjiciebantur Epiſcopis. Vid. Thomaſ. & Boehmer ad Tit. de Statu Monach.

tes. At lapſu temporum legibus Imperatorum, Conciliorum Canónibus, & ipſa S. Benedicti Regula Monachis permiſſa fuit ſuorum Abbatum electio donec id ipſum in jus firmum ac ſtabile ipſi rerum naturæ valde conforme tranſierit. Erant tamen adhuc tempore S. Benedicti Abbtes in Occidente, quos eligebant Epiſcopi. Imo is erat totius Orientis uſus, quem tandem Juſtinianus Imperator ſuſtulit, & jus eligendi ſuffragiis Monachorum reddidit, unaque obligavit, ut in ipſa verba Evangelii jurarent de dandis ſuffragiis digniori. (a) Porro autem licet Regula Benedictina ferme ſola viguerit, aut certe principatum tenuerit maxime in Gallia, & in hac expreſſe cautum legatur, ut Monachi ſibi Abbatem eligerent, attamen diverſus fuit mos in diverſis locis. Loquendo de Regno Galliæ, infra dicemus, quod in eo fuerint duplicis generis Abbatiæ, nempe Epiſcopales, & Regales, in prioribus eligebant Monachi, in poſterioribus nominabant Reges, donec Carolus M. pluribus hujusmodi Abbatiis privilegium eligendi ſibi Abbatem conceſſerit. Verum labente tempore hoc privilegio poſthabito iterum Reges nominaverant. In Germania quoque diverſus viguit mos: majora Monaſteria facilius & ſæpius ſibi vindicarunt jus eligendi, non autem minora. Etiam hodiernis moribus varia in variis Provinciis & Regnis viget conſuetudo. In Germania ut plurimum obtinet poteſtas eligendi. In Gallia Rex nominat Abbates Commendatarios, ſi Monaſteria, quæ Ordinum capita dicuntur, excipiamus. In Hiſpania quoque ex Concordatis ipſis Hiſpanicis electiones Abbatum ſunt penes Regem.

De dignitate Abbatum videamus. Olim non adeo erat conſpicua Abbatum dignitas, & quidem â primæva ſui origine ne quidem aliquo ordine Clericali erant inſigniti. Præcipue autem apud Benedictinos non fuiſſe Abbates ordine ſaltem ſacerdotali initiatos probat ipſa S. Regula, in qua Sanctiſſimus Legislator Sacerdotibus ad converſionem venientibus primum poſt Abbatem locum aſſignat (b) Jam in Sæc. 5. plerique Abbates ſaltem in Oriente Presbyteratu ornabantur. In Eccleſia vero Occidentali Sæc. 7. ſeneſcente multos Abbates fuiſſe in Sacerdotes aſſumptos legimus. Attamen multis exemplis probat Mabillonius, Sæc. 8. plures Diaconos in Abbates fuiſſe electos (c), ubi ſimul abuſum eo ævo invaleſcentem

(a) Novel. 122. cap. 34. & 35.

(b) S. Reg. cap. 60. *concedatur ei poſt Abbatem ſtare, & benedicere, aut Miſſas canere, ſi tale juſſerit Abbas. Sin alias nullatenus aliqua præſumat.*

(c) Præfat. 1. in Sæc. 3. §. 7.

tem perſtringit, quo factum eſt, ut Abbates ſæculares in Monaſteriis conſtituerentur. Habuere nempe à primis ſuis exordiis Monachi Benedictini liberam eligendi Abbatem facultatem. Eam primo ad ſe traducere moliti ſunt Epiſcopi, poſtea Clerici, qui per ſpeciem Eccleſiaſtici muneris captabant regimen Abbatiale. (a) Poſtea Carolus Martellus Sedes & Abbatiales & Epiſcopales Laicis conceſſit, & eo deventum fuit, ut etiam Abbatiæ id eſt virorum Monaſteria fœminis in beneficium traderentur. (b) Sæc. 9. an. 827. juſſit Concilium Romanum univerſos Abbates Sacerdotio initiari. At non viguit iſte Canon. Juſſit poſtmodum Concil. Pictav. an. 1078. id ipſum, & Abbates Presbyteratum abhorrentes ſua exui Abbatiali dignitate præcepit. Succeſſu temporis, maxime ab illo tempore, quo Abbates inſignia Epiſcopalia obtinuerunt, omnes eſſe Sacerdotes debent. De hoc privilegio Inſignium Epiſcopalium mox poſtea agemus.

Verum licet Abbates non fuerint Presbyteri, attamen illorum authoritas non erat vilis in Eccleſia. Non raro vocabantur ad Concilia, & ſedendi, ferendique ſuffragii habebant privilegium perinde, ac Presbyteri, & quidem aliquando inter Diaconos & Presbyteros, aliquando ſupra Presbyteros memorantur. Quæ & quanta ipſorum fuerit poteſtas in ſua Monaſteria, & Monachos, nolumus multum diſcutere, potius inquirendum erit, qua ratione ad illud dignitatis & authoritatis culmen aſcenderint Abbates, in quo hodie illos collocatos ſuſpicimus, & tunc quædam etiam ad illorum poteſtatem pertinentia recenſebimus.

Plures aſſignari poſſunt cauſæ, quibus factum eſt, ut Abbates regulares ad tam ſublimem dignitatis dignitatis gradum eluctarentnr, nempe largiſſimæ fundationes, uſus Pontificalium ipſis conceſſus, variæ exemptiones tum à Pontificibus cum ab Imperatoribus ipſis indultæ. Jam in Sæc. 8. 9. & 10. ampliſſima fuiſſe fundata Monaſteria ingenti Monachorum numero alendo prorſus ſufficientiſſima (c) diplomata antiquiſſimorum & celeberrimorum Monaſteriorum nos docent, quibus recenſendis nolumus immorari.

(a) Extant plures epiſtolæ adverſus tales Clericos à Gregorio M. ſcriptæ, & à Joanne Diacono in lib. 2. vitæ Gregor. cap. 54. citatæ.

(b) Sic referente cit. Mabillonio loc. cit Remigius Pipinni Regis frater Anglæ cuidam Theodardi uxori commiſit Monaſterium Beſueuſe, & Lotharius Waldratæ Pelbici Lutrenſe. Hac de re graviter conqueſtus eſt S. Bonifacius in epiſt. 32. ad Zachariam Pont. ſcripta vid. cit. author.

(c) Ita de Monaſterio Augiæ Divitis legimus, quod 700. imo & 8vo Monachos aluerit.

Qua ratione multum authoritatis acceſſiſſe Abbatibus nemo facile dubitaverit, quum ex abundantioribus Monaſterii redditibus & Magnates, & Reges, & Imperatores ſibi devincire, illorumque favores aucupari non fuerit difficile. Acceſſit circa Sæc. 9. uſus ornamentorum Pontificalium, quem à Pontificibus circa Sæc. 11. Abbates obtinuiſſe mox dicemus. Referuntur ut plurimum inter Pontificalia *baculus*, *mitra*, *annulus*, *chirothecæ*, & *ſandalia*. *Baculus paſtoralis*, uti hodie vocare ſolemus, quondam nihil elegantiæ, nihil ſingularis formæ, aut myſticæ ſignificationis habebat, niſi quod in ſuperiori parte majoris commoditatis gratia fuerit incurvatus, & propterea in antiquis documentis paſſim vocatus Krumſtab (a). Sed erat ſubſidium commune humani corporis, quo vel infirmi, vel iter facientes utebantur (b). Sæc. ſequioribus myſticas accepit ſignificationes, Epiſcopis in ſua conſecratione ad ſignificandam curam paſtoralem porrectus. Quo tempore Baculus ſignificationem curæ Paſtoralis acceperit, in incerto eſt. Jam Sæc. 7. vel 8. Epiſcopis in ſua ordinatione baculum fuiſſe in manus datum ex S. Iſidoro colligimus (c). In Eccleſia Græca ſolis Patriarchis uſum baculi fuiſſe conceſſum teſtis eſt Balſamon (d). Pontificem ſolum non uti baculo Paſtorali ex cap. unic. de ſac. unct. ſcimus, & hoc tum propter hiſtoriam, tum propter myſticam ſignificationem, uti loquitur Innocentius III. in cit. cap. (e). Etiam Abbatibus in ſua ordinatione jamjam fuiſſe ab Epiſcopo porrectum baculum ex Theodori pœnitentiali, & ordine Romano docemur; ex quo ſequitur, uſum baculi non fuiſſe relatum inter ornamenta Pontificalia ſolis Epiſcopis propria. Idem dicendum de *Sandaliis*, & *Chirothecis*, quorum uſum à Pontificibus aliquoties Abbatibus fuiſſe conceſſum refert, & exemplis illuſtrat Mabillonius, ex cujus ſententia mitra ferme unicum aut certe principaliſſimum dignitatis Epiſcopalis eſt ornamentum

(a) Inde ortum commune illud: unter dem Krumſtab iſt gut wohnen.

(b) Thomaſinus Tom. 1. lib. 2. cap. 58. N. 2.

(c) Ait enim lib. 2. de offic. cap. 5. *Epiſcopo, dum conſecratur, datur baculus, ut ejus judicio ſubditam plebem vel regat, vel corrigat, vel infirmitates infirmorum ſuſtineat.*

(d) Hiſtoria hæc eſt: referunt, quod, quando S. Petrus S. Maternum cum aliis ſociis miſit ad prædicandum Evangelium, in via mortuus fuerit unus ex diſcipulis nomine Martialis. Poſtea vero S Maternus Romam redierit, & à S. Petro baculum paſtoralem acceperit, quo dum redux poſt 40. dies mortuum tetigit, hic à mortuis reſurrexit. Ab hoc ergo tempore Pontifices non utuntur baculo. Pars una hujus baculi Coloniæ, altera Treviris oſtenditur. Verum hodierni critici paſſim hæc acta pro ſuppoſititiis habent. Myſtica ſignificatio in eo conſiſtit, quod cæteri Epiſcopi debeant ſeſe incurvare & ſuſtentaculo indigeant, quum Pontifex ſit ſupra omnes, & divina quaſi virtute ſuſtentetur.

namentum (a). Uſum mitræ, quam Euſebius *coronam*, & Greg. Nazianz. *Cidarin* vocat, eſſe perantiquum maxime apud Græcos dubitare non ſinunt innumera antiquiſſimorum Scriptorum documenta, cujus geſtandæ conſuetudinem ex illa aurea lamina, quam Joannes & Jacobus in fronte geſtaſſe teſtantur Polycrates, Euſebius, Epiphanius, & Hieronymus, deducit Thomaſinus (b) itaque de hac potiſſimum quæritur, quandonam illius uſus Abbatibus fuerit conceſſus? Mabillonius ait, ſe non potuiſſe invenire Abbatem, cui hic honor obtigit, ante Edelſinum Abbatem Monaſterii S. Auguſtini prope Cantuariam, cui Alexander II. id privilegii conceſſiſſe legitur, etſi quidam antiquiora exempla proferre ſoleant, quæ tamen Mabillonio non ſatis explorata videntur (c). Ab illo tempore id privilegii aliis mox Abbatibus fuit conceſſus Odoriſio Caſinenſi, Hugoni Cluniacenſi, Petro Cavenſi; & tandem ultimis Sæculis mitra jus ferme commune Abbatum evaſit, quod à medio Sæc. 11. fuit privilegium ſingulare: quia tamen Epiſcopi ex liberaliori conceſſione uſus mitræ Epiſcopalis haud parum fuerunt offenſi, eo quod in Conciliis nihildiſcriminis appareret inter Epiſcopos, & Abbates, ſtatuit Alexander IV., ut in Synodis Abbates exempti mitris aurophrygiatis, ſed ſine gemmis, non exempti ſimplicibus albis & planis uterentur. Extra Synodos vero iis utantur mitris, quas indulta Sedis Pontificiæ permittunt (d). Quoſdam Abbates ex regulis humilitatis recuſaſſe honorem mitræ idem refert Mabillonius (e), quin imo quod Præmonſtratenſes noluerint tolerare Abbates mitratos conſtat ex lib. 1. epiſt. 179. Innocentii III., quam Baluzius refert (f). Inſignia prorſus Abbatum jura & privilegia ex hoc Pontificalium uſu acceſſiſſe juribus Abbatum infra dicemus.

De exemptionibus aliqua dicere liceat. Nullas antiquitus fuiſſe exemptiones Monachorum, Monaſteriorum, & Abbatum, & Monachos in primæva ſui inſtitutione laicos, poſtea vero in Concil. Chalced. ſubjectos Epiſcopis, & in hac ſubjectione ad Sæc. usque

(a) Præfat. 1. in ſæc 6. §. 4.

(b) Tom. 1. lib. 2. cap. 45.

(c) Ibid.

(d) Jacobus Sirmondus in notis ad Goffridum.

(e) Et quidem in ſpecie Abbates Canonicorum Regularium S. Auguſt. Theodoricus Abbas Metenſis &c.

(f) Ubi ſic legitur: *ſignificaſti ſiquidem nobis, quod communi conſilio Abbatum veſtrorum ſtatuiſtis, quod nullus eorum mitra utatur, ne forſan ex ipſis ſupercilium elationis aſſumat, aut ſibi videatur ſublimis &c.*

que 11. perſtitiſſe res nobis videtur certiſſima. Quo etiam tempore tot lites & controverſiæ inter Epiſcopos & Regulares prorſus erant ignotæ. Cauſas hujus ſubjectionis Acatholici refundunt in tumultus, hinc inde etiam publicos à Monachis excitatos. Verum longe veroſimilius eſt, quod Imperatores & Patres Eccleſiæ illos Epiſcopis ideo ſubjicere voluerint, ut ſub ſpeciali cura Epiſcoporum viventes tranquilliorem agere vitam poſſent, haberentque potentiores defenſores in Epiſcopis, quam in Clericis aliis longo inferioribus, quibus inſtar laicorum parendum fuerat. Nobis vero hic potiſſimum ſermo erit de exemptionibus Abbatum, qua non modo à Jurisdictione Epiſcoporum eximebantur, verum etiam ſingulariſſimis & inſignibus prorſus privilegiis ac juribus quaſi Epiſcopalibus inſigniebantur. Atque has fuiſſe in Eccleſia incognitas ad Sæc. usque 11. defendimus. Equidem incipiendo à Sæc. 6. usque ad 11. jam plura privilegia, immunitates, & exemptiones fuiſſe conceſſas Monaſteriis & Abbatibus paſſim legimus: attamen ex his non pauca ſunt, quæ à peritioribus criticis in dubium vocantur, qualia ſunt Privilegium Monaſterii S. Medardi, S. Dionyſii, S. Germani, Monaſterii Fuldenſis (a). multa eorum conniventibus ipſis Epiſcopis conceſſa, & hæc omnia neutiquam jurisdictioni Epiſcopali erant præjudicioſa, ſed unice vel ad liberam Abbatum electionem, vel ad conſervandam quietem & tranquillitatem Monaſteriorum, vel ad defenſionem bonorum temporalium contra injuſtos invaſores, vel ad reſtringendam avaritiam quorundam Epiſcoporum collimabant. Nam, uti late diſcurrit Van Eſpen, hinc inde non modo Principes ſæculares, ſed etiam non nulli Epiſcopi bona Monaſteriorum invadebant, varias, easque exceſſivas exactiones e. g. pro ordinatione Monachorum, communicatione ſacri Chrismatis & olei, inthroniſatione & benedictione Abbatum conſecratione Eccleſiarum & altarium faciebant, electiones Abbatum liberas turbabant: ut ergo hisce abuſibus contraveniretur, tum Reges & Imperatores, tum ipſi etiam Pontifices varia privilegia & jura ſalva tamen jurisdictione Epiſcopali indulſerunt. Sæc. demum 11. incœpere exemptiones à Jurisdictione Epiſcopali, quando Pontifices quædam Monaſteria imo integras Congregationes Jurisdictioni Epiſcoporum ſubtraxerunt, eaque immediate ſibi ſubjecerunt. Tales exemptiones obtinuere Cluniacenſes, Caſſinenſes, & ſucceſſu temporis Ciſtercienſes, Præmonſtratenſes, & quamplu-

(a) Hæc ferme omnia impugnat Joannes Launoyus in ſpecial. Diſſert.

plurimæ Congregationes noviter erectæ, & Monaſteria à Pontifice Sedi Apoſtolicæ immediatc ſubjecta. Cauſas harum exemptionum varias dant varii authores: quidam eam refundunt in ambitionem, ſuperbiam, & regnandi libidinem ipſorum Abbatum jurisdictionem Epiſcopalem velut perhorreſcentium. Alii in ipſorum Pontificum ambitionem, quibus, ut ajunt, nihil magis cordi erat, quam jurisdictionem Epiſcoporum ſupprimere, ſuumque dominatum per omnem orbem diffundere, atque regimen ſuum Monarchicum in Hierarchia Eccleſiaſtica magis magisque corroborare. Alii in abuſum poteſtatis Epiſcopalis, eo quod Epiſcopi regimen deſpoticum in Monaſteria exercere, illa exceſſivis exactionibus emungere, eorumque jura mirum in modum turbare, aut penitus evertere non deſierint. Abſit, ut ſeu uni, ſeu alteri ex his ſententiis noſtrum aſſenſum præbeamus. Interim non deſunt exempla, ex quibus probari poteſt, quod aliquoties Monaſteria ea intentione fundata ſint, ut immediate Sedi Pontificiæ ſubjicerentur, quemadmodum de Monaſterio Chuniacenſi conſtat, cujus exemptionem, dum S. Bernardus exemptionum oſor maximus vehementer impugnabat, id ipſum à Cluniacenſibus ipſi fuit oppoſitum, quod aliquoties ipſi Pontifices ex ſingularibus prorſus rationibus quædam Monaſteria ſibi ſubjecerint, uti ſcimus de Monaſterio Caſſinenſi, quod Pontifices ab omni jurisdictione Epiſcopali exemerunt tum ob inſignia merita S. Benedicti, & Abbatum illius Celeberrimi Monaſterii, tum quod ipſi Pontifices illud ſuis ſumptibus de novo reſtauraſſent, tum quod Pontifices ibi ſæpe tutum aſylum reperiſſent. Hæ exemptiones neceſſario grandes tumultus in Eccleſia excitare debuerunt. Scripſerunt contra eas Viri ſanctiſſimi præcipue S. Bernardus, & Petrus Bleſenſis, quo tamen non obſtante ex poſt totus Ordo Ciſtercienſis ab Innocentio IV. pleniſſimam impetravit exemptionem. Conqueſti ſunt contra exemptiones Epiſcopi, ſuasque querelas in variis Conciliis generalibus depoſuerunt, & ideo de iis reſtringendis, abrogandis, abolendisque in Conciliis Viennenſi, Conſtantienſi, Lateranenſi V. & Tridentino acerrime actum fuit (a). Abſit à nobis, ut noſtram ſuper exemptionibus mentem declaremus. Hoc interea certum eſt, quod exinde authoritas Abbatum mirum in modum creverit eorum maxime, qui non tantum à jurisdictione Epiſcopali fuerunt exempti, ſed etiam jurisdictionem quaſi Epiſcopalem in ſuis diſtrictibus & territoriis obtinuerunt.

(a) De exemptionibus fuſiſſime agunt Thomaſinus, Van Eſpen, Petrus de Mana, aliique.

Præter has exemptiones Eccleſiaſticas plurimum ad ſublimandam authoritatem dignitatisque prærogativam Abbatum contribuerunt varia privilegia, prærogativæ, honores & dignitates ab Imperatoribus in ipſos quam largiſſime diſpenſatæ, nam authoritate Imperatorum ſuffulti hinc inde jugum ſuorum advocatorum excuſſerunt, jurisdictione territoriali Ducum & Principum ſeſe ſubtraxerunt, & ita evaſere vaſalli, Status vel omnino Principes Imperii, atque ab ipſis Imperatoribus variis honorum titulis, dignitatum prærogativis, ac officiis prorſus honorificis ſunt exornati (a).

Ex his ſequitur 1.mo multiplicis generis dari Abbates. Olim ſub Carolomanno & Pipino Francorum Principibus duo erant genera Abbatum, alii dicebantur Abbates *legitimi* ſeu *regulares*, alii Abbates *comites* & *laici*, illis tota cura diſciplinæ regularis incumbebat, & ea relinquebatur copia redituum, quæ Monaſterii neceſſitatibus ſufficiebat, his reliqua bonorum redituum, bonorumque ſuppellex erat concredita, & exinde alendi milites, aliisque neceſſitatibus conſulendum. Huic æconomiæ noviter introductæ accedebat authoritas, & approbatio Conciliorum & Zachariæ Pontificis, ſed non niſi neceſſitatibus illorum temporum quaſi extorta (b). Suſtulerunt hanc æconomiam Eccleſiis & Monaſteriis valde præjudiciojam Carolus M., illiusque ſucceſſores, & Abbates comites penitus caſſarunt, ac provinciam ſuppetitandi militum neceſſarium, aliisque neceſſitatibus ſubveniendi demandarunt Abbatibus regularibus. Hodiernis moribus diverſiſſimi generis ſunt Abbates, alii ſunt *mitrati*, alii *non mitrati*, illis ex privilegio competunt inſignia Pontificalia, non iſtis. Item alii *immediati*, alii *mediati*, & quidem in duplici ſenſu, vel reſpectu *Eccleſiæ*, vel reſpectu *imperii*. reſpectu Eccleſiæ *immediati* ſunt, qui ſoli Pontifici immediate ſubjiciuntur, quales ſunt Abbates Ciſtercienſes, Præmonſtratenſis, & multi alii aliorum Ordinum & Congregationum Abbates, reſpectu *imperii* pro immediatis habentur, qui votum & ſuffragium in comitiis habent, & hi vel ſunt Abbates Principes, vel Abbates ſimplices, illi priores poſt Epiſcopos ferunt ſuffragia *virilia*, hi vero in duo ſcamna Suevicum & Rhenanum diviſi non niſi vota *curiata* (c). *Mediati* vero ſunt, qui ſuis quoad Eccleſiaſtica ſubjiciuntur Epiſcopis, quoad temporalia vero Dominis territorialibus. Item alii ſunt Ab-

(a) Sic Abbas & Princeps Campidunenſis Archimareſchallus Imperatricis audit.

(b) Sine dubio hi Abbates ſuam originem duxerunt vel à Carolo Martello, vel ab aliis anterioribus Regibus bona Eccleſiaſtica ſæcularibus vel in feudum, vel in adminiſtrationem dantibus.

(c) De his Publiciſtæ.

Abbates *Monaſteriorum*, alii *Generales Congregationum*, alii *Generales Ordinum.* Quinam hi ſint, ex ipſis patet terminis (a).

Sequitur 2.do, inſignia prorſus eſſe jura Abbatum, illorum præcipue, qui uſum mitræ & baculi, aliorumque inſignium Pontificalium habent: nam præter regimen ſui Monaſterii, & jurisdictionem, quam habent in ſuos ſubditos, poſſunt ſolemniter benedicere populo, conſecrare calices, aliaque vaſa Eccleſiaſtica, item altaria in ſuis ſaltem Eccleſiis, primam tonſuram & ordines minores, ſed ſuis tantum ſubditis (b) ex privilegio in corpore juris clauſo conferre (c). Porro autem quum non ignoremus, rem oppido odioſam eſſe de juribus Abbatum diſſerere, lectorem remittimus ad Tamburinum, aliosque ex profeſſo hanc materiam tractantes; nobis ſufficit eorum jura vel obiter tantum inſinuaſſe, eum in finem, ut exinde colligi valeat, quæ ipſis in Hierarchia Eccleſiaſtica debeatur prærogativa, & conſeſſus honoris ac præcedentiæ, quamquam hanc determinare minime audeamus.

§. XVI.

DE Præpoſitis, & Decanis jam agamus: quamquam enim teſte Eſpenio hæc nomina olim fuerint mera nomina officii, hodie tamen & ex hodiernis moribus ſunt nomina dignitatis Eccleſiaſticæ. Utriusque origo præcipue derivanda eſt ex inſtitutis Monaſticis, maxime regulis Benedictinis, in quibus expreſſe cautum eſt de Præpoſitis, & Decanis (d). Itaque in Monaſteriis ſumma poteſtas erat penes Abbatem, prima penes Præpoſitos: & his præcipue incumbebat cura & adminiſtratio rerum temporalium, Abbate impedito etiam ſpiritualium, & ita ſecundum poſt Abbatem locum tenebant, & non nunquam totam regiminis ſarcinam ſuſtinebant. Horum frequens fit mentio apud S. Gregorium & Iſidorum Hiſpalenſem. Illorum conſtitutio erat penes Epiſcopos, poſtea vero illorum electio Monachis relicta. Porro autem, quando

(a) Generales Congregationum e. g. Abbates Generales Caſſinenſium, Cluniacenſium, Congregationis S. Mauri, *Generales Ordinum* ſunt e. g. Abbas Ciſtercienſis, Præmonſtratenſis vocantur Generales à ſuis Capitulis Generalibus, & in Gallia hoc habent ſingulare, quod illorum Monaſteria non admittanr Abbates Commendatitios, item quod habeant jus eligendi Abbatem.

(b) Prout reſtinxit Synodus Trident.

(c) Cap. 65.

do Crodogangus vitam communem inter Canonicos introduxit, ſuumque inſtitutum vel maxime inſtitutis Monaſticis attemperavit. Inter alia etiam conſtituit, ut aſſumerentur Præpoſiti cum eadem poteſtate, qua defungebantur in Monaſteriis, maxime vero adminiſtrandi bona temporalia. Præcipua itaque illorum poteſtas occupabatur circa adminiſtrationem temporalium. Et quoniam bonorum adminiſtrationi cohærebat quoque jurisdictio, etiam hanc exercuerunt. Præterea quia ante inſtitutum Crodogangi adminiſtratio temporalium Archidiacono incumbebat, utrumque nomen & officium in Præpoſito coaluit, paulo poſt tamen facta fuit ſeparatio, ita ut penes Præpoſitum jurisdictio in Capitulum, penes Archidiaconum priſca in omnes alios Diœceſis Clericos foret authoritas. Itaque olim nomen Præpoſiti erat nomen officii magis, quam dignitas, hodie præpoſitura in Eccleſiis Cathedralibus plerisque eſt primaria dignitas, & ideo vi concordatorum Germaniæ illius collatio Pontifici reſervata, niſi aliud ex privilegio vel conſuetudine obtineat. Interim illorum authoritas vel maxime ex ſtatutis Capitularibus, & locorum conſuetudinibus eſt dimetienda.

Eadem prorſus origo eſt *Decanorum*, quæ *Præpoſitorum*: etiam hi primitus obtinebant in Monaſteriis, & poſtmodum translati ſunt ad Capitula Canonicorum. Quo exactior foret Monachorum diſciplina, quorum numerus ſæpe inſignis erat, conſtitutum, ut poſt Abbatem, & Præpoſitum Decani conſtituerentur in majoribus Congregationibus, qui ſollicitudinem gerant ſuper Decanias ſuas, & ſinguli ſub cura & inſpectione decem haberent Monachos. (a) Eligendi erant Decani non ætatis, ſed meritorum ſuffragio: unde plures non raro erant Decani in uno Monaſterio, inter quos ſenior eminebat, qui abſentibus Abbatibus & Præpoſitis univerſam Monachorum curam gerebat. Hac ratione Canonicis vitam communem & more Monachorum degentibus præficiebantur Decani, quibus præcipue cura diſciplinæ regularis incumbebat, quum econtra Præpoſiti in adminiſtratione bonorum temporalium fuerint occupati. Cauſa conſtituendi Decanos inter alios fuit etiam ſuperbia, & ambitio Præpoſitorum, qui, quum ſe ſecundos eſſe Abbates exiſtimarunt, diſſenſiones & diſſidia in communitate fovebant, nutriebantque. Ut ergo illorum contumaciæ & ſuperbiæ mederetur S. Benedictus, & ne cura diſciplinæ regularis à Præpoſitis curæ tem-

(a) S. Reg. loc. cit. ubi ſic legitur: *Si major Congregatio fuerit, eligantur de ipſis fratres boni teſtimonii, & ſanctæ converſationis, & conſtituantur Decani, qui ſollicitudinem gerant ſuper Decanias ſuas.*

temporalium magis, quam ſpiritualium immerſis peſſumdaretur, Decanos ſubſtitui curavit. (a) Tractu temporis, quum paulatim Præpoſiti ſe totos adminiſtrationi temporalium darent, tota morum inſpectio, & ſpiritualium cura ad Decanos tranſiit, imo Præpoſitura in quibusdam Capitulis omnino exſpiravit. Atque inde factum eſſe exiſtimamus, ut in plerisque Capitulis, licet Præpoſitura ſit primaria dignitas, & Præpoſitus habeat præcedentiam tam in Choro, quam in Capitulo, nihilominus Decani ſint Capita Capitulorum quoad directionem Canonicorum, imo etiam inferiorum Clericorum in Eccleſiis Cathedralibus ſervientium, & quod magis eſt totius Cleri inferioris, ſaltem in quibusdam locis, item jus convocandi Capitula, dirigendi, proponendi, executioni mandandi, etiam temporalia adminiſtrandi &c. habeant. Itaque ipſorum jurisdictio vel maxime ex privilegiis, & conſuetudinibus locorum eſt dimetienda. Hodie eliguntur eo ferme modo, quo Epiſcopi, & licet nomen Decani olim fuerit nomen officii, hodie tamen eſt nomen primariæ cujusdam dignitatis. Itaque tam Præpoſiti, quam Decani Capitulorum Cathedralium locum valde honorificum in Hierarchia Eccleſiaſtica poſſident, quem ipſis determinare non audemus, ſed conſuetudo determinabit.

§. XVII.

Ex ſupra dictis de Capitulis Eccleſiarum Cathedralium facile quisque emetietur, in quem ſublimem locum ſupra cæteros Clericos evecti ſint *Canonici* Eccleſiarum Cathedralium, hoc ipſo quod ſint ſupremus Senatus Epiſcoporum, jus eligendi Epiſcopum habeant, ſede vacante in Jura Epiſcopalia ſuccedant, & in ipſo ſuo corpore ſeu Capitulo juribus & privilegiis gaudeant ampliſſimis. Quare mirum non eſt, quod hodie *Canonici* Eccleſiarum Cathedralium in dignitate Eccleſiaſtica cenſeantur eſſe conſtituti: licet enim in particulari præeminentiam cum jurisdictione ſpeciali non habeant (b), quum tamen dignitas Eccleſiaſtica nihil aliud ſit, quam *Præeminentia cum Jurisdictione*, attamen aliqua quaſi particula illius ampliſſimæ Jurisdictionis penes ipſum corpus reſidentis in Canonicos particulares redundare videtur. Inde eſt, quod Pontifex Canoni-

(a) *Sapius contingit, ut per ordinationem Prapoſiti ſcandala oriantur, dum æſtimantes ſe ſecundos Abbates diſſenſiones faciunt &c. per Decanos ordinetur, ut dum pluribus committitur, unus non ſuperbiat.*

(b) Cap. 11. de Reſcript.

cos ſoleat conſtituere judices delegatos (a) quum alioquin has vices non niſi perſonis in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis committere moris ſit. Hodie alii ſunt Canonici *Regulares*, alii *Sæculares*. *Regulares* olim erant omnes illi, qui in communitate vitam regularem juxta certam vivendi normam ſibi præſcriptam agebant, quales erant Clerici, qui juxta Regulam S. Auguſtini, Euſebii Vercellenſis &c. in communi vivebant, licet Canonici dicti non fuerint. *Regulares* etiam fuere illi, qui inſtitutum Crodogangi obſervabant. Aſt ubi Canonici amore liberioris vitæ jugum Regulæ excuſſerunt, à menſa Epiſcopi ſeſe ſepararunt, & corpus ſingulare conſtituerunt, Viri quidam zelo animarum, pietate, doctrina & ſanctitate conſpicui novam Canonicorum reformationem incœperunt, illisque veluti normam præſcripſerunt Regulam S. Auguſtini. Atque inde nata eſt diſtinctio inter Canonicos *Regulares*, & *Sæculares*. Olim in multis Eccleſiis Cathedralibus etiam illuſtrioribus Canonici fuere *Regulares*, hodie pleraque Capitula & Canonici ſæculariſationem ſubierunt. Plura de nomine, & origine *Canonicorum* ſupra diximus.

§. XVIII.

De primariis dignitatibus Capitulorum Cathedralium in §. præced. egimus. Agendum de quibusdam velut ſecundariis, quæ antiquitus erant mera nomina officii, & ferme in omnibus obtinuerunt Capitulis & adhuc in multis hodiedum obtinent. Agemus autem potiſſimum de *Scholaſtico*, *Primicerio*, *Theſaurario*, *Sacriſta*, *Cuſtode*. *Scholaſticus* à *Schola* dicitur, cujus ut originem, & officium & dignitatem perſcrutemur, pauca de ſcholis ipſis præmittenda eſſe duximus: Jam in primitiva Eccleſia fuiſſe ſcholas nemo negaverit, quas inter eminuit Schola Alexandrina, cujus originem aliqui à S. Marco, alii à viro quodam doctiſſimo videlicet Pantheno deducunt. Floruit Alexandriæ præ cæteris Schola *Catechetica*, in qua docuere Clemens Alexandrinus, Origenes, aliique. Tales Scholas *Catecheticas* etiam alibi Antiochiæ, Cæſareæ &c. fuiſſe erectas paſſim ſcribunt, in quibus nempe Chriſtiani doctrinas Chriſtianas, & maxime ſcientiam Scripturiſticam fuerunt edocti. Sæculo V. jam innumeræ erant Scholæ, partim in omnibus Epiſcoporum ædibus, partim in domibus Archi-Diaconorum, imo etiam in omnibus domibus

Pa-

(a) Præcipuus hujus inſtituti author fuit Ivo Carnotenſis.

Parochorum. Sed progrediamur ad Sæc. 8. & 9. præcipue ad tempora Caroli M. quippe qui rem literariam ferme collapſam iterum reſtituit, mirum in modum auxit, & amplificavit. Erant autem tempore Caroli M. quadruplicis generis Scholæ, nempe *Regiæ* ſeu *Palatinæ* in ipſo palatio, *Epiſcopales* in ædibus Epiſcoporum, *Monaſteriales* in Monaſteriis, & *Parochiales* in ædibus Parochorum. Exemplo enim Caroli ſtimulabantur Epiſcopi & Abbates, ut Scholas publicas (antea enim ferme omnes ſcholæ erant privatæ, ita ut à ſcholis Epiſcopalibus & Abbatialibus Laici fuerint excluſi) erigerent, & quidem in Monaſteriis duplicis generis erant Scholæ, nempe *Majores* & *Minores*, in his diſciplinæ inferiores, in illis ſublimiores ſcientiæ docebantur. Tales ſcholæ celeberrimæ fuerunt in pluribus Monaſteriis Germaniæ & Galliæ præcipue, è quibus prodiere tot Viri celeberrimi toga ſagoque, doctrina & eruditione prorſus clariſſimi, de quibus vid. Mabillonius. (a)

Jam in 3.tio, 4.to & ſequentibus Eccleſiæ Sæculis fuiſſe quædam collegia penes Eccleſias Epiſcopales, in quibus pueri ad vitam clericalem nutriebantur, & in omni pietate morum, & doctrina inſtruebantur, res undequaque eſt notiſſima. Similia etiam collegia fuiſſe in Collegiis Canonicorum vitam communem juxta normam ſibi à Crodogango præſcriptam degentium ex ipſis regulis conſtat (b), in quibus præcipitur, ut unus ex probatiſſimis Senioribus aſſumeretur, qui adoleſcentes in moribus & vitæ ſanctitate inſtrueret. Sublata vita communi, licet adoleſcentes Canonicis cohabitare deſierint, nihilominus Scholæ Cathedralibus & Collegiatis Eccleſiis manſere ſubjectæ, quibus unus è Clero præficiebatur, quem dixere *Scholaſticum*. Poſtquam autem Sæc. 13. Academiæ fuere erectæ, & ad has ingens Clericorum & Laicorum numerus confluxerat, hæc res movit Alexandrum III. ut in Concilio Later. III. ſcholas in Eccleſiis Cathedralibus vel intermortuas, & extinctas, vel parum recte inſtructas reformari, atque per unamquamque Eccleſiam Magiſtro Scholarum competens aliquod beneficium præberi præceperit, quo docentis neceſſitas ſublevetur, & diſcentibus via pateat ad doctrinam. Veſtigia Alexandri ſecutus fuit Innocentius III. in Concil. Lateran. IV. voluitque, út non modo in Eccleſiis

(a) Præfat. 1. in Sæc. 4. Bened. §. 8. ubi recenſet Scholas celeberrimas in Monaſteriis Flotiacenſi, Fuldenſi, Augienſi, S. Albani, Prumienſi, Ferrarienſi, Caſinenſi, Corbejenſi, S. Germani apud Pariſios, S. Germani apud Antiſſiodorum, Ticinenſi, Eborenſi &c. erectas.

(b) Regul. Canon. cap. 135. *Fratri committatur, qui eos & vitæ exemplis informet, & ad omne bonum peragendum excitet.*

ſiis Cathedralibus, ſed etiam aliis, quibus eſſent ſufficientes facultates, Magiſter idoneus conſtitueretur, qui Clericos in diſciplinis inferioribus inſtrueret, in Eccleſiis autem Metropolibus adderetur Theologus, qui Sacerdotes in ſacra Pagina doceret, & utrique unius Præbendæ proventus aſſignarentur. Ad hæc usque tempora Scholaſticus, ſeu Magiſter Scholarum non fuit Canonicus. Tandem Clemens IV. in ſtatutis pro Eccleſia Andegavenſi, in qua dubitabatur, an Magiſter Scholarum ſeu Scholaſticus poſſit eſſe ſimul Canonicus? reſcripſit, ut in Magiſtrum Scholarum aſſumatur Canonicus, quin tamen à Reſidentia talis ſit diſpenſatus. Porro autem licet hoc reſcriptum fuerit particulare pro Eccleſia particulari, uſu tamen ſucceſſive in omnibus ferme Eccleſiis obtinuit, ita ut in hodiernam usque diem ferme in omnibus Capitulis Cathedralibus unus ex Canonicis munus, aut potius nomen Scholaſtici ſuſtineat. Erat olim Scholaſteria merum nomen officii. Poſtquam vero in beneficium & dignitatem fuit evecta, eidemque pinques proventus annexi, illam Canonici vel maxime ambierunt, quo factum eſt, ut quidam aſſumerentur Scholaſtici huic muneri gerendo, regendisque Scholis prorſus inſufficientes. Itaque, ut huic abuſui contraveniret, Synodus Tridentina ſtatuit, ut officia & dignitates illæ, quæ *Scholaſtariæ* dicuntur, non niſi Doctoribus, vel Magiſtris, aut Licentiatis in ſacra Pagina, aut in Jure Canonico, & aliis idoneis perſonis conferantur. (a) Hæc tamen conſtitutio Synodalis hodie in Capitulis non obſervatur.

Officium Scholaſtici antiquitus, & priusquam ad Canonicos fuit devolutum, duo complectebatur nempe inſtructionem in humanioribus diſciplinis, & inſpectionem, curam, ac directionem Scholarum. Ab eo autem tempore, quo hoc munere funguntur Canonici, ſola directio Scholarum, ſtudiorumque Scholaſtico incumbit, niſi aliud ex ſtatutis particularibus Academiarum, aliarumque publicarum Scholarum ex primæva fundatione, vel moribus, & conſuetudinibus locorum obtineat. In uno alterove loco adhucdum Scholaſticum ſuo fungi munere in viſitandis ſaltem ſtatuto tempore Scholis publicis ipſi ſcimus. Neque quis exiſtimet, authoritatem Scholaſtici modicam fuiſſe, & abjectam vilemque: contrarium enim evincit, quod refert Meichelbeckius (b) de Scholaſtico Friſingenſi ad an. 1390. qui ſibi poteſtatem in Rectorem & om-

(a) Seſſ. 23. de Reform. cap. 18.
(b) Tom. 2. Hiſt. Eccl. Friſing. ad an. 1390.

omnes ſcholares Eccleſiæ Collegiatæ ad S. Andreæ aſſeruit (a). Præterea in pluribus Eccleſiis Cathedralibus juniores Canonicos, quos *Domicellos* vocant, Scholaſtico ſaltem in anno probationis fuiſſe ſubjectos oſtendunt Acta Synodi Auguſtanæ de an. 1611., & Synodi Provincialis Salisburgenſis de an. 1568., in quibus ſuprema cura domicellorum Scholaſtico committitur (b). Officium iſtud *Scholaſteriæ*, vel ut ſecundum hodiernos mores loquamur, dignitatem Scholaſtici eſſe valde illuſtrem, & ſpectabilem, nemo non videt: propterea tamen Scholaſticus inter cæteros Canonicos nullam præcedentiam ex uſu moderno prætendit.

De cæteris officiis vel dignitatibus ſupra recenſitis breviſſime agamus. Occurrit primo officium *Primicerii.* Nomen *Primicerii* ex ſua naturali ſignificatione ſignificat Anteſignanum cujuscunque officii civilis & ſacri, quo ſenſu in antiquis monumentis fit mentio *Primicerii palatii*, aulæ, ſacrarum lectionum, defenſorum, Judicum &c. ſicut itaque *Primicerius* appellabatur, qui primum locum tenebat, ita qui ſecundum & tertium, dicebantur *Secundicerii*, *Tertiocerii* &c. Plerique Canoniſtæ Primicerium putant eſſe illum, qui in quibusdam Eccleſiis dicitur eſſe *Cantor*, eo quod cantui in choro, illisque, qui ad cantum deſtinati ſunt, præeſt. Verum rebus accuratius inſpectis quondam Primicerius erat quidam Vicarius minor ab ipſo Archidiacono conſtitutus, ut nomine Vicario Clero inferiori præeſſet. Utriusque Cleri curam & regimen tenebat Archidiaconus. Quum vero hic potiſſimum ſuam curam in clerum majorem & ſuperiorem extendiſſet, ſubſtitutus eſt ei alius Vicarius, à quo regebatur Clerus inferior, & hic dicebatur Primicerius. Illius officium plenius deſcribitur in cap. 1. diſt. 95. (c), & in cap. unic. h. t. ubi additur, quod præeſſe debeat Diaconis & reliquis gradibus Eccleſiaſticis in ordine poſitis, quamvis ſub Archidiacono conſtitutus ſit, & ejus ſubofficialis eſſe videatur. Officium Primicerii in Eccleſiis Cathedralibus, licet hoc nomine non ſoleant inſigniri, ſuſtinent Decani illarum, quippe quibus Clerus inferior quoad ea potiſſimum, quæ ad chorum & cantum pertinent, ſubjicitur.

Theſaurarius & ſacriſta paſſim pro eodem ſumuntur. Itaque theſaurarius à theſauro Eccleſiæ dictus vel ſacriſta ille dicitur, qui theſauri Eccleſiaſtici, rerumque Eccleſiaſticarum pretioſarum curam gerit. In quibusdam Eccleſiis eſt nomen officii, in plerisque

(a) Qua ratione hæc controverſia à Berthroldo Epiſcopo fuerit compoſita, idem refert.
(b) Plura hujusmodi ſtatuta variarum Diœceſium refert Lünig. in ſpicileg.
(c) *Ad Primicerium, ait, pertinent Acolithi, Exorciſtæ, Pſalmiſtæ, atque lectores &c.*

Eccleſiis Cathedralibus ex moribus hodiernis eſt nomen beneficii, imo dignitatis primariæ, & quidem jam tempore Innocent. III. theſaurariam Nivernenſem pro dignitate fuiſſe reputatam, inde apparet, quod theſaurario Nivernenſi cauſæ cognitio delegata reperiatur (a). Officium iſtud antiquitus Diaconis & Subdiaconis erat proprium.

Hisce addamus officium Cuſtodis. Cuſtos igitur erat ille, qui habuit curam utenſilium, & rerum Eccleſiæ minus pretioſarum, de quibus vid. cap. 1. & 2. h. t. In pleriſque Eccleſiis adhuc hodie hæc officia perdurant, ita ut unus ex Canonicis vel Sacriſta, vel Cuſtos dicatur. An autem hæc officia jam ſint dignitates, & tales officiales quibusdam gaudeant prœdriis, diſcendum eſt ex moribus & conſuetudinibus locorum.

§. XIX.

HOdie inter Officiales Eccleſiaſticos vel maxime eminet *Vicarius Generalis*, quippe qui nomine Epiſcopi jurisdictionem Epiſcopalem exercet, & idem cum Epiſcopo tribunal habere dicitur. Nomen *Officialis*, & *Vicarii Generalis* tam in Decretalibus Bonifacii VIII. ad Tit. de Vicar. quam in Synodo Trident. (b) paſſim confunduntur. Et hinc in Italiæ Epiſcopatibus omnibus, & quibusdam Germaniæ idem ſimul eſt Vicarius Generalis, & ſimul Officialis. In multis tamen Eccleſiis Cathedralibus Germaniæ alius eſt *Officialis*, & alius *Vicarius Generalis*. Non tamen in omnibus locis eadem munia & officia utrique ſunt commiſſa. In quibusdam locis officialis eſt ille, qui præeſt jurisdictioni *contentioſæ*, & officio judicis fungitur, Vicarius Generalis econtra, qui jurisdictioni *voluntariæ* præeſt, & ea omnia curat, quæ ad curam animarum, & collationem beneficiorum pertinent. In quibusdam locis officialibus cauſæ Matrimoniales, & decimarum ſunt commiſſæ, cæteræ omnes ad Vicarium generalem pertinent, quippe qui cæteras jurisdictionis Epiſcopalis partes ſubire conſuevit. De ſtylo etiam Curiæ Romanæ eſt, ut, ſi pro expeditionibus ſcribatur ad partes Italiæ, Hungariæ & Dalmatiæ ſemper adhibeatur nomen *Vicarii*, ſi vero ultra montes pro Germania, Gallia, Anglia, Hiſpania nomen *Officialis.* Itaque Vicarius Generalis eſt perſona publica, quæ nomine Epiſcopi jurisdictionem Epiſcopalem exercet. Alius *natus*, alius *datus*. Ille di-

(a) Vid. cap. 31. de offic. & pot. Jud. deleg.
(b) Seſſ. 24. de Refor. cap. 16.

dicitur, qui à lege, ſeu à jure conſtituitur, & propriam jurisdictionem obtinet diverſam à jurisdictione ſui Principalis, cujus vices gerit, eidem tamen ſubordinatam, uti Archidiaconus. *Datus* eſt, qui à ſuperiore jurisdictionem ordinariam habente conſtituitur, ut illius vices ſubeat, & hic ſi ad certam Diœceſeos partem extra civitatem Epiſcopalem conſtituitur, & ſeparatum tribunal habet, dicitur *Vicarius Foraneus*, ſi vero in ipſa reſidentia Epiſcopali in totam Diœceſim ſuam jurisdictionem exerceat, vocatur *Vicarius Generalis* cum addito: *in ſpiritualibus* ad diſtinctionem Vicarii Generalis *in Pontificalibus.* Interim nihil prohibet, quo minus etiam illi poſſint dici *Vicarii Generales*, qui in amplioribus Diœceſibus in tota aliqua provincia Vicariatum generalem ſuſtinent.

Indagemus originem Vicarii generalis. Vicarii Generales *nati* olim fuere tum Archidiaconi, tum Chorepiſcopi, & hi quodammodo *nati.* Vicarii *dati* illi videntur fuiſſe, quos Epiſcopi aliquoties ſponte aſſumpſerunt, & in partem ſollicitudinis vocarunt, atque in illos Epiſcopalis ſarcinæ, ac oneris Angelicis etiam humeris formidandi particulam rejecerunt. Hujusmodi exempla proſtant plura in Eccleſia tam Græca, quam Latina in S. Greg. Nazianz., quem ſuus Parens Nazianzi Epiſcopus ex eremo vocavit, & ſibi Coadjutorem adjunxit, in S. Baſilio, qui fuit adjunctus Euſebio Cæſareenſi, in S. Simpliciano, qui à Damaſo Papa Mediolanum miſſus fuerat, ut Ambroſio aſſiſteret, in S. Auguſtino, quem Valerianus Hipponenſis Epiſcopus Presbyterum ordinavit eo conſilio, ut haberet, in quem partem ſuæ ſollicitudinis conferret. Porro autem Vicariorum Generalium, quales hodie habemus, nulla prorſus reperimus veſtigia nec in Decreto Gratiani, nec in Decretalibus Gregor. IX. habemus quidem titulum in dictis Decretalibus de officio Vicarii: verum in hoc titulo unice agitur de vicariis ſeu perpetuis, ſeu temporalibus Parochorum, aliorumque Beneficiatorum. Imo vices Vicarii Generalis olim obiiſſe Archidiaconos, mox dicemus. Itaque hodiernorum Vicariorum Generalium origo multis perquam obſcura eſſe videtur.

Primæva illorum origo procul dubio petenda eſt ab illo tempore, quo Epiſcopi ſuas vices, ſuum officium, poteſtatem & jurisdictionem aliis committere conſueverunt: nam ab initio naſcentis Eccleſiæ Epiſcopi ſuum munus Paſtorale ſtrenue, & indefeſſe obibant. Poſtquam vero Diœceſes auctæ, & ampliatæ, & Epiſcopis alia jura acceſſerunt, hi ſuas vices in Archidiaconos, Archi-

Presbyteros, & Chorepiſcopos transtulerunt. Succeſſu temporis autem Vicarios Generales ſibi cooptarunt, iisque ſuas vices ab initio revocabiliter, poſtea irrevocabiliter delegarunt, id quod ſæc. 13. factum eſſe legimus. Cauſæ conſtituendi Vicarios fuere variæ, quibus 1mo occaſionem præbuerunt expeditiones *Cruciatarũ* in terram ſanctam, quando Epiſcopi relictis ſuis Cathedris caſtra ſunt ſecuti, interea autem ſuum officium Paſtorale Vicariis à ſe conſtitutis concrediderunt. 2do nova judiciorum Eccleſiaſticorum forma, dum Epiſcopi ſua judicia cum ſtrepitu forenſi ſecundum normam judiciorum civilium exercuerunt, & hoc ipſo jurisdictionem viris in jure peritis demandare coacti ſunt. 3tio ipſi Archidiaconi cauſam non ultimam ſuppeditarunt. Quum enim hi jurisdictionem ſuam ultra fines ſuos extenderent, ſibique ordinariam ac velut independentem arrogarent, maluere Epiſcopi ſuas vices committere Presbyteris, ut cauſas ad audientiam Epiſcopalem pertinentes poteſtate non ordinaria, ſed delegata deciderent. Quare Vicariorum generalium jurisdictio primitus mere *delegata* fuiſſe videtur, donec ſucceſſive in tantum excreverit, ut jam plerisque eſſe ordinaria videatur. Hinc idem tribunal cum Epiſcopo, & concurrentem cum ipſo jurisdictionem habere paſſim dicitur. Nobis hæc jurisdictio hactenus viſa fuit *ordinaria*, ſed *irregularis*, aut à lege *delegata*, de qua hic agere non eſt noſtri inſtituti. Quantacunque cæteroquin ſit jurisdictio Vicarii Generalis, conſuetudo tamen invaluit, ut Canonici Cathedralium Eccleſiarum Vicarium Generalem præcedant, aut, ſi ipſe ſit Canonicus, nullam propter ſuum Vicariatum præcedentiam prætendere valeat.

§. XXI.

QUod hodie Epiſcopis ſunt Vicarii generales, id olim fuere Archidiaconi. *Archidiaconus* ex ipſa etymologia nominis eſt quaſi *Princeps Diaconorum*, ſeu *primus* è collegio Diaconorum, quem antiquiores Scriptores excellentiſſimis prorſus elogiis, ac titulis exornarunt. Hujus igitur originem, officia, poteſtatem & jurisdictionem paucis illuſtrandam eſſe duximus. Origo Archidiaconorum eſt perquam obſcura. Sunt, qui illam referunt ad tempora Apoſtolorum, atque inter ſeptem Diaconos ab Apoſtolis aſſumptos S. Stephanum velut Arbhidiaconum reverentur, atque in hanc rem citant S. Prudentium, qui in hymno de S. Laurent. ita canit:

Hic

Hic primus é ſeptem viris,
Qui ſtant ante aram proximi.

Quod Archidiaconus in re ipſa, hoc eſt quidam velut *primus Diaconus* fuerit haud negamus. Quod autem Archidiaconus nomine & cum ſingulari jurisdictione ſibi commiſſa fuerit, affirmare non audemus, utpote quod nomen iſtud non occurrat in antiquis primorum trium Sæculorum monumentis, & illius nec Cornelius in ſua epiſtola ad Fabium, etſi accuratiſſimé nomina Clericorum recenſeat, nec Cyprianus mentionem faciat. Attamen circa finem Sæcul. 3. Archidiaconi nomen invaluiſſe inde colligimus, quod Optatus Milevitanus Cæcilianum vocet Archidiaconum (a), & S. Hieronymus illius mentionem ingerat (b), quod ſignum manifeſtum eſt, jam pro priori Archidiaconos fuiſſe conſtitutos. Archidiaconum probabiliſſime conſtituit ipſe Epiſcopus, hoc ipſo, quod illius fuerit primarius Miniſter, quaſi oculus, & manus Epiſcopi, cujus conſilio, & opera utebatur in exercendo munere Paſtorali, propterea ad prærogativam ætatis non attendebatur, neque ſenior Diaconorum in Archidiaconum aſſumebatur, quemadmodum id in Archi-Presbyteris fuiſſe obſervatum dicemus, ſed ille, qui huic muneri gerendo videbatur eſſe aptiſſimus.

De dignitate, officio, poteſtate & jurisdictione Archidiaconi jam videamus. Quantum ad dignitatem erat ipſe, ut mox dictum perpetuus miniſter Epiſcopi, manus, & oculus illius, & cum ipſo & nomine ipſius varia negotia expediebat. Inde factum eſt, quod Archidiaconi ut plurimum in ſucceſſores Epiſcoporum eligerentur, id quod varia ex Hiſtoricis Eccleſiaſticis petita exempla commonſtrant e. g. Athanaſii, Cæciliani. Imo ſunt quidam Scriptores, qui docent, quod in Eccleſia Romana lex fuerit, ut Archidiaconus foret ſucceſſor Epiſcopi Romani, quorum tamen ſententia haud immerito in dubium vocatur. Conſuetudinis quaſi fuiſſe, ut Archidiaconi ordinarie in Epiſcopos Romanos eligerentur, facile largimur. Legem ſcriptam nullibi habemus. Neque hanc conſuetudinem quis miretur: nam communius ad id officii & dignitatis aſſumebantur Clerici rerum agendarum dexteritate, aliisque qualitatibus ſingulariter conſpicui & præcellentiores, & hi ipſi optimam

 ha-

(a) Lib. 1. pag. 40.
(b) Epiſt. 85. ad Evag. *aut Diaconi eligant de ſe, quem induſtriam noverint, & Archi-Diaconum vocent.*

habuere occaſionem in benevolentiam tum Clericorum tum ipſius plebis ſeſe inſinuandi, eorumque ſuffragia ſibi conciliandi. (a)

Officia Archidiaconi fuere diverſiſſima: erat Miniſter ſupremus Epiſcopi, & à latere illius, ut phraſi Hieronymiana utamur, nunquam receſſit. Epiſcopo ſacra operanti fuit proximus. Epiſcopo Evchariſtiam diſpenſante ipſe calicem diſpenſabat. Miniſteria inferiorum Clericorum ordinabat. Ipſe erat quaſi inſtructor inferiorum Clericorum tum in literis, tum in moribus, erat adminiſtrator bonorum temporalium, in habendis concionibus teſte Hieronymo Epiſcopum ſublevabat. (b)

De poteſtate Archidiaconi quid dicamus? eam fuiſſe ampliſſimam probant varia Capitula tum Decreti Gratiani, tum Decretalium (c), ita ut eam in ipſos etiam Presbyteros, etſi ipſe non fuerit Presbyter, exercuiſſe videatur, quamquam de eo jure dubitari valeat, quum nihil de eo in antiquis documentis legatur, ea autem quæ ex Iſidoro in Decreto Gratiani referuntur, ſint ſubleſtæ fidei, eo quod ex ipſa Romanorum correctorum confeſſione in epiſtol. Iſidori non inveniantur (d). Id non negaverim, tempore Gratiani ita rem ſe habuiſſe: ſed quid mirum? nam eo ævo jam paſſim Archidiaconi ex ordine Presbyterorum fuerunt aſſumpti. Ab initio hæc Archidiaconi poteſtas fuit delegata, poſtea evaſit ordinaria, primitus erat officium ab arbttrio Epiſcopi dependes, poſtea fuit mutatum in beneficium & dignitatem, & in tantum excrevit, ut ipſis Epiſcopis fieret formidabilis: quare de ea reſtringenda cogitandum erat Epiſcopis. Ex hoc capite aſſumpſerunt Vicarios Generales, & in Concil. Trident. id effecerunt, ut Archidiaconorum jurisdictioni cauſæ Matrimoniales & criminales ſubducerentur (e). Hinc inde etiam conſuetudines locorum poteſtati illorum multum detraxere. Officia Archidiaconorum ſecundum longum & latum recenſentur in cap. 7. & 9. h. t. & paſſim alibi. Quanta hodie ſit Archidiaconorum poteſtas diſcendum eſt ex praxi, & conſuetudinibus Diœceſium, in quibusdam ampliorem, in aliquibus magis reſtrictam Jurisdictionem exercent. Archidiaconus in Eccleſiis Cathedralibus honorarius eſt plerumque Præpoſitus. Præterea dantur Archidiaconi nati, quales ſuut multi Abbates, quorum dignitati

(a) Revolantur memoria, quæ ſupra diximus aſſerendo, quod in Eccleſia Romana ferme per Sæculum non niſi Diaconi, & Apocriſiani ad Pontificatum fuerint electi.

(b) In Comment. in Ezech. cap. 48.

(c) Diſt. 25. Can. 1. cap. 1. de offic. Archid.

(d) Vid. Decret. Grat. loc. cit.

(e) Seſſ. 24. de Reform. cap. 20.

tati Abbatiali jurisdictio Archidiaconalis eſt annexa, item dati in amplioribus Diœceſibus, quorum aliqui etiam cauſas matrimoniales tanquam in prima inſtantia, eſto Concil. Trident. eos hac jurisdictione exuerit, decidunt: Itaque horum omnium, ut antea monuimus, poteſtas ex privilegiis, conceſſionibus Epiſcoporum, & Diœceſium conſuetudinibus eſt menſuranda.

§. XXI.

ARchidiaconum ſequitur Archipresbyter non quidem dignitate Ordinis, ſed Jurisdictionis, ſicuti dicemus. Quemadmodum igitur primus Diaconorum dicebatur Archidiaconus, ſic etiam primus Presbyterorum Archipresbyter. De origine Archipresbyteri non ſat conſtat. Hoc certum eſt, quod ſuam originem trahat ab antiquis Presbyteriis, ſeu Collegio, quod erat conflatum ex Presbyteris alicui Eccleſiæ inſervientibus, de quo ſupra diximus. Itaque Archipresbyter dicitur ille, qui cæteris Presbyteris & officiis Presbyteralibus præeſt. Sæc. 4. fuiſſe Archipresbyteros ex S. Hieronymo conſtat (a). In eo dubium eſt ingens, utrum Archipresbyterum fecerit prærogativa ætatis, vel Epiſcopus libere conſtituerit, ita ut Archipresbyter fuerit ille ipſe, qui fuit ſenior, non quidem *ætate*, ſed *ordinatione*. Moris enim erat olim, ut Epiſcopi & Presbyteri ſuam ætatem numerarent à die *ordinationis*, quam ſemper velut natalem habebant ſolemniſſimam, & ſumma cum ſolemnitate celebrare conſueverant. Pro Epiſcopis pugnant plura exempla ex antiquitate deprompta: ita enim S. Baſilius, dum à Gregorio Nazianzeno viſebatur, illum Archipresbyterum feciſſe legitur, ſic refert Liberatus (b), quod Dioſcorus Epiſcopus Proterium Eccleſiæ ſuæ Archipresbyterum conſtituerit. Sed fotaſſis hæc fuit diſciplina Eccleſiarum Orientalium: alium enim morem fuiſſe obſervatum in Eccleſia Latina nos docet Leo I. qui Epiſcopo Beneventano exprobravit, quod præterito ſeniore juniorem Presbyterum fecerit Archipresbyterum.

Pauca de officiis & poteſtate Archipresbyterorum videamus: ad illius officia pertinebat cura pupillorum, & viduarum. Epiſcopo abſente vel ægrotante ea peragebat, quæ erant *Ordinis Epiſcopalis* tantum,

(a) Epiſt. 4. ad Ruſt. ubi ait: *ſinguli ſingularum Eccleſiarum Epiſcopi, ſinguli Archipresbyteri, ſinguli Archidiaconi.*
(b) In Breviar, cap. 14.

tum, cæteroquin tamen à Presbytero ſimplici peragi poterant: cætera enim, quæ erant jurisdictionis, Archidiaconus expediebat. Ex quo conſequitur, poteſtatem Archipresbyteri fuiſſe valde reſtrictam & limitatam, neque à longe comparari poſſe cum poteſtate Archi-Diaconi; Archipresbyter enim præter quamdam ſuperioritatem ſupra cæteros Presbyteros, inſpectionem in vitam & mores illorum, & ordinationem functionum ab illis peragendarum vix aliam habuit poteſtatem: quum econtra Archidiaconus non modo Epiſcopo fuerit à conſiliis intimis, oculus illius & manus dextra, ad varia eaque inſignia prorſus munia obeunda deſtinatus, verum etiam tali poteſtate jurisdictionis præditus, quæ ſe in totam Diœceſin extenderet. Erant autem duplicis generis Presbyteri, nempe *Civitatenſes*, & *Rurales*. *Civitatenſes* erant illi ipſi, quos hactenus deſcripſimus. *Rurales* fuere illi, qui inſpectionem cum aliquali jurisdictione habebant tam in Laicos, quam Clericos ruri degentes, & minora negotia curabant, haud abſimiles Decanis *ruralibus*, quales hodie habemus, qui proprie loquendo Jurisdictionem non habent, nec in *dignitate Eccleſiaſtica* ſed in *Perſonatu* ſunt conſtituti, & præcedentiam habent præ cæteris Clericis. Inſpiciendæ tamen ſunt conſuetudines locorum.

XXII.

SUpereſt, ut de cæteris Clericis quibuscunque agamus. Clerici vel ſunt in *majoribus*, vel in *minoribus* conſtituti. Item vel ſunt *ſæculares*, vel *regulares*. Atque hi iterum ſunt multiplicis generis, nam alii dicuntur *Canonici Regulares*, alii *Clerici Regulares*, alii *Monachi*, alii *Mendicantes &c.* Nobis horum originem, Inſtitutum, præcedentias & jura atque deſuper motas non raro ultra Sæculum durantes controverſias, ac deſuper obtentas deciſiones, & privilegia accuratius inquirere non vacat, quia induſtriam noſtram ſublimiora, & utiliora deſiderant.

CAPUT III.

DE PRÆROGATIVIS ECCLESIÆ SALISBURGENSIS.

§. I. *Prærogativæ Eccleſiæ Salisburgenſis in compendio recenſentur.* II. *De Statu illius à tempore fundationis ſuæ usque ad Arnonem.* III.

III. *Obtinet dignitatem Archiepiſcopalem.* IV. *Lis deſuper movetur à Patavienſibus, & quæ bujus litis initia, progreſſus, & finis.* V. *Quinam Epiſcopatus eidem ſubjecti?* VI. *In ſpecie de fundatione Epiſcopatuum Gurcenſis, Chiemenſis, Seccovienſis, & Lavantini.* VII. *In bis Archi-Epiſcopus Salisburgenſis habet jura Epiſcopalia olim dignitati Archi-Epiſcopali annexa, hodie ipſi ſoli propria nempe jus nominandi, confirmandi, & transferendi Epiſcopos quatuor Eccleſiarum prædictarum.* VIII. *Acceſſit dignitas legationis Apoſtolicæ per univerſum diſtrictum Metropolitanum.* IX. *Etiam per univerſam Germaniam.* X. *Adjiciuntur huic dignitati privilegia ſingularia legatis Cardinalibus propria, nempe præferendæ crucis, portandi habitum rubeum ſeu purpuram cum cappa & pallio, & equitandi in ſtationibus feſtivis ſuper Nachum.* XI. *Acceſſit Primatus Eccleſiæ.* XII. *Lis deſuper mota, & quid in hac cauſa actum.* XIII. *Pontifices hæc privilegia omni modo tuentur, & illibata conſervant.* XIV. *Ab Archiepiſcopis Salisburgenſibus non alia datur appellatio niſi ad Romanum Pontificem.* XV. *Habent privilegium conferendi Canonicatus in Menſibus Papalibus.* XVI. *Archi-Epiſcopi Salisburgenſes etiam qua Principes Imperii habent jura ſingularia, quæ in compendio recenſentur.* XVII. *Jam antiquitus Archi-Epiſcopi Salisburgenſes magna dignitate fulſerunt in Germania, in ſpecie fuerunt Archicappellani apud Reges & Principes, Archicancellarii, & Miſſi Dominici.* XVIII. *Recenſentur ipſorum ſingularia merita apud ſedem Romanam maxime tempore ſchismatum.* XIX. *Sunt illuſtres à ſanctitate vitæ.* XX. *A fundatione Ediſcopatuum & Monaſteriorum.* XXI. *De Synodis Salisburgenſibus.* XXII. *Quædam alia ſpecialia huc pertinentia recenſentur, & hactenus dictis adjiciuntur.*

§. I.

SI quæ eſt in univerſa Germania, ferme dixiſſem, in orbe Catholico Eccleſia, quæ in Hierarchia Eccleſiaſtica, imo etiam Politica, ſingulariſſimis, iisque prorſus eminentiſſimis gaudet prærogati-

tivis, ea profecto eſt Eccleſia Metropolitico-Salisburgenſis, quæ tot ſunt, ac tantæ, ut ſi cum juribus, præeminentiis, ac prærogativis aliarum Eccleſiarum comparentur, cæteras omnes quam longiſſime ſuperare videantur. Vindicat ſibi Eccleſia Salisburgenſis ſingularem prærogativam ex ſua antiquitate, ſanctitate, & (verbo ſit venia) Catholicitate, Apoſtolicitate, & unitate. Antiquitatem ſi ſpectemus, equidem negare non poſſumus, quod jam ante erectionem Eccleſiæ Salisburgenſis plures Eccleſiæ in Germania majori & minore, Cis- & Transrhenana ab ævo Apoſtolorum fuerint inſtitutæ (a). Attamen, ſi ad Rhætiam, & Noricum utrumque reſpiciamus, pauciſſimæ ferme ſunt, ſi Sabinianam, Laureacenſem, & Auguſtanam excipiamus, quæ Eccleſiam Salisburgenſem antiquitate, & ætate antecedunt (b). Ad ſanctitatem illius ſi attendamus, paucæ, aut ferme nullæ ſunt Eccleſiæ, quæ tot Epiſcopos & Archi-Epiſcopos prædicatione Verbi Divini, zelo Apoſtolico, virtutum meritis, & miraculorum gloria conſpicuos exhibet, ac Eccleſia Salisburgenſis (c). De Catholicitate per omnes ditiones Salisburgenſes quid dicamus? an non Eccleſia Salisburgenſis per tot ſæculorum decurſus Religionem Catholicam integram, illibatamque conſervavit, ut, etſi diverſarum ſectarum homines illius ditiones incoluiſſe, ſuoque veneno innumeram ferme incolarum multitudinem inflaſſe, quin etiam tumultibus rebellioni haud abſimilibus provinciam divexaſſe, & turbaſſe legamus, nunquam tamen id efficere potuerunt, ut illorum ſectæ locus relinqueretur, aut connubium cum Religione Catholica inire liceret. Nil potuere Albigenſes, quos in Alpes Salisburgenſes penetraſſe magni nominis Scriptores exiſtimant, nil Zwingliani, & Huſſitæ, quos in eas veniſſe longe eſt certius (d). Nil Lutherus ſeu per ſe, ſeu per ſuos, quorum Religio licet hinc inde firmas radices egerit, & labente hoc Sæculo in apertos tumultus proruperit, adeo tamen prævalere non potuit, ut ſedem fixam & immobilem obtineret, ſed maluere Præſules Catholiciſſimi notabiliſſimam proventuum ſuorum jacturam ſubire, quam cum diſpendio Religionis Catholicæ ſubditis liberum Religionis exercitium concedere. De unitate non modo fidei, Religionis, & doctrinæ, ſed etiam cum centro unitatis, quod in ſede Apoſtolica ſuſpicimus, quid dicamus? num aliqui Præſu-

(a) Vid. dicta in Diſſert. de Jure Parr. Germ. cap. 1.
(b) Eccleſia enim Salisburg vel ad finem Sæculi 6. vel initium 7. eſt fundata.
(c) Triginta numerantur Sancti, & Beati ex Præſulibus Salisburg.
(d) De hoc dicemus ultimo.

ſulum Salisburgenſium ab hoc centro receſſerunt? an non eidem immobiliter adhæſerunt, an non pro juribus Pontificiis tuendis, conſervandisque ſtrenue decertarunt, ſe ſeque inimicis Sedis Apoſtolicæ velut murum æneum oppoſuerunt? cujus rei unicum afferre liceat exemplum: quem latent diſſidia, lites, diſcordiæ, & ſchismata inter Gregoriuw VII. Pontificem, & Henricum IV. Imperatorem? eo deventum erat, ut Imperator ferme omnes Germaniæ Epiſcopos in ſuas partes traxerit, jamque ex illis omnibus vix unus alterve fuerit, qui Pontificis lateri adhæreret. Fuit hos inter paucos Gebhardus Archi-Epiſcopus Salisburgenſis, qui ea animi conſtantia, & fortitudine Pontifici adhæſerat, ut maluerit exul fieri, & per Novennium incertis vagari ſedibus, ſuamque Eccleſiam iniquis invaſoribus, præcipue vero rapaciſſimo lupo (intellige Berchtoldo Moſpurgico à Cæſare intruſo) in prædam relinquere, quam à fide Pontifici data vel latum unquem recedere. Pari animi conſtantia & animi fortitudine pugnaverunt alii. Ad prærogativas Eccleſiæ Salisburgenſis illiusque Præſulum in compendio recenſendas veniamus. Tanti olim habiti ſunt Præſules Salisburgenſes, ut Imperatoriis legationibus fuerint functi, in aulis Imperatorum Archicappellani vices ſuſtinuerint, nec non munia Miſſi Dominici aliquoties obierint. Tres autem potiſſimum ſunt prærogativæ, quibus Eccleſiæ Præſules inter ſe ipſos eminent, & ſicut ſtella à ſtella differunt, nempe dignitas Archi-Epiſcopi, Primatis, & Legati Nati. Has omnes in Præſulibus Salisburgenſibus coadunatas reperimus non ratione vulgari, ſed prorſus ſingulari nempe cum appendice talium jurium, qualibus cæteri Eccleſiarum Præſules, non per Germaniam duntaxat, ſed etiam per univerſum orbem Catholicum diſperſi, quibuscunque prærogativis inſignes gloriari nequeunt. (a) Verum & in Statu Politico & Imperii eminet Præſul Salisburgenſis. Eſt primus Princeps in ſcamno Principum Eccleſiaſticorum, gaudet jure Directorii in Comitiis, iisdem ferme axiomatibus, titulis, & honoribus, quibus gaudent Electores Imperii. De meritis in utramquə Rempublicam quid primo, quid ultimo dicamus? Interfuere Præſules Salisburgenſes Synodis tam Generalibus, quam particularibus celebrioribus, ipſi plures convocarunt Synodos, inſtituerunt Epiſcopatus, fundarunt Monaſteria, erexerunt ſcholas publicas: aut dicatur nobis, quid pro bono Eccleſiæ non fecerint,

(a) Hæc inter jura numeramus jus confirmandi, & transferendi Epiſcopos ab una ad aliam Eccleſiam.

rint, & tamen facere potuiſſent, aut ſaltem debuiſſent? Hæc uſque nunc in compendio dicta, jam enucleatius ſunt expendenda. Id unum præmonendum duximus, quod, quum ſcopus noſter alius non ſit, quam ipſas prærogativas Eccleſiæ Salisburgenſis exornare, in cæteris rebus ad ſtatum illius pertinentibus breves futuri, & difficultates in re hiſtorica occurrentes Hiſtoricis ſimus relicturi.

§. II.

ORdiamur à prima fundatione & erectione Eccleſiæ Salisburgenſis. Atque hic ſe mox prima pandit difficultas in determinando tempore, quo S. Rupertus ad oras Bojoariæ, & Salisburgum venit, ibique prima Eccleſiæ ſuæ fundamenta poſuit. Diverſas celeberrimorum Scriptorum Joan. Mabillonii, Joan. Aventini, Velſeri, Brunneri recenſet Mezgerus, & demum ſuam exponit. (a) Idem argumentum ſtudioſe verſatur Henricus Caniſius, & præcipue Hanſitius (b). Poſtquam igitur Rupertus Apoſtolicis, iisque innumeris laboribus defunctus per Bavariam, Noricum, Pannoniam, & alias Germaniæ provincias Religionem Catholicam prædicaverat, & innumeros homines, ac hos inter ipſum Ducem Bavariæ Theodonem ad Fidem Catolicam converterat, ad ſuperiores Norici partes contendit, venitque ad vicum lacui Wallario vicinum, ubi ſacram Ædem exſtruxit, quam Apoſtolorum Principi S. Petro dicaverat. Tandem ducente Numine Juvavium urbem in Norico quondam celeberrimam venit, ibique ope, auxilio, largiſſimisque donationibus Theodonis Ducis Bavariæ adjutus Eccleſiam S. Petro Apoſtolorum Principi dicatam ædificavit, & prima Epiſcopatus fundamenta jecit. Cætera ad vitam, ſanctitatem, labores Apoſtolicos, exſtructionem Monaſteriorum, Eccleſiarum, ſanctiſſimum vitæ obitum S. Ruperti ad nos non pertinent. Quoad ſucceſſores Ruperti, eorumque numerum ad Arnonem usque iterum non convenit inter Scriptores, dum quidam octo, alii non niſi quinque cum Mabillonio expunctis è Catalogo Epiſcoporum Anzologo, Savolo, & Ezio memorant, quorum litem noſtram non facimus (d). Inter hos eminuere SS. Vitalis, & Virgilius

(a) Hiſtor. Salisburg. in Diſſert. de antiq.
(b) Tom. 3. part. 2. pag. 269.
(c) Germ. ſacra Tom. 2. ſ. 34.
(d) Vid. Hanſitius pag. 66.

lius ambo vitæ ſanctitate, virtutum meritis, & miraculorum gloria illuſtres, quorum ultimus communiter Carynthiæ audit Apoſtolus. Occurrit hic memoriæ hiſtoria de quodam Virgilio, quem non pauci exiſtimant, fuiſſe hunc ipſum Virgilium Salisburgenſem. Hic, quum doceret, valere Baptismum ſub formula in nomine *Patrua*, & *Filia*, & *Spiritua ſancta* collatum, & dari Antipodes affirmaret, re per S. Bonifacium ad Pontificem delata à Zacharia Pontifice excommunicatus legitur: in hunc enim modum reſcripſiſſe fertur Pontifex ad Bonifacium: *Virgilium Philoſophum ab templo DEI, & Eccleſia depellito, Sacerdotio in Concilio abdicato, ſi illam perverſam doctrinam fuerit confeſſus.* Num Virgilius iſte fuerit noſter, de quo hic agimus, jure merito dubitatur (a). Jam

§. III.

EXplicata origine Eccleſiæ Salisburgenſis ad illam auſpicatiſſimam temporis Epocham veniamus, quo illa in Sedem Archiepiſcopalem fuit evecta. Mortuo Virgilio in Sede Epiſcopali (licet quidam medium interponant Berthricum Abbatem) ſucceſſit Arno Vir ſui ævi Clariſſimus, à ſuſceptis in ſe legationibus, rerum agendarum dexteritate, feliciter geſtarum multitudine & magnitudine Celeberrimus, quem tandem Leo III. Pontifex interventu Caroli M. Imperat., cujus nomine legationem ſubiit ad Pontificem, Archiepiſcopus fuit renunciatus, à quo & *Pallium & jus legationis, atque Archi-Epiſcopi titulum & dignitatem unaque & poteſtatem in Pannoniam, & Diœceſes Bavariæ Sabionenſem, Friſingenſem, Ratisbonenſem, Patavienſem, & Nivvenburgenſem obtinuit* (b). Bullam legendam exhibet Hundius (c), ſed illam Hanſitio ſuſpectam facit Cointius, & Pagius quo non obſtante aſſerit de erecta Metropoli, erectionis decreto, & privilegio Metropolitano dubitari non poſſe (d). In quo ſenſu Arno jus legationis obtinuerit, id quod ipſi expreſſe adſcribit Mezgerus, & Author Catalogi Abbatum S. Petri, id nos latere fatemur, hujus enim in allata Bulla nec verbo fit mentio: haud inaniter ſuſpicamur, id ideo factum eſſe, quod Arno Roma redux munere legati func-

(b) Vid. Baronius ad an. 748. & Nat. Alex. ad ſæc. 8. Böhmer ad Tit. de ſent. excom. ſaltem tempus, circa quod hæc contigerunt, incidunt in tempora S. Virgilii.

(b) Ita habet author Catal. Abbat. S. Petri ab Hanſitio, & Magf. P. Schmier in Jur. pub. lib. 3. cap. 2. ſect. 2 citatus.

(c) Germ. ſac. Tom. 2. Proleg.

(d) Vid. auth. cit. loc. cit. pag. 143.

ctus ſit tum ad Imperatorem, tum ad partes Pannoniæ & Bojariæ, cujus curam aut vicariatum Apoſtolicum ipſi Pontifex demandaverat. Mortuus enim jam fuerat Bonifacius, qui non per Bojariam tantum, ſed univerſam Germaniam authoritate Vicarii Apoſtolici pollebat, à cujus obitu Regnum Bavarorum à Vicariatu Apoſtolico vacabat, quare in ipſius locum pro partibus Bojariæ ſubrogatum fuiſſe Arnonem, inde colligimus, quod tum Agapetus II. expreſſe dicat, Arnonem ad dignitatem Archiepiſcopalem fuiſſe evectum, quod *regnum Bojaoriorum vocaret à Vi ario Apoſtolico* (a), tum quod Benedictus VII. in literis pro Pilegrino Laureacenſi ſatis clare dicat, quod ad dignitatem Metropolitanam Archiepiſcopi Salisburgenſis in cumulum acceſſerit poteſtas Vicaria, ſeu legatio Sedis Apoſtolicæ per univerſum diſtrictum Metropolitanum, ſeu Provinciam jurisdictione Metropolitana contentam, id eſt, per Noricum, Bojariam, ac partem Rhætiæ, olim etiam per Pannoniam, Bohemiam, Moraviam, quæ dignitas primum collata Arnoni, quando regno Bojariorum Apoſtolico Vicario vacante ipſe ſubrogatus eſt (b).

§. IV.

NOva hæc dignitas Metropolitica Arnoni ex immenſis meritis collata, atque illud præprimis, quod Pannonia noviter armis Francorum recuperata primitus à Pipino an. 79. ſub conditione, ſi Carolus parens ratihabuerit, & poſtea à Leone III. per cit. Bullam ſubjecta, & hæc ipſa ſubjectio à Carolo M. an. 803. fuerit confirmata, mirum in modum concitavit Epiſcopos Patavienſes: hi enim, quum crederent, quod una cum ſede Epiſcopali Laureacenſi omnia jura, prærogativæ præeminentiæ ac privilegia ſedi cohærentia ad Eccleſiam Patavienſem transmigraverint, non modo dignitatem Metropoliticam noviter Epiſcopo Salisburgenſi collatam indignante ſuſpexerunt oculo, ſed illud præprimis, quod Pannonia noviter erepta, in quam notorie antehac Epiſcopi Laureacenſes ſuam jurisdictionem extenderant, Arnonis curæ, ſollicitudini, ac poteſtati fuerit commiſſa. Ab eo ergo tempore ferme continuæ fuere lites inter Archi-Epiſcopos Salisburgenſes, & Epiſcopos Patavienſes, qui ſe etiam paſſim Epiſcopos Laureacenſes ſcripſerunt. Nos itaque operæ pretium facturos eſſe exiſtimavimus, ſi rei ſeriem in compendio ſine læ-

(a) Idem in Proleg. pag. 8. (b) Idem pag. 142.

tæſione juris cujuscunque referamus; quum non omnibus proſtent libri, in quibus ſimilia leguntur, vel ſi ad manus ſint, legentibus difficillimum accidat, ſibi hac ſuper re ſyſtema quoddam facere, quum res geſtæ non veluti in uno continuo, ſed hinc inde, vitis Epiſcoporum inſertæ legantur. Tres igitur periodos ſtatuamus, primam à tempore Walderici usque ad Pilgrinum, poſt cujus mortem titulus Archiepiſcopi in Epiſcopis una cum lite ſuper dignitate Metropolitica deſiit. Alteram ab eo tempore, quo Epiſcopi Patavienſes non jam dignitatem Metropoliticam, ſed exemptionem à jurisdictione Archiepiſcopi Salisburgenſis aliquoties maxime ſub Georgio & Sebaſtiano Epiſcopis quæſierunt, & tempore ſchismatis Pontificii etiam obtinuerunt; ſed iterum per Bullam Martini V. amiſerunt, & tertiam à tempore ſæculi elapſi, quo ſub Joanne Erneſto hæc controverſia de novo recruduit.

Quandonam hæc lis ſuum ortum habuerit, non adeo liquet: ſedem Epiſcopalem Patavii tenebat Waldericus, Vir jam profectæ ætatis, quando Arno fuit renunciatus Archiepiſcopus: num hic proteſtationem, vel appellationem interpoſuerit, aut propter deſperatum felicem rei eventum & potentiam Arnonis tum apud Pontificem tum apud Imperatorem quamplurimum valentis cauſam eſſe interea diſſimulandam putaverit, haud facile dixeris. Verum vix fatis conceſſerat Wallericus, quum ſucceſſor illius Urolphus ſeſe Archiepiſcopum Laureacenſem geſſit, & vel maxime Pannoniam Arnonis Juvavienſis procurationi à Carolo demandatam non obſtante decreto Caroli, vindicare contendit, & propterea ab Arnone, eo quod ipſum Patavienſes ſine juſſu Arnonis elegerant, dignitate Epiſcopali exutus, & in illius locum Hatto fuit ſuffectus. Itaque Urolphus in Pannoniam profectus ibidem vices Epiſcopi obivit, & vel maxime converſioni infidelium incubuit, atque omnem curam in id intendit, ut ſeptem Eccleſias Epiſcopales olim Archiepiſcopis Laureacenſibus ſubjectas repararet, & res ſuas tam feliciter & auſpicatiſſimo eventu egit, ut quatuor Epiſcopatus inſtituerit, duos in Moravia, & duos in Pannonia (a). His ita peractis Urolphus Romam contendit, ubi ad Clavum Eccleſiæ ſedit Paſchalis Pontifex. An apud hunc rem ſuam egerit Urolphus, non conſtat. Dubitandi cauſam ſuppeditat, quod Adalramus ſucceſſor Arnonis Pallium Archiepiſcopale ultra triennium non obtinuerit. Longe auſpicatiori even-

(a) Nempe in Marovia Ppeculunenſem, & Aitrucienſem, in Pannonia Favianenſem, & Vetvarenſem. De duobus ex his, ubinam fuerint, conſtat, nempe Farianenſi, & Nitravienſi, non de cæteris.

eventu cauſam ſuam egit Urolphus coram Eugenio II., à quo interrvenientibus precibus Ducum & Magnatum Pallium & Vicariatum Apoſtolicum per Maraviam & Pannoniam obtinuit (a). Bullam refert Hanſitius (b). Reſtitit Adalramus Juvavienſis, & conceſſioni Leonis III. ac Caroli M. inhærens jus Metropolitanum in Maraviam & Pannoniam ſibi vindicavit, atque à Pontifice interventu Lotharii Auguſti Pallium obtinuit: quare hoc tempore idem accidiſſe videtur, quod poſtea tempore Agapeti II., quo duo fuere Metropolitæ per Bavariæ regnum, nempe Juvavienſis per Occidentales, & Urolphus per regiones Orientales acciderat. Verum, quod bene eſt animadvertendum: Vicariatus hic Apoſtolicus una cum pallio unice collatus fuit Urolpho tanquam Archi-Epiſcopo Regionario ad prædicandum Evangelium miſſo, adeoque oſſibus perſonæ inhærebat: neque enim ſtabili, ac ſolemni ſanctione dignitas Metropolitica Eccleſiæ Laureacenſi fuiſſe collata legitur. Rem aptiſſimo illuſtremus exemplo: ſic de Bonifacii Moguntini Vicariatu Apoſtolico ſcribunt, quod ille quoad partes Galliæ non fuerit perpetuus, imo etiam quoad Germaniam ad aliquod tempus illumceſſaſſe quidam exiſtimant. Utrum eo tempore Eccleſia Patavienſis à Laureacenſi fuerit diviſa, nolumus inquirere. Atque ab hoc tempore controverſia hæc quievit, & velut dormivit, usque ad an. 937. Quando Gerhardus Epiſcopus Patavienſis à Leone VII. una cum pallio pro Archiepiſcopatu Laureacenſi Vicariatum Apoſtolicum obtinuit, & hoc modo dignitatem Archiepiſcopalem annis 140. Laureaco exulantem revocavit (c). Sed acriter contra nitebatur Herolphus Juvavienſis Antiſtes, eoque rem deduxit, ut Agapetus II. Papa ad componendam diſcordiam æquis partibus rem dirimere, & diviſis provinciis utrique Antiſtiti Metropolitanam poteſtatem ſervare ſtatueret. Ea ergo ratione facta fuit partitio, ut Occidentales manerent ſub cura Herolphi Juvavienſis, orientales cum Moravorum regione Gerardo parerent, delatis ſimul utrique per illas partes juribus, ita tamen, ut primum locum haberet Laureacenſis. Verum defuncto Gerardo Fridericus Salisburgenſis Præſul à Benedicto VI., in quem ſedes Pontificia translata fuit an. 972., ſolus iterum recuperavit jus Metropoliticum & vi-

ces

(a) Maravica Eccleſia Paſſavienſibus eodem ſæculo fuit ſubducta, & Methodium Metropolitam accepit, quidquid contradixerint Bavariæ Epiſcopi, & Paſſavienſis. Sed nova hæc provincia Moravica mox intercidit.

(b) Tom. 1. Germ. S. pag. 149.

(c) Bullam exhibet Hanſitius loc. cit. pag. 191.

ces Apoſtolicas per totam Noricam provinciam, & utramque Pannoniam, & ſucceſſor Gerardi Adelbertus pallio caruit ſolo nomine Epiſcopi Laureacenſis contentus eſſe juſſus. Et en! novam rerum faciem. Piligrinus ſucceſſor Adalberti convertendis Hungaris feliciter intentus iterum à Benedicto VII. pallium obtinuit, atque id impetravit, ut Salisburgenſis, & Laureacenſis Diœceſeos termini ad formam ab Agapeto II. conſtitutam ponerentur, cum hoc tamen diſcrimine, ut ordo præcedendi non eſſet unice, ceu Agapetus decreverat, penes Laureacenſem, ſed ut ille præcederet, qui eſſet ordinatione prior (a). Huic rei acceſſit authoritas Ottonis II. Imperatoris, qui Laureacenſis Eccleſiæ dignitatem Metropoliticam renovavit, & Piligrinum in jus, atque titulum Anteceſſorum reſtituit (b). Verum neque hæc Paſſavienſium poſſeſſio fuit diuturna, ſiquidem Pannonia paulo ante à Piligrino recuperata à cura Paſſavienſium fuit avulſa, poſtquam Stephanus Rex Pannoniæ proprios impetravit Epiſcopos. Hinc ſucceſſor Piligrini Chriſtianus in Diplomatibus Ottonis III. jam non amplius Archiepiſcopus Laureacenſis, ſed Patavienſis audit Epiſcopus, atque ab eo tempore Paſſavienſium de jure Metropolitico cum Salisburgenſi æmulatio fere ceſſavit ea fortaſſis ex ratione, quod jam diſtrictum illum Pannoniæ, in quo jus Metropoliticumexercuerunt, amiſerint, jamque Archiepiſcopos Salisburgenſes ſublimioribus honorum, ac dignitatum titulis exornatos cernerent (c).

Ad ſecundam veniamus periodum: itaque ab illo tempore Patavienſes non jam amplius de jure Metropolitico quam exemptione ab Archiepiſcopali dignitate cum Salisburgenſibus contenderunt. Primus, qui exemptionem à Joanne XXIII. Pontifice tempore Concilii Conſtantienſis Eberhardo Archiepiſcopo Salisburgenſi non audito, nec vocato obtinuit, fuit Georgius Epiſcopus Patavienſis ex illuſtri Hohenlohiorum familia progenitus. Duravit hic ſtatus, quamdiu duravit Concilium, utpote quod Pontifici & Epiſcopis in alia majora Eccleſiæ negotia diſtentis cauſam hanc examinare non liceret, donec Martinus V. ad Apoſtolicum faſtigium promotus in plenario Patrum conſenſu an. 1418. omnes & ſingulas exemptiones à tempore Gregorii XI., quo ſchisma illud magnum ſua

Dd ha-

(a) Alibi diximus, quod primis Eccleſiæ ſæculis Epiſcopi ſuos annos numeraverint à tempore conſecrationis Epiſcopalis, & ille honorem præcedentiæ & conſeſſus habuerit, qui ordinatione fuit antiquior.

(c) Eo enim tempore jam Gebhardus munere legati Apoſtolici fungebatur.

habuit initia, obtentas irritas, & invalidas declaraverit. Verum invigilante ſuis juribus Georgio biennio poſt factum eſt, ut novo diplomate Florentiæ edito exemptionem à Joanne XXIII. factam reſtitueret, & firmaret. Porro autem non poterat Eberhardus Salisburgenſis æquo animo ſuſtinere exemptionem ſibi ſuæque Sedi tantopere præjudicioſam: quare querela apud Pontificem depoſita id obtinuit, ut Martinus non modo conceſſionem à Joanne XXIII. ceu minus legitime factam, ſed etiam ſuum indultum tanquam per circumventionem & importunam inſtantiam obtentum penitus in irritum reduxerit. Quoniam vero Paſſavienſes ſuis privilegiis inſiſterent, iterato decreto Pontifex illa reſcidit, & Eccleſiam Salisburgenſem in plenum Jus Metropoliticum, & legationis non tantum, ſed etiam jurisdictionis poteſtatem ante decretum Joannis XXIII. poſſeſſam reſtituit, atque id unice in gratiam Georgii Præſulis Paſſavienſis indulſit, ut ipſe ad dies vitæ exemptione cum ipſo penitus intermoritura gauderet (a). Similem exemptionem obtinere nitebantur Chriſtophorus, & ultimo Sebaſtianus anno 1651. uti ſcribit Maſcovius (b), de quo tamen altum ſilet Hanſitius.

Ad tertiam periodum delabimur. Itaque hæc antiqua controverſia circa finem ſæc. elapſi recruduit, eamque ad Pontificem Innocentium XII. detulit Joannes Erneſtus Archiepiſcopus Salisburgenſis, & an. 1691. ſententiam obtinuit in hanc formam: *Conſtare de Jure Metropolitico Eccleſiæ Salisburgenſis etiam ad effectum Manutenentiæ.* Hoc judicio ad judicium Imperii Aulicum delata, cenſuit illud an. ſeq. 20. Martii *reſolutioni coram ſupremo judice nihil contrarium eſſe ſtatuendum.* Jamque ſententia definitiva publicanda erat, quum interceſſit Leopoldus Imperator, idque obtinuit, ut ſententia in annum differretur. Hac ſuper re dum conſultatur Rota Romana, hæc an. 1693. ſequentem tulit ſententiam: *Archiepiſcopo Salisburgenſi pro tempore exiſtenti licuiſſe & licere in Eccleſiam & Epiſcopum Paſſavienſem &c. jus Metropoliticum, & omnes actus juris Metropolitici plene & omni modo exercere, nec conſtitiſſe, nec conſtare de aliqua exemptione ſeu libertate Eccleſiæ, & Epiſcopi Paſſavienſis, ejusque civitatis, & Diœceſis à jure Metropolitico Eccleſiæ Archiepiſcopalis Salisburgenſis & ſuffraganeitate erga illum, ejusque Archiepiſcopos.* Appellavit Epiſcopus Paſſavienſis à ſententia, & deſerta via juſtitiæ ſub potentiſſima commendatione Leopoldi Imperatoris ad viam gratiæ recurrit, petiitque, ut Pontifex Eccleſiam ſuam vel imme-

(a) In Differt. de Primat. § 52.
(b) Hæc fuſius refert Hanſitius Tom. 1. pag. 792. & Maſcov. loc. cit.

mediate in ſuam reciperet poteſtatem, vel Archiepiſcopali ornaret dignitate. Archiepiſcopus rem detulit ad comitia Imperii. In his plerique novam Metropolin averſabantur, haud inaniter metuentes, ne inſtaurato jure Eccleſiæ Laureacenſis ordo conſeſſus in comitiis turbaretur, & quamvis Imperator replicaret, quod Epiſcopi in comitiis ſuffragia non ſecundum dignitatem Eccleſiarum, in Synodis vero ſecundum ordinationem antiquiorem darent, aliud tamen non fuit obtentum, niſi ut Pontifex utrique Præſuli ad dies vitæ ſilentium imperaret. Demum ad potentiſſimam interceſſionem Caroli VI. Imperatoris Benedictus XIII. necquicquam contradicente Archiepiſcopo Salisburgenſi an. 1728. Epiſcopus Paſſavienſis à jurisdictione Archiepiſcopali Salisburgenſi exemptus fuit, ita ut poſthac non niſi quoad Synodalia maneret ſubjectus. Hæc, quum omnibus & ſingulis nota ſint, & in omnibus libris legenda proſtent, ſine ullius præjudicio à nobis poſſe ſcribi exiſtimavimus.

Abſit, ut nos quæſtioni Juris deſuper motæ immiſceamus, tota quæſtio & quæſtionis difficultas in eo eſt, an una cum Epiſcopatu Laureacenſi etiã jura, & privilegia huic Eccleſiæ cohærentia ad Eccleſiam Paſſavienſem fuerint translata, vel, an potius novus fuerit Epiſcopatus conſtitutus? Vivilonem Epiſcopum Laureacenſem exciſo Laureaco eo ſecuritatis gratia convolaſſe, & ibidem Epiſcopatum inſtituiſſe ſcimus, ſed num ipſe eo ſecum potuerit transferre jura & privilegia ſedi Laureacenſi cohærentia, eaque cõmunicare Epiſcopatui noviter erecto alia eſt quæſtio. Profecto talia jura non dependere ab arbitrio Epiſcoporum ſuas ſedes de loco ad locum transferentium, ſed ab authoritate Pontificis ſimiles prærogativas concedentis, nemo eſt qui dubitet. Scimus quam optime regulam communem, qua docemur, quod, quando fit unio Eccleſiarum, fiat quoque communicatio jurium & privilegiorum, ita ut Eccleſia, cui fit unio, retineat ſua privilegia antiqua, & inſuper privilegia Eccleſiæ unitæ anteriora, ſi ſint pinguiora, per mutuam communicationem recipiat. Verum ante omnia hæc unio velut authoritate legitima Pontificis facta probanda erit, & tunc facile ipſa etiam communicatio privilegiorum probabitur. Ad hæc probandum erit, quod Vivilo illiusque ſucceſſores jus Metropoliticum antea inhærens Eccleſiæ Laureacenſi Patavii exercuerint, quod tanto erit difficilius, quanto major eſt authoritas ſcriptorum, & ipſorum Pontificum, qui de contrario teſtantur. Affert inprimis Mezgerus literas, in quibus Laureacenſes ſede jam Patavium translata, vocantur ſimpli-

ces Epiſcopi (a). Affirmat Pagius, quod, dum, priusquam Eccleſia Juvavienſis in Metropoliticam evecta fuit, jam diu antea à ſede Laurecenſi dignitas Metropolitica exulaverit, & in regno Bojariorum nullus fuerit Archi-Epiſcopus (b). Agapitus II. diſerte ait, Arnonem non ex alia cauſa fuiſſe creatum à Leone Archi-Epiſcopum, niſi quod Regnum Bavariorum vacaret à Vicario Apoſtolico (c). Et quare nullo verbo novæ huic inſtitutioni Archi-Epiſcopatus Juvavienſis contradixit Walericus, quem probabilius adhucdum in vivis exſtitiſſe exiſtimamus, ut nihil dicamus, quod alipui putent, quorum tamen ſententiam neutiquam adoptamus, ipſum Waldericum pro Arnone peroraſſe (d). Iterum proteſtamur, quod hæc ſalvis juribus cujuscunque dicta velimus. Placuit hæc ſimpliciter referre, quin ſeu unam ſeu alteram ſententiam noſtram faciamus.

§. V.

EX Bulla Leonis III. conſtat, quod Eccleſiæ Juvavienſi quinque fuerint ſubjectæ Eccleſiæ Epiſcopales ceu Suffraganeæ, nempe Brixinenſis, Friſingenſis, Regionenſis ſeu Ratisbonenſis, Patavienſis (e) & Niwenburgenſis ſeu Neoburgicus, quarum ultimam exciſam eſſe ſcimus. Supervenere quatuor aliæ ab Archi-Epiſcopis Salisburgenſibus fundatæ, Gurcenſis, Chiemenſis, Seccovienſis, & Lavantina. Jam de his quatuor ſingulariter nobis eſt videndum.

§. VI.

NUlla adeo fæcunda fuit hactenus Eccleſia Archi-Epiſcopalis, ex qua tot prodiere filiæ Epiſcopales, ac Juvavienſis. Atque hoc ipſum eſt, quod Præſulibus Juvavienſibus immortali cedit gloriæ, quod maluerint ſuæ Archi-Diœceſi arctiores limites ponere, quatenus bono Eccleſiæ & ſaluti animarum melius conſultum foret, quam illius diſtrictum in plures provincias protendere. Inter memorabilia S. Wolfgangi refertur, quod dismembrationem, & Bohemis proprium dari Epiſcopum conceſſerit: cur id non miremur in Præſulibus noſtris? an non ſæpe contradixere vehementer Epiſcopi & Archi-

(a) Lib. 3. cap. 4. in Annot.
(b) Citat illum Hanſitius Tom. 1. pag. 142.
(c) Hanſitius Tom. 1. p. 143.
(d) Inter hos ſunt Brunnerus lib. 6. Adlzreiterus part. 1. lib. 8. Hiſt. Boi.
(e) Bullam exhibet Aventinus, Hanſitius, & Mezgerus.

chiepiſcopi erectioni novorum Epiſcopatuum? Et en! Archiepiſcopi Salisburgenſes ipſi novos erexerunt Epiſcopatus. Itaque primus, qui novum Epiſcopatum erexit, fuit Gebhardus, qui cum conſenſu Alexandri II. Pontificis fundavit Epiſcopatum Gurcenſem an. 1072. Veſtigia Gebhardi ſecutus fuit Eberhardus II. qui eadem ratione ductus, ut nempe onus Archiepiſcopale humeris ſuis incumbens alleviaret, & bono animarum melius proſpiceret, tres omnino Epiſcopatus erexit nempe Chiemenſem, Seccovienſem, & Lavantinum, de quorum ortu & incrementis, aliisque ad ipſos pertinentibus agere noſtri non eſt inſtituti, quippe qui calamum noſtrum unice dicavimus recenſendis, exornandisque prærogativis Eccleſiæ Salisburgenſis, cætera omnia Hiſtoricis relinquentes.

§. VII.

JAm ad primariam, eamque cæterarum omnium, quibus Eccleſia Salisburgenſis gaudet, prærogativarum Principem delabimur, nempe ad *jus nominandi, confirmandi, inveſtiendi, tansferendique Epiſcopos*, quatuor Eccleſiarum Epiſcopalium, mox antea recenſitarum. Antequam harum prærogativarum ſublimitatem expendamus, viſum fuit hæc ipſa jura in tuto collocare, de quibus non dubitare ſinunt Bullæ Pontificiæ plures tam ſuper erectione horum Epiſcopatuum, quam jure Archi-Epiſcoporum in illorum nominationibus, confirmationibus, Inveſtituris, & translationibus competente emanatæ. Proſtant Bullæ Alexandri II. & III. Lucii III. Honorii III. & Innocentii III. & Nicolai V. quas refert Mezgerus. Ex his tres, una Nicolai V. altera Pauli II. & tertia Clementis VII. ſingulari mentione dignæ ſunt, in quarum prima de an. 1448. laudatus Pontifex approbat, & confirmat liberam Archiepiſcoporum Salisburg. diſpoſitionem, & proviſionem ſuper Epiſcopatibus ſibi ſubjectis, & ita quidem, ut eis ne quidem per Concordata Germaniæ, quibus reſervationes antea à Pontificibus factæ iterum reſuſcitatæ, vel confirmatæ, eisque jus confirmandi omnes & ſingulos Germaniæ Epiſcopos fuit reſervatum, & ſtabilitum, derogatum ſit aut derogari valeat. In altera vero de an. 1466. Paulus II. concedit jus acceptandi reſignationes Epiſcopatuum cum jure plene Eccleſiæ vacanti providendi. In tertia autem Clemens VII. hæc jura eousque extendit, ut Archi-Epiſcopis Salisburgenſibus ſua jura in ſalvo manere debeant, etiamſi Epiſcopatum apud Sedem Apoſtolicam vaca-

re contigerit (a). Jam has prærogativas non nihil expendamus: tales certe ac tantæ hæ ſunt, ut in his præcipue plenitudo dignitatis Archiepiſcopalis contineri videatur. Habuere Metropolitæ ferme omnes jus confirmandi Epiſcopos, illudque ferme per 12. Sæcula exercuerunt. Porro autem exciderunt hoc jure, poſtquam Pontifices illud ſibi ſolis reſervarunt, & tam conſtanter ac immobiliter retinuerunt, ut ne quidem per Concordata Germaniæ, cum Pontitifice inita, etſi paciſcentes reſtringendis juribus Pontificiis, & poſtliminio vindicandis juribus Metropolitarum & Epiſcoporum totis viribus incubuerint, remque eo deduxerint, ut gratiæ exſpectativæ abolerentur, & jus liberum eligendi Epiſcopos Capitulis reſtitueretur, amplius vindicari potuerit. Profecto ne ipſi quidem Galli utut jurium ſuorum ſtudioſiores, ſuarumque libertatum Gallicanarum vindices imperterriti jus confirmandi ſeu per ſuam duriorem *ſanctionem* pragmaticam, qua decretum Concilii Baſileenſis conſolidarunt, ſeu per Concordatum Gallicum inter Leonem X. & Franciſcum I. vindicare potuerunt, ut adeo ſola Eccleſia Salisburgenſis ea ſit, in qua Jurisdictionis Epiſcopalis plenitudo velut in centro coadunata coruſcat, hæc ſola ſit, quæ jurium antiquorum characteri Archiepiſcopali cohærentium poſſeſſione ſeſe tuetur, eaque ſua authoritate ita ſuſtentat, ut in ea velut in ſpeculo pulcherrima reſplendeat imago jurium Archiepiſcopalium, illorum præcipue, quæ antiquior Eccleſia Metropolitis aſſeruit, ac novior Eccleſiæ diſciplina eisdem ſubtraxit. (b)

Jam jus transferendi Epiſcopos ab una ſede Epiſcopali ad aliam, vel potius juris hujus ſublimitatem non nihil expendere liceat. Res notiſſima eſt, quod inter Epiſcopum & Eccleſiam intercedat matrimonium ſpirituale, quod per electionem fit *incboatum*, uti loquitur Innocentius III. (c). Per confirmationem *ratum*, &per conſecrationem *conſummatum*: atque inde eſt, quod Eccleſia ſpontaneas dimiſſiones Eccleſiarum, ac tranſitiones ad alias Eccleſias inſtar adulterii ſpiritualis habuerit, atque in contra facientes graviſſimas pœnas ſtatuerit, ita ut Synodus Sardicenſis (d) illis, qui relictis propriis ſedibus alienas invaſerunt, communionem *laicam* etiam in articulo mortis denegari præceperit, & quidem adeo tenax fuit Eccleſia hujus

(a) Has Bullas omnes exhibet Mezgerus lib. 6.

(b) Hæc plenius excuſſimus in Orat. quam diximus, dum modernus Celſiſſimus Arcpiepiſcopus &c. &c. (Tit.) Joannem Bapt. Comit. de Turri confirmaverat Epiſcop. Lavantinum.

(c) Can. 1 & 2. communio laica erat illa; quam Clerici in pœnam delicti extra Sacrarium cum cæteris laicis percipere debebant.

jus diſciplinæ, ut non legamus alium ad Sedem Romanam transmigraſſe ante Formoſum Pontificem circa finem Sæc. 9. qui relicta ſede Portuenſi, cujus erat Epiſcopus, tranſiit ad Romanam, quod factum ita commovit Stephanum VII. illius ſucceſſorem, ut corpus defuncti exhumari, per urbem publice trahi, raptarique, ac in Tyberin projici juſſerit, non aliud factum eidem exprobrans, quam tranſitionem ab una ad aliam Eccleſiam acclamando; *cum Portuenſis eſſes Epiſcopus, cur ambitionis ſpiritu Romanam univerſalem ſedem uſurpaſti?* Etſi factum iſtud à nemine Hiſtoricorum approbari optime ſciam, nihilominus illud adducere placuit, ut appareat, quam exoſæ fuerint Eccleſiæ tranſitiones, imo etiam translationes Epiſcoporum ab una ad aliam Eccleſiam, ſicut mox dicemus: nam etſi tales translationes non raro factas eſſe legamus, attamen non fiebant ſine graviſſima ratione & non niſi cum ſumma circumſpectione. neque enim aliter fiebant, aut fieri poterant translationes niſi in Synodis particularibus (a) aut aliquoties à Metropolitis; hanc diſciplinam ad Sæc. usque 9. viguiſſe teſtatur Thomaſinus, usque dum partim propter infrequentiam Synodorum particularium, partim ob languidum uſum Jurisdictionis Metropoliticæ, partim etiam ex eo capite, quod poteſtas Archiepiſcoporum non amplius ſufficiens foret infringendæ ambitioni Epiſcoporum ad alias Eccleſias transmigrantium jus transferendi ad Pontifices fuerit devolutum, ac demum Innocentius III. illud ſibi ſoli reſervaverit (b), ubi id ſingulariter animadvertendum, cit. Pontificem aſſerere, quod DEUS Matrimonium ſpirituale ſoli ſuo judicio diſſolvendum reſervaverit, hocque Matrimonium difficilius longe quam carnale diſſolvi queat, ex quo Doctores occaſionem ſumpſerunt docendi, translationem Epiſcoporum omnino eſſe juris divini: porro autem, quamvis nos horum Doctorum ſententiam nunquam noſtram fecerimus, atque verba Innocentii in ſenſu accommodo eſſe accipienda non dubitemus, ſecus enim nimium probaret, nempe quod Matrimonium ſpiſpirituale conſummatum ne quidem authoritate Pontificis, haud ſecus, quam carnale, diſſolvi poſſet, attamen hæc ideo dicta volumus, ut inde appareat, quam excelſum, & ſublime ſit jus transferendi Epiſcopos Sedi Archiepiſcopali Salisburgenſi annexum.

Verum enim vero haud ſecus Bulla Clementis VII., qua Archiepiſcopis Salisburgenſibus ſtabilitur jus conferendi Epiſcopatus etiam apud Sedem Apoſtolicam vacantes, ſingularem meretur attentio-

(a) Vid. Can. Apoſt 14. Concil. Carthag. 3. Can. 27.

(b) Vid. cap. 1. 2. & 3. de transl. Epiſc.

tionem. Inter alias reſervationes generales, quas fecerunt Pontifices, illa eſt omnium prima, antiquiſſima, & fortiſſima, quam fecit Clemens IV. in cap. 2. de Præb. in 6., quæ communius ſolet vocari clauſa in corpore juris, & in qua ſibi reſervavit omnia beneficia apud Sedem Apoſtolicam vel in curia Romana vacantia. Atque hæc reſervatio tanti erat roboris, ut, licet in Concilio Baſilenſi cæteræ reſervationes Pontificiæ caſſatæ fuerint, hæc tamen ſola in ſuo robore perduraverit, & uſum etiam in Galliis obtinuertt, neque ulla in Germania ſit Eccleſia, in qua, præcipue quoad Epiſcopatus vacantes, non obtineat. Itaque ſola iterum Eccleſia Salisburgenſis eſt, quæ in Epiſcopatibus ſibi ſubjectis nullam prorſus reſervationem attendit.

Atque in poſſeſſione horum jurium Eccleſia Salisburgenſis hactenus firma ſtetit, & immobilis. Et quidem quoad jus confirmandi proſtant innumera præjudicia, quoad jus vero transferendi ex pluribus quatuor adduxiſſe ſufficiat: ſic enim Fridericus II. an. circiter 1279. Joannem Chiemenſem tranſtulit ad ſedem Gurcenſem in locum defuncti Theodorici (a). Georgius Agricola ab Epiſcopatu Lavantino translatus fuit ad Epiſcopatum Gurcenſem an. 1572. Maximilianus Gandolphus primum Epiſcopus Lavantinus à Guidobaldo Archiepiſcopo Salisburgenſi obtinuit Epiſcopatum Seccovienſem. Noviſſimum exemplum habemus in Leopoldo Eleutherio, quem Franciſcus Antonius ex comitibus ab Harrach à ſede Lavantina ad Seccovienſem tranſtulit an. 1718. 8. Maji. Pro re hac illuſtranda placuit adducere Diploma Joannis, quo Laurentium ab Eccleſia Lavantina ad Gurcenſem, & Hermanum à Gurcenſi ad Lavantinam tranſtuliſſe legitur, quod præmiſſis cæteris ita habet.

Nos poſt plurima, quæ circa hæc ſatagebamus adhibere remedia, conſideratis ſingulis ponderandis pro eadem Gurcenſi Eccleſia à majoribus præſervanda periculis conſultius eſſe reperimus utilitate & neceſſitate ſuadentibus dictum proviſum ad aliam, quam ab omni impedimento nanciſci valeret, Eccleſiam promovere, & hinc ipſo proviſo hujusmodi Gurcenſi, venerabilique fratri noſtro Domino Laurentio Epiſcopo Lavantino eidem Lavantinenſi Eccleſiæ, omnique juri utrique illorum in illis competentibus in noſtris manibus reſignatis, & reſignationibus ipſis per nos dictorum privilegiorum authoritate receptis, & admiſſis Domino Laurentio ab eo, quæ Lavantinæ, & Hermano eisdem ab illo, quo Gurcenſibus Eccleſiis vinculis tenebantur abſolutis, Laurentium ad Curcen, & Hermanum prædictum ad Laventinas Eccleſias authoritate privilegiorum hujusmodi tranſtulimus,

(a) Hujusmodi exempla occurrunt hinc inde in Mezgero, & Hanſitio.

& patentibus duximus transferendos. Datnm, & actum Salzburge in curia noſtra Archi-Epiſcopali Anno 1433. En! in hoc Diplomate Archi-Epiſcopus ambos Epiſcopos à vinculo ſpiritualis Matrimonii cum ſuis Eccleſiis contractis abſolvit, & cum alia per translationem conjungit. Hæc quum ita ſe habeant, mirum non eſt, quod teſte Pallavicino in hiſtoria Concilii Trident. (a) hæc tam ſingularis, & in toto orbe Catholico inaudita prærogativa apud Patres ibidem congregatos ſummam excitaverit admirationem, & ſcriptores paſſim ſcribere non dubitent, *hoc ipſum eſſe exemplum ſine exemplo, quod ſciatur in tota Eccleſia* (b). De Eccleſia Gurcenſi id unum addimus, quod ſuper jure nominandi, & eligendi variæ fuerint lites, quas ſimpliciter præterire libet, ſpecialiter etiam inter ſereniſſimam Domum Auſtriacam, & Archiepiſcopos Salisburgenſes, usque dum inter Ferdinandum I. Imperat. & Mathæum Langium Archiepiſcopum Salisburgenſem an. 1535. conventum fuerit, quod Domus Auſtriaca ad Eccleſiam Gurcenſem ſucceſſive duos, tertium vero Archiepiſcopus nominare poſſit ſalvo tamen jure confirmandi & conſecrandi etiam illos Epiſcopos, quos Domus Auſtriaca nominaverit.

§. VIII.

ALtera Archiepiſcoporum Salisburgenſium prærogativa eſt, quod ſint Legati Nati Sedis Apoſtolicæ. Primus igitur, qui legatione Apoſtolica per Noricum, Bojariam, ac partem Rhætiæ functus fuerat, fuit Arno, prout in anterioribus meminimus. Hæc dignitas traducta fuit ad ſucceſſores, cujus teſtimonium habemus in quodam Poeta Anonymo, qui in quodam ſuo opuſculo, quod edidit Mabillonius & Pezius (c), de Luipramo ſecundo ab Arnone ſucceſſore hunc in modum canit.

Poſt hunc ſucceſſit Luipramus rite Sacerdos
Functus Apoſtolici munere Gregorii.

§. IX.

SUbſtitit vero hæc legatio intra ſines Bojariæ, ac primum ſub Gebehardo ad totam Germaniam extentam refert Author vitæ

Ee Geb-

(a) Part. 3. lib. 19. cap. 5. N. 5.
(b) Pro hac re Magf. P. Schmier citat Anſaldum ab Anſald Jur. Pub. part. lib. 3. cap. 2. ſect. 2. §. 2.
(c) Mabillonius Tom. 4. Analect. Pezius Tom. 1. Script. Auſtriae.

Gebhardi (a) dicens : Romana Eccleſia judicavit eſſe dignum, cui legationem ſuam ſuper omnes Teutonici Regni Eccleſias committeret, ſic itaque ex Archicapellano Regni Archiepiſcopus Juvavienſis, & Legatus Apoſtolicæ Sedis provectus eſt, & immobilis Eccleſiæ columna eminuit. Idem munus ab Alexandro III. delatum Eberhardo teſte codice Vaticano pro toto regno Teutonico, atque eum præcipue in finem, *ut ſchismaticos ad unionem revocet, cauſasque emergentes debito modo diſcutiat, ac terminet. Datum Pariſ. an. 1163.* (b). Idem conceſſit Adalberto II. Cœleſtinus III. an. 1191. Jus legationis pro tota Germania adhuc dum tenuit, & exercuit Conradus Archiepiſcopus teſte Bulla Alexandri III. data Lateran. 15. Kal. Maji, cujus verba hic adducere libuit, ibi : *Inde tutius fuit, quod experti conſtantiam fidei Venerabilis fratris noſtri Archiepiſcopi Apoſtolicæ Sedis legati in provincia veſtra, & provinciis in aliis officium legationis commiſimus, quod ſicut eum decuit de profectu Eccleſiarum & ſalute fidelium cogitavit. Verum* (pergit Alexander) *ad Apoſtolicam noviſſime ſedem accedens ſua nobis inſinuatione monſtravit, quod quum vobis tanquam gregi proprio teneatur, in provincia veſtra duntaxat eſſe volebat officio legationis contentus* (en ! inſignem modeſtiam Conradi, quæ tamen ſuis ſucceſſoribus neutiquam præjudicioſa eſſe poterat) *plus prodeſſe deſiderans, quam præeſſe. Nos itaque Zelum ipſius ſollicita conſideratione penſantes in præſcripta provincia commiſimus, ut vice noſtra evellat, & deſtruat, quæ deſtruenda cognoverit, & ædificet, & plantet, quæ Domino viderit inſtruente plantanda.* Itaque hoc modo munus legati Apoſtolici factum fuit perpetuum, ut adeo merito Archiepiſcopi per univerſam Germaniam audiant *Legati Sedis Apoſtolicæ Nati*, prout hoc titulo Gebhardum à Gregorio VII. fuiſſe honoratum legimus apud Hanſitium (c).

§. X.

EX hoc jure legationis derivandum eſt jus præferendi crucem, & vehendi ſuper Nachum, de quo expreſſa fit mentio in prædicta Bulla Alexandri III. item portandi habitum purpureum. Quod autem Archiepiſcopi Salisburgenſes uſum horum inſignium antiquitus exercuerint, teſtis eſt Æneas Sylvius, qui in Hiſtoria Friderici Imperat. de ingreſſu Archiepiſcopi Sigismundi I. ad novam civitatem agens in hunc modum ſcribit : *Ingreſſus autem eſt Archiepiſcopus in habitu, & inſignibus, quæ legato Caedinali debentur. Nam & crucem an-*

(a) Author bujus vitæ eſt Joannes Abbas Lambacenſis.
(b) Hanſit. Tom. 2. pag. 175.
(c) Tom. I. pag. 235.

ante ſe detulit, & cappam, & pileum rubei coloris geſtavit, benedixitque populo, ſed nihil horum Archiepiſcopo non debitum præter pileum, & illum fortaſſe Salzburgenſi Eccleſia ſingulari privilegio meruit, de quo nondum ſumus experti. Ex novioribus etiam temporibus conſtat, quod olim Archi-Epiſcopi Neo-Electi, dum prima vice ſolemniter ingreſſi ſunt urbem, Nacho inſidentes, & habitu ac pileo purpureo inducti ſolemnem ſuum ingreſſum inſtituerint. Ex pluribus exemplis unum adduxiſſe ſufficiat de Wolfgango Theodorico, cujus ſolemniſſimum prorſus ingreſſum fuſe deſcribit Hanſitius ex Mezgero, cujus deſcriptionem iisdem verbis hic adducere libuit: *Præibant Mechanicorum tribus, & variarum confraternitatum ordines: hos excipiebat civium turba cum equis eleganter inſtratis; dein longa ſeries Nobilitatis minoris, ſtipante pediſſequum caterva. Tum Clerus civitatis, & Canonici Cathedrales; ab his Monachi S. Petri: inde Prælati Capellani cum virgis Paſtoralibus: ſuccedebat Præpoſitus Cathedralis & Abbas S. Petri, aliique tum Abbates tum Præpoſiti. Ex Abbatibus Seonenſis, Lunælacenſis, Raitenbaslacenſis. Præpoſiti Berchtolsgadenſis, Paumburgenſis, Auenſis, Garſenſis, & S. Zenonis: quorum ordinem Capellani palatii, & reliqua Prælatorum familia claudebat. Sequebantur inſidentes equis tubicines cum aheneis tympanis; tum ingens numerus Comitum, Baronorum, Equitum majorum gentium. Epiſcopi Patavienſis, Chiemenſis, Seccovienſis, Lavantinus, ſuis amiculis (Rochettas appellant) induti, cum Capellano Honorario, qui Crucem præferebat Archiepiſcopalem: & tum demum Archi-Præſul ipſe candido ſublimis equo, purpureis ornatibus & Galero inſignis: cives duodecim, veſtibus induti biſſinis cærulei flavique coloris ſtipabant latus, pretorianorum in morem. Pone adequitabant Duces Bavari Wilhelmus & Ferdinandus cum confeſta familiarium & miniſtrorum manu. Latus Archiepiſcopi ſtipabant quatuor officiorum hæreditariorum ad miniſtri provinciales Nusdorff, Thurn, Thonhauſen, Kuen: præterea ſatellites haſtati cum Ephebis belle comptis.*

Agnovere hæc inſignia, nominatim habitum purpureum Romani Pontifices, ſpecialiter Clemens XI., qui, quum Eccleſiam Liſabonenſem in Patriarchalem erexiſſet, novum Patriarcham novo decore condecorare volens *Habitum purpureum* eidem conceſſit cum hac notabili clauſula: *Ad inſtar Venerabilis etiam fratris noſtri moderni Archiepiſcopi Salisburgenſis.* Bulla hæc, quæ incipit: *in ſupremo Apoſtolatus ſolio*, & data fuit an. 1716. refertur in ejusdem Bullario pag. 229. &c.

Nos ſuper his duo animadvertimus, quæ prærogativam hanc in Archiepiſcopis Salisburgenſibus mirum in modum ſublimant, nempe quod Archi-Præſules Salisburgenſis habitum purpureum jam ante Cardinales geſtaverint, & quum inſignia hæc ſint propria

ſolis legatis à latere, hoc ipſo Archiepiſcopi Salisburgenſes accenſeri debeant legatis, qui à Pontifice mittuntur ſub clauſula *cum poteſtate legati de latere.*

§. XI.

Tertia, eaque ſingulariſſima Sedis Salisburgenſis prærogativa eſt, quod illius Archi-Præſul ſit Primas Germaniæ, quam prærogativam in iis ipſa ſacra Rota Romana ſuſpexit in una coram Cardinale Priolo die 26. Novemb. 1691. habita in verbis ſequentibus: *Eoque magis, quia Eccleſiæ Salisburgenſi ulterius addita fuit altera nobiliſſima prærogativa, quod dictæ Eccleſiæ Metropolitani pro tempore ſortiantur nativam legationem, & Primatum inter omnes Præſules Germaniæ.* Haud ignoramus, quod non pauci ſcriptores illam impugnent, eandemque Archi-Epiſcopo Magdeburgenſi vindicent: ſed an jure id faciant? mox dicemus.

§. XII.

Inter cæteros ſcriptores, qui Primatum Salisburgenſem reddunt dubium, vel potius illum Archiepiſcopo Magdeburgenſi vindicant, præcipuus ferme eſt Petrus Ludwigius (a), cujus argumenta priusquam afferamus, illud animadvertendum duximus, quod non modo Otto M., qui Epiſcopatum Magdeburgenſem fundavit, ſed etiam Otto II. & IV. mirum in modum laboraverint, ut Eccleſiam Magdeburgenſem ſupra cæteras Eccleſias Germaniæ omnes ſublimarent, & hinc varia privilegia eidem tum conceſſerunt, tum à Pontificibus fuerunt eblanditi, quæ inter procul dubio numerari debet Primatus, ſi tamen verum eſt, quod Pontifices unquam illum contulerunt, aut conferre potuerunt.

Jam argumenta Ludwigi in compendium redacta audiamus: itaque inquit 1mo: Neſcivit Germania Primatem, usque dum ſæc. 10. Antiſtes Magdeburgicus Primas conſtitueretur: quæ enim de Moguntino narrantur, idoneo monumento, & ratione carent: quo ſuppoſito nemini competit jus antiquius, & ex hoc capite Primatum Magdeburgicum impugnandi. 2do: Proſtat Bulla Pontificia Joannis XIII. coævorum ſcriptorum teſtimonio roborata, per quam Antiſtiti Magdeburgico dignitas Primatus clariſſimis verbis conceſſa legitur (a) Bula inter alia ſic habet: *Joannes XIII. DEI igitur omnipotentis authoritate, & B. Petri Apoſtolorum Principis, & noſtra, te, tuos-*

(a) Lib. 3. Jur. Eccleſ. opul. 1. de Primat. Germ. cap. 2. cum quo facit Pfefingerus ad Vitriar. Illuſt.

tuosque ſucceſſores in perpetuum, & Eccleſiam tuam omnium Eccleſiarum, Archi-Epiſcoporum, & Epiſcoporum, qui in Germania ſunt ordinati, in ſedendo, in judicando, in confirmando, in ſcribendo, in ſententiis dandis, omnique ordine Eccleſiaſtico Primatum habere volumus? 3tio: Manifeſta eſt ratio, propter quam Otto tantopere laboravit pro exornanda Eccleſia Magdeburgica: nempe voluit primariæ provinciæ honorem, quem ſibi Francia Rhenenſis tempore Carolingico tribuebat, mutato nunc rerum ſtatu in Saxoniam transferre. 4to: Hunc Primatum & titulum Primatis ſuſpexere tum Imperatores, & Principes Imperii, tum ipſi Pontifices, prout quamplurima commonſtrant Diplomata. 5to: Saltem ſub Ottone huic Primatui ſe ſubjecerunt omnes Antiſtites, etſi ex poſt ſe ſe quidam in ſpecie Moguntinus, Colonienſis, Trevirenſis, Salisburgenſis & plures alii ipſi ſubtraxerint. 6.to tempore Ottonum habuit proedriam Magdeburgicus ante omnes Antiſtites excepto Moguntino, cui ſeſſionis & proedriæ honorem conceſſit propter dignitatem Archicancellariatus. Extinctis Ottonibus proſtant quidem exempla, quod Colonienſis & Trevirenſis aliquoties præcedentiam habuerit, ſed hoc non ex alia ratione, niſi propter Archiofficia, quibus defungebantur. 7.timo Antiſtites Salisburgenſes Primatum antiquitus neque affectarunt, neque Magdeburgico dubium reddiderunt. 8.vo, usque ad tempora, quibus Antiſtes Magdeburgicus ſe Religioni Proteſtantium addixit, illius Præſules ſemper habuere locum principem cum Directorio in Comitiis. 9.no. Nulla oſtendi poteſt Bulla, per quam Archipræſuli Salisburgenſi dignitas Primatus à Pontifice conceſſa probari poſſet. Hæc ſunt argumenta, quibus Ludwigius Primatum Magdeburgicum ſuſtentare contendit, quæ nos in compendium redegimus, &, niſi vehementer fallamur, longe majori claritate & efficacia propoſuimus, quam ipſe laudatus Author.

Jam qua ratione his obviari poſſit videamus: & quidem quoad 1.mum demus, quod Primatus ad Sæc. usque 10. fuerit ignoratus, & ignotus: anne inde inferendum, quod nemo Epiſcoporum illi contradicere potuerit? Fuere in Germania Archiepiſcopi, qui non modo nullum ſuperiorem præter Pontificem agnoverunt, ſed etiam ſingularibus præeminentiis, ac juribus ab ipſa ſede Pontificia fuere nobilitati, quales erant Vicarii & Legati Pontificii: an non hi Primatui noviter introducto jure contradicere potuiſſent, & debuiſſent? anne eſt in poteſtate Pontificis, neſcio quos dignitatum & poteſtatis diſpenſare gradus cum præjudicio tertii, & Epiſcopos,

Archi-piſcopos ſubjicere Primati noviter ſine evidenti neceſſitate, & utilitate Eccleſiæ conſtituto ? Repetamus memoria innumeras controverſias jam primis ferme Eccleſiæ ſæculis, & mediis, ac ultimis præſertim temporibus inter Patriarchas, Primates, Archiepiſcopos, & Epiſcopos propter privilegia noviter conceſſa, Inſignia quibusdam collata, honorum titulos liberalius diſpenſatos obortas, an non contradixerunt, & jure contradicere potuere alii Eccleſiæ Præſules nobilioribus prærogativis inſigniti ? utinam hæc per innumera exempla demonſtrare liceret. Quod autem eo tempore huic Primatui noviter conceſſo (quamquam etiam de hac ipſa conceſſione dubitari poſſit, ut mox dicemus) nemo contradixerit, temporum rerumque circumſtantiis eſt adſcribendum. Erant eo tempore ſchismata in Eccleſia ab ipſo Ottone fota & nutrita. Otto dominatum exercebat in Eccleſia, jus eligendi Pontifices turbabat, electiones Epiſcoporum non ſinebat eſſe liberas, ut quid ergo mirum, ſi talia jura vel emendicavit, vel extorſit, & nemo Epiſcoporum contradixit? animadvertit hoc ipſum Ludwigius, & ideo neceſſitate coactus fatetur, quod extinctis Ottonibus plures Eccleſiæ, earumque præſules huic Primatui ſe ſubduxerint (a). Ad 2.dum ſeu ipſam Bullam Joannis XIII. veniamus, quid ſi illius conceſſionem ex rationibus mox adductis ſub - vel obreptitie utpote ſine illorum, quorum intererat, ſcientia & præſcitu obtentam, & cæteris ob temporum, rerumque circumſtantias obtruſam diceremus ? verum, quod magis eſt, ipſa Bulla Pontificia dubiæ eſt authoritatis, Profecto fatetur ipſe Ludwigius, quod à ſuo Doctore & Præſide copiam documenti Authentici obtinere non potuerit, & demum ad Bullam, quam refert Lunigius (b), delabitur. Porro autem de hac ipſa Bulla dubitare licet, an ſit genuina & ſincera, vel potius ſubleſtæ fidei ? inprimis id probandum foret ex ſcriptoribus Syngraphis ſeu coævis : ſed ubinam terrarum hi exſtant? ait quidem Ludwigius, quod proſtent Scriptores coævi, qui iſta narrant, ſed neminem citat, & provocat ad Synodum Ravennatenſem an. 970. celebratam : ſed prorſus inepte, imo & contra ſe, quia ex hac ipſa Synodo continuatores Bollandi (c) ſumunt occaſionem impugnandi & Bullam Pontificiam, & Primatum per eam conceſſum, quum

(a) Integram Bullam exhibet Ludvvig. loc. cit. & Maſcov. Diſſert. de Metrop. §. II.

(b) Recenſet Moguntinam, Trevirenſem, Colonienſem, Salisburgenſem, Bremenſem, Bambergenſem, Pragenſem &c. & quamplurimas alias.

(c) Eſt hæc ipſiſſima Bulla, quam ſupra citavimus.

quum neque in Ravennatenſi conventu & Synodo deſuper Romæ celebrata neque in aliis, ſaltem pluribus Diplomatibus circa illud tempus conceſſis hujus Primatus fit mentio. Accedit authoritas Kranzii, qui in ſuo opere, quod Metropolim inſcripſit, dum de Magdeburgenſi Eccleſia agit, fatetur, *ſe neſcire, quomodo, & unde habet hunc Primatum*, dicit enim: *quomodo, & unde conſecuta ſit, ut primas dicatur Germaniæ ejus Epiſcopus, necdum comperi. Sciens tamen, non nullos Archiepiſcopos illi non cedere honorem (nam Salisburgenſis cum eo contendit de paritate, nec Archi-Epiſcopi Electores eidem cedunt locum) unde, & in quo Primatum habeat, aliunde mihi oſtendi velim* (a). Ajunt alii, quod S. Norbertus, quum Romæ eſſet cum Lothario Imperatore an. 1335. ab Innocentio II. pro ſe, & ſuis ſucceſſoribus Primatum obtinuerit: ſed nec his ſtat firma fides, quum nullo authentico id oſtendi valeat, neque hujus rei fiat mentio in Epitaphio S. Norberto inſcripto, quod intermiſſum non fuiſſet, ſi quid veritatis narratis ſubeſſet. Id, quod 3.tio opponit Ludwigius, inprimis ipſo teſte eſt mera conjectura, & nihil probat, vel ſi quid probet, id probat, quod Otto nimium quantum ſollicitus fuerit pro ſua Eccleſia Magdeburgenſi exornanda, & quum ſua authoritate & virium potentia plurimum valeret, facillimo negotio potuerit Pontifices aliunde Imperatoti ſubjectione quodammodo deſpotica ſubditos ad hæc & his majora privilegia concedenda inducere. Quantum ad 4. Ludwigius ſimpliciter allegat ſed non adducit Diplomata, quemadmodum adducere deberet, ſi vellet facere fidem: imo etiamſi Diplomata quædam produceret, nondum à nobis fidem meriturus foret: quis enim ignorat, Ludwigium eſſe ſubleſtæ fidei, & paſſim à Scriptoribus commiſſi falſi accuſari, eoquod quædam Diplomata adulteraverit, falſificaverit, aut omnino finxerit. Et demus, quod non nunquam Imperatores & Principes Magdeburgenſem titulo Primatis honoraverint, id certe fecere errore facti, eoquod exiſtimaverint ipſum revera eſſe Primatem, quum tamen non fuerit, eoquod vel nullam Bullam impetravit, vel ſi impetraverit, hæc ob- & ſubreptitie obtenta, aut quaſi extorta fuit. Quantum ad 5.tum, 6.tum, & 7.timum ea, quæ Ludwigius affert, probanda ſunt, non ſimpliciter alleganda. Et demus, quod adducti Antiſtites Primatum Magdeburgicum ſuſpexerint. Nunquid ipſe fatetur, quod extinctis Ottonibus ſe Primatui ſubduxerint? & hoc quid aliud probat, niſi quod ex reſpectu erga Imperatores habito vel metu majoris

(a) Vid. Magf. Schmier Jur. Pub. lib. 3. cap. 2. ſect. 2. §. 1.

(b) In ſuo opere, quod *Metropolin* inſcripſit lib. 3. cap. 28.

ris mali hunc Primatum diſſimulaverint. Ad 7.timum facile largimur, quod Salisburgum titulum Primatis neque affectaverit, neque quæſiverit, ſed quare? quia Salisburgenſibus perſuaſum erat, jus *Primatiæ* in jure legationis Apoſtolicæ contineri ad exemplum, ut ait Magnif. P. Schmier, Electorum, qui Primatis dignitate potiuntur, attamen ab eo prædicato abſtinent, contenti Archicancellariatus elogio, ex quo Primatus honor ſua natura fluit, ad exemplumCardinalium, quosUrbanusVIII. juſſit ſolo titulo Cardinalis gloriari, quaſi vero hic cæteros omnes abſorberet. De cætero ipſis ſat erat, quod Primatum Magdeburgicum non reſpexerint, & in poſſeſſione ſuæ legationis Apoſtolicæ titulum Primatus velut abſorbentis permanſerint. Ad 8vum. Si totum concederemus, quid inde ſequeretur? niſi quod Antiſtes Magdeburgicus quemdam Primatum politicum in ſtatu politico Imperii habuerit, non vero Eccleſiaſticum, & hunc ipſum neſcio, quo jure & arte obtinuerit, quum tamen dignitas Primatialis ſaltem ſecundum ſe, & ſuam originem ſpectata ſit dignitas Eccleſiaſtica, & juri Eccleſiaſtico ſuam debeat originem. Præterea quis neſcit, quod Salisburgenſes Magdeburgenſibus præcedentiam, & proedriam in ſubſcribendis Receſſibus Imperii fecerint dubiam, prout oſtendit cit. Schmier, usque dum Mathæus Langius Archiepiſcopus Salisburgenſis cum Alberto Electore Moguntino, & ſimul Archiepiſcopo Magdeburgico in id convenerit, ut quoad præcedentiam in concurſu per ſingulos dies mutent vices, Salisburgenſis tamen initium faciat, & die primo ſemper primas teneat. Quid quod Mameramus Lucemburgius expreſſe teſtetur, Archiepiſcopum Salisburgenſem præcedentiam in Comitiis Imperii ante Magdeburgicum occupaſſe, idque etiam præjudiciis confirmet, prout videre eſt in Hanſitio, qui hæc fuſius habet. Quantum ad 9. Salisburgo neceſſarium non fuit viſum, aliquam ſuper Primatu obtinere Bullam Pontificiam, eo quod ſemper ſibi perſuaſum habuerit, in ipſo munere legati eminenter contineri Primatum: atque hæc ipſa fuit ratio, cur antiquitus Primatui Magdeburgico non contradixerit: nam ſatis ei erat Primatum illum non agnoſcere, non revereri, & hoc ipſo ſuum Primatum in ſalvo habuit; itaque ne viderentur Salisburgenſes ante ſæculariſationem Eccleſiæ Magdeburgenſis Primatum Eccleſiaſticum veluti dignitatem ſuperiorem in ea ſuſpexiſſe, viſum erat ſuæ dignitati longe melius conſultum fore, ſi in antiqua poſſeſſione ſuæ dignitatis perſiſterent. Interim titulum Primatis aſſumere placuit,

eo quod jam in ſcamno Principum locum principem, & hac ratione Primatum ipſo jure obtinuerint, haud ſecus, quam olim Metropolitæ ex eo, quod fuerint facti Epiſcopi urbium Metropoliticarum, dignitatem Metropoliticam obtinuerunt. Hodie ergo, poſtquam Archiepiſcopatus Magdeburgicus in Ducatum ſæcularem transmutatus eſſe noſcitur, ceſſat dubium, quum nemo ſuperſit, qui ex Principibus Eccleſiaſticis Archiepiſcopo Salisburgenſi de ſuo Primatu litem moverit, vel movere poſſit. Primatum Salisburgenſem jam plures Imperatores in variis literis agnoverunt, & Archiepiſcopos Salisburgenſes titulo Primatis honorarunt. Nominatim Leopoldus in literis ad Cardinalem Chuſium 6. Januar. an. 1660. ad Cardin. Haſſiæ 4. Dec. 1766. ad Cardin Sforza de eod. die & anno. Carolus VI. in lit. ad Cardin. Confuegos 15. Aug. 1728. Item ad Epiſ. Trident. 9. Aug. 1728. Tribuerunt inſuper hunc titulum, & adhuc tribuunt Archiepiſcopi Colonienſes. Item Cardinalis von Schönborn de 1729. & 1730. Noviſſime vero Imperator ad inſtanſtantiam Celſiſſimi Archiepiſcopi &c. &c. Andreæ Jacobi de an. 1750. 14. Decemb. hunc titulum confirmavit, & in ſuo reſcripto deſuper dato juſſit, ut poſthac Altefato Celſiſſimo, illiusque ſucceſſoribus cæteris titulis, quibus Archiepiſcopi Salisburgenſes gaudent, in literis quibuscunque à Cancellaria Cæſarea expediendis addatur titulus *Primatis*

Hactenus dicta in compendium redigamus, videamusque, quo fundamento Antiſtiti Magdeburgico Primatum Ludwigius adſcribere potuerit, imprimis Bulla ab ipſo & aliis producta ex multiplici capite eſt ſuſpecta, olim multis fuit incognita, & vel blanditiis fuit à Pontifice impetrata, vel precibus potentioribus quodammodo extorta. Dein jure merito dubitatur, an Pontifex illum Primatum cum præjudicio tertii, videlicet Archiepiſcopi Salisburgenſis aliorumque conferre potuerit, & Archiepiſcopis novum Primatum, & ſubjectionem obtrudere. Plures Metropolitæ, quos inter ſunt etiam Archiepiſcopi Salisburgenſes hunc Primatum non agnoverunt. Cætera à Ludwigio allata vel ſunt ſuſpecta, vel non ſat probata, vel præjudicia in errore facti fundata, & nec ſunt uniformia, hisce Ludwigio nos ſatisfeciſſe, & Primatui Salisburgenſi abunde conſuluiſſe exiſtimamus. Imo nec Roma dedignatur Archipræſuli Salisburgenſi Primatis titulum tum tacite, tum expreſſe concedere : legitur enim Romæ in Eccleſia dell' anima Inſcriptio à Re-

gente, & Proviſore ejusdem Eccleſiæ poſita, & marmori inſcripta de an. 1728., quæ ſic habet:

Leopoldo Antonio L. B. de Firmian, Archiepiſcopo & S. R. I. Principi Salisburgenſi, S. Sedis Legato Nato, ac Germaniæ Primati &c.

§. XIII.

HActenus induſtria noſtra deſudavit in vindicandis, & exornandis prærogativis Eccleſiæ Salisburg. Jam videndum, quomodo tum ipſi Præſules Salisburgenſes pro iis conſervandis vigilaverint, tum ipſi Pontifices omni, qua poterant, circumſpectione egerint, ne in diſpenſandis privilegiis jura Eccleſiæ Salisburgenſis aut violarent, aut infringerent, occurrit inprimis exemplum de anno 901., vel potius epiſtola Theodomari Archiepiſcopi Salisburgenſis, & quinqne ejus Suffraganeorum, ac ſpecialiter Paſſavienſis directa ad Joannem IX., in qua conqueruntur de erectione alterius Archiepiſcopatus, & trium Epiſcoporum in terris Schlavorum absque ſcientia Archiepiſcopi Salisburgenſis (a). Aliud exemplum nobis ſuppeditat Hanſitius, dum refert, quod dum Carolus IV. totus quantus ornandæ ſuæ Bohemiæ intentus Epiſcopatum Ratisbonenſem Archiepiſcopo Salisburgenſi ſubducere, & Pragenſi ſubjicere intenderet, & propterea apud Urbanum V. vehementer ſollicitaret, ſtudio Salisburgenſium omnis conatus in irritum ceciderit (b). Memoria recolamus controverſiam inter Archiepiſcopos Salisburgenſes, & Epiſcopos Patavienſes tanta animorum contentione per tot ſæcnlorum decurſus agitatam: quam non circumſpecte egerunt Pontifices, ne cujuscunque jura violarent? an non Martinus V. caſſavit, annullavit, & revocavit Bullas ſuorum Prædeceſſorum, quibus Paſſavienſi Epiſcopo privilegium exemptionis à jurisdictione Archiepiſcopali fuit conceſſum? neque ipſe Benedictus XIII. poteſtate ſua ordinaria Paſſavienſibus Epiſcopis exemptionem concedere auſus fuerat, & ideo eam non niſi *de plenitudine poteſtatis* conceſſiſſe legitur. Adſpiravit circa finem ſæculi elapſi Friſingenſis Epiſcopus ad Pallii uſum, ſed deſtitit, quum deſuper Archiepiſcopum Joannem Erneſtum ſibi contradicentem expertus fuit. Quærebat labente hoc ſæculp circa annum 1723. Archi-

Epi-

(a) Apud Labab. & Coſſart. Tom. 9. Concil. fol. 498.
(q) Hanſitius. Tom. 2. pag. 458

Epiſcopus Pragenſis privilegium veſtimenti purpurei ad modum Ornatus Cardinalitii: verum opponente ſeſe Archipræſule Salisburgenſi impetrare non potuit, quod tantopere quæſierat (a). Quum Caſpar Ignatius Epiſcopus Brixinenſis non ita pridem apud Sedem Apoſtolicam à Clemente XII. privilegium præferendæ crucis Archiepiſcopalis ſollicitaret, præfatus Pontifex proteſtante contra Leopoldo Archiepiſcopo Salisburgenſi illud aliter non conceſſit, niſi de prævio conſenſu illius, & cujuscunque in Archiepiſcopatu pro tempore exiſtentis. En! quam caute & circumſpecte egerint Pontifices, ne prærogativis Eccleſiæ Salisburgenſis vel in minimo detraherent.

§. XIV.

PAſſim in Germania dari appellationes ad Nuntios Apoſtolicos hinc inde in diverſis locis reſidentes, ſcimus. Verum in hanc usque diem à Sede Archiepiscopali nulla fuit conceſſa appellatio ad Nuntiaturam: ſed omnes appellationes recta via ad Pontifices ſunt dirigendæ. Atque hoc jure utitur Eccleſia Salisburgenſis ſaltem ex poſſeſſione, & conſuetudine immemoriali, nunquam interrupta, & in hanc usque diem continuata (b).

§. XV.

INter alia privilegia & jura Archiepiſcoporum Salisburgenſium illud non eſt ultimum, quod Canonica tusin menſibus Papalibus conferant, etſi Concordata Germaniæ Pontificibus hos menſes, ſaltem ſub clauſula (c) ſtabiliverint. Atque hoc jus Pontifices in hanc usque diem Archiepiſcopis Neo-Electis confirmare conſueverunt.

§. XVI.

AD prærogativas Archiepiſcopis Salisburgenſibus qua Principibus Imperii competentes delabimur. Etiam hæ ſunt pro ſus inſignes, ſingulares, & tales, quales nulli Principi, ſi Electores excipia-

(a) Idem Tom. 2. in vita Franciſ. Antonii.

(b) Woller in ſua oratione an. 1704. habita, ubi inter alia ſic habet: ab eo in ſacris ad nullum alium per Germaniam appellare licet, non ad Nuntios Apoſtolicos, ſive Viennenſem, ſive Laureacenſem, ſive ad Rhænum &c.

(c) *Ut ea, ſi libuerit, uti valeant.* Hanc clauſulam in Diſſert. II. de Jur. Germ. explicabimus.

piamus, competunt. Has igitur & eo modo referre placuit, quo modo eas in Magnifico P. Schmier deſcriptas legimus. Itaque 1mo Archiepiſcopi Salisburgenſes parem ferme honorem cum Imperii Electoribus ab Imperatore quoad titulum, compellationem, ſellam, Menſam Cæſaream & pilei impoſitionem recipiunt, indeque axiomate *Reverendiſſimi*, *& veſtræ Dilectionis* ſalutantur, id quod citatus Magnificus ex reſcripto Leopoldi ad Guidobaldum Archipræſulem dato Viennæ die 31. Maji 1663. probat (a). 2do Exercent in comitiis & collegio Principum Directorium alternative cum Domo Auſtriaca. Hæc alternatio quoad prœdriam obſervatur etiam intra, & extra Senatum in Proceſſionibus, Seſſionibus, aliisque conventibus. 3tio concurrunt in circulo Bavarico cum Electore Bavarico in Directorio. 4to Legati Salisburgenſes in comitiis, ſaltem in conſeſſu, ubi de rebus Imperii conſultatur, Principes in perſona comparentes præcedunt. 5to gaudent Principes Salisburgenſes ſat amplo territorio, & in eo omnia jura territorialia, regalia, & fiſcalia, & ſpeciatim jus cudendi monetas in tota ſua latitudine ſumptum ob proprias auri, argentique fodinas exercent. 6to in quatuor Epiſcopatibus ſibi quoad jus nominandi, confirmandi, inveſtiendique ſibi ſubjectis non modo faciunt Epiſcopos, ſed etiam Principes Imperii ſine ulteriori inveſtitura ab Imperatore conferenda. Sunt hæ profecto tales prærogativæ, quibus nemo ſeu Epiſcoporum ſeu Archiepiſcoporum gaudet, ita, ut licet quoad aliqua Electoribus Eccleſiaſticis ſint inferiores, in aliis tamen iisdem ſint longe ſuperiores.

§. XVII.

HActenus egimus de prærogativis tam Eccleſiaſticis, quam Politicis, quibus Archipræſules hodie exornatos eſſe ſcimus. Jam non nihil ad antiquiora tempora retrogradiamur, & quibus officiis palatinis, muneribusque tum in aulis Imperatorum, tum apud exteros ex delegatione diverſorum numerum defuncti ſint, videamus. Fuere in aulis Imperatorum varia officia palatina, inter quæ duo erant præcipua, nempe munus Archicapellani, & Archicancellarii, quorum dignitatem exinde emetiri licet, quod ex his hodierna Archiofficia, quibus defunguntur Electores Eccleſiaſtici, derivanda eſſe paſſim doceant Publiciſtæ. Quamquam autem hæc mu-

(a) In Jur. Pub. lib. 3. cap. 2. ſect. 2. §. 3.

munia ſecundum ſe fuerint prorſus diverſiſſima (a), nihilominus tamen Archicapellanus ut plurimum vices etiam Archicancellarii ſubibat, & Diplomata ſubſcribebat, id quod alias Archicancellarii fuerat proprium: inde venit, quod eundem Præſulem modo Archicapellanum, modo Archicancellarium vocatum legamus. Hisce Archiofficiis Archicapellanatus, & Archicancellariatus fuiſſe defunctos Præſules Salisburgenſes ex variis documentis, & præprimis recognitionibus Diplomatum (horum enim recognitio ad Archicancellarium pertinebat) evidenter eruitur. Ita enim in Archicapellanũ à Carolomano Bojaorum Rege fuiſſe adoptatum Theodemarum Archiepiſcopum conſtat ex literis à Gewaldo in Addit. ad Hund. Metrop. allatis (b). Ibi: *Madalvvinus Notarius ad vicem Theotmari recognovi.* Apud eundem Gewoldum etiam ſequens recognitio exſtat: *Baldo Cancellarius ad vicem Diotmari recognovi.* Geſſit hoc munus idem Theodmarus ſub Arnulpho Imperatore filio Carolomani, & Ludovico III. per ſeptem annos usque ad vitæ exitum (c). Theodmari ſucceſſor non minus in Archiepiſcopatu, quam officio fuit Piligrinus, de quo in Metropoli Salisb. (d) legitur: *Salomon ad vicem Piligrinum Archicapellani recognovit* datum An. 909. item in quodam diplomate, quod refert Gewodus (e) ſic legitur: *Wodelfridus Cancellarius ad vicem Pilegrini Archicapellani recognovit* an. 912. ſimile exſtat apud Hedam (f), ibi: *Salomon Cancellarius ad vicem Pilegrini Archi-Capellani recognovit an. 914. an. Regis Conradi tertio.* De Archicancellariatu Gebhardi teſtatur author vitæ illius in hunc modum ſcribens: Henricus III. Imperator eum ad ſe adſcitum aulæ regiæ ſummum præfecit Capellanum, quo poſt paucos annos rebus humanis exempto, & Henrico filio ejus ſuccedente Gebhardus item primus inter primos pallatii habebatur (g). Diplomata hanc in rem recenſet Miræus, & Malinkrot (h).

(a) Archicapellanus enim præerat capellæ regiæ, cauſas Eccleſiaſticas decidebat, erat primarius Miniſter Imperatoris, dum econtra Archicancellarius ſub ſe habebat Cancellariam, & Diplomata recognoſcebat, expediebat &c.
(b) Tom. 3. pag. 61.
(c) Gevvold in addit.
(d) Part. 1 pag 469
(e) De Septemviratu pag 91.
(f) In Hiſt. Epiſ ultraject.
(g) Joannes Abbas Lambacenſis, quem citat Hanſitius pag. 155.
(h) Miræus lib. 2. Donat. cap. 34. in Not. Eccleſ. cap. 89. Malinkrot de Cancel. & Vice-Cancel. ſub Imperat. Henrico IV.

Haud ſecus *Miſſi Regii* ſeu *Dominici* fuere Archi-Epiſcopi Salisburgenſes aut potius eorum Præſides. Erant autem *Miſſi Dominici* quaſi Legati à latere Imperatoris, & Judices publici conſtituti, ut diſciplinæ ſacræ, & civili vacarent; & cauſas quorumcunque maxime perſonarum miſerabilium ad ſe delatas dirimerent. Tales Miſſi Dominici erant Archi-Epiſcopi, Epiſcopi, Abbates cum ducibus, & comitibus in provinciis conſtituti, quos inter unus majori poteſtate præditus veluti Primatum tenuit. Hoc munere functus fuiſſe legitur Arno ſub imperio Caroli M. de quo legimus, quod duobus Conventibus Miſſorum Dominicorum Ratisbonæ, & Friſingæ anno 802. celebratis præſederit, variasque alias cauſas ad ſe delatas deciderit (a). Notat tamen Hanſitius Arnonem ultimum fuiſſe Miſſum Dominicum per Bojariam: eo enim tempore poteſtas juris dicendi potiſſimum in Concil. Moguntino an. 813. celebrato diviſa fuit, & cauſarum Eccleſiaſticarum deciſio Epiſcopis, prophanum Comitibus & Judicibus commiſſa.

Sed nondum ſatis, quis omnium hiſtoriarum adeo imperitus eſt, ut neſciat, quod Archi-Epiſcopi Salisburgenſes non raro in cauſis graviſſimis dati ſint Judices? Conradus I. Judex conſtituitur in cauſa Ratisbonenſi (b). Albertus II. datur Judex, ut ſub excommunicatione compellat Auſtriæ Ducem Leopoldum ad redhibendam pecuniam ab Anglorum Rege Richardo litri nomine extortam (c). Innocentius III. Archiepiſcopis Salisburgenſi Eberhardo II. & Magdeburgenſi commiſit poteſtatem cognoſcendi de divortio Rimislai Regis Bohemiæ, qui repudiata Adela Othonis Marchionis Misniæ Filia Conſtantiam Ungaram in Conjugem duxerat. (d) Ortolpho mandatur cauſa Ludovici Brandenburgici & Meinhardi ejus Filii de utriusque matrimonio cognoſcenda. (e)

An non Archiepiſcopi Salisburgenſes ſæpius conſtituti ſunt Arbitri in cauſis graviſſimis, præcipue in cauſis belli, & pacis? ſic enim Eberhardus I. compoſuit bellum inter Henricum Ducem Bavariæ, & Hartwicum Ratisbonenſem Epiſcopum. (f) Item Albertus Archiepiſcopus Salisburgenſis Fratrem ſuum Fridericum Regem Bohemiæ è ſuo Regno expulſum iterum Regno reſtituit. (g) Eberhardus II. operam confert ad reſtituendam pacem inter Regem Hungariæ, & Ducem Auſtriæ. (h) Fridericus II. primas agit partes in ſancienda cum Bohemis pace (i). Conradus IV. pacem conci-

(a) Hanſit Tom. 2. pag. 115. (b) Idem pag. 240. (c) Idem pag. 308. (d) Idem pag. 316. (e) Idem pag. 455. (f) Idem pag. 262. (g) Idem 305. (h) Idem pag. 314. (i) Idem pag 386.

ciliat inter Auſtriacum, & Bavarum (a). Idem fecit Weichardus. Ortulphus curat pacem inter Auſtriæ Ducem, & Patriarcham Aquilejenſem. Piligrinus fuit arbiter pacis inter Auſtr. & Bavar. Sigismundus I. pacem conficit inter Cæſarem Frideric. & Auſtriacos. (b) Joannes an. 1489. pacem conciliat inter Georgium Ducem Bavariæ, & Civitates Imperiales (c). Cæterum Archiepiſcopos Salisburgenſes non raro legationes Cæſareas in negotiis graviſſimis ſubiiſſe res eſt omni Orbi literario notiſſima, cujus demonſtrandæ vel ſolum Arnonis primi Archiepiſcopi Salisburgenſis exemplum ſufficiat, quem à Carolo M. Legatum ad Leonem III. fuiſſe ablegatum omnes loquuntur Hiſtoriæ. Verum longius in hac materia excurrere temporum non indulgent circumſtantiæ.

§. XVIII.

NOvus ſe iterum evagandi campus aperit, dum de ingentibus, copioſiſſimisque meritis Archiprœſulum Salisburgenſium erga Sedem Romanam ſcribere medtor. An ulli in univerſa Germania fuere Epiſcopi, qui majori conſtantia, ac fidelitate eidem adhæſere? Memoria recolantur inprimis, quæ §. I. hujus Capitis de Gebhardi conſtantia retulimus. Veſtigia Gebhardi ſecutus fuit Conradus I. qui, dum Henricus V. à Paſchale II. in Baſilica S. Petri juxta pacta antea inter eos confecta Regalia Epiſcoporum peteret, & Pontificem ea denegantem in carcerem detruderet, id ipſum Henrici factum vehementiſſime fuit deteſtatus, & Miniſtro cuidam evaginato gladio mortem minitanti caput amputandum ſua ſponte obtuliſſe legitur (d). Idem ſententiæ excommunicationis contra Henricum V. in Synodo Colonienſi an. 1115. latæ ſubſcripſit (e), Item oppoſuit ſe Gregorio VIII. ab Henrico intruſo, ac ſtrenue partes Gelaſii II. ejusdemque legitimi Succeſſoris Caliſti II. defendit, ac demum in Concilio Wirceburgenſi de anno 1130. pro legitimo Papa Innocentio contra Anacletum Antipapam vehementiſſime pugnavit (f). Simili modo ſchismate inter Alexandrum III. & Victorem IV. exorto perſuaderi non potuit Eberhardus I. ut in Pſeudo-Synodo à Friderico I. Papiæ convocato compareret, & licet Imperator in ſuas partes trahere omni modo laboraverit, morem tamen

(a) Idem pag. 445. (b) Idem pag. 489. (c) Idem. pag. 338. (d) Ita refert Otto Friſingenſis, & Chronographus Reicherſpergenſis. (e) Hanſizius pag. 213. (f) Propterea hunc Archiepiſcopum mirum in modum laudat S. Bernardus in epiſt. ad Epiſcopos. Aquitaniæ.

men haud geſſit, ſed unus ex omnibus Epiſcopis Alemaniæ cum Brixinenſi Epiſcopo Alexandro adhæſit (a). In ſui Anteceſſioris veſtigia ſubintravit Conradus II. qui mox, ut electus fuerat, communioni Alexandri conſenſit. Quo facto Imperator ita fuit commotus, ut Salisburgenſes Banno proſcriberet, Salzburgum incendio vaſtaret, & ipſum Præſulem in jus raperet (b). Similia ferme fata expertus fuit Adalbertus II. quem Fridericus ſua ſede expulit, & vitam in exilio agere compulit (c). Quid non egerunt Archi-Præſules Salisburgenſes Eberhardus III. Joannes II. Fridericus IV. tempore Concilii Conſtantienſis, & Baſileenſis, quo Eccleſia diriſſimo ſchismate, quale antea non fuit, mirum in modum fuit divexata? immenſum foret, ſi hæc omnia vel obiter recenſere vellemus. (d)

Opportuniſſima hic foret occaſio agendi de zelo Apoſtolico Archipræſulum Salisburgenſium, quem in propaganda Fide & Re Catholica exercuerunt: ſed quis demum Diſſertationis noſtræ finis futurus foret, ſi hæc vel obiter perſtringere vellemus? Reſplendet hic zelus in S. Ruperto, cujus labores Apoſtolici per terminos Noricos ad inferiorem usque Pannoniam ad Carantanorum, & Wandalorum ſeu Sclavorum Regionem permearunt (e). Eminuit in S. Vitali, qui ab authore opuſculi de converſ. Bojar. & Carant. laudatur hoc elogio: Vir carus omni populo, egregiusque Doctor, & Seminator Verbi DEI Vitalis Epiſcopus. Quantus fuerit zelus Religionis Catholicæ diſſeminandæ in S. Virgilio, maxime per oras Carynthiæ nemo ignorat, qui propterea in hanc usque diem Apoſtolus Carynthiæ audit. Hisce, ut cæteros omnes prætereamus, adjungimus Arnonem, de quo conſtat, quod miſſiones in Pannoniam, uti & in Carynthiam inſtituerit, per Pannoniam, & Sclavoniam Eccleſias conſecraverit, Presbyteros ordinaverit, populumque prædicando docuerit, prout loquitur Author Anonymus ab Hanſizio citatus (f). Verum breves eſſe jubemur, & hinc ad alia digrediendum.

§. XIX. & XX.

QUoniam jam in ſuperioribus actum fuit de ſanctitate Epiſcoporum, & Archi-Epiſcorum Salisburgenſium, nec non de funda-

(a) Author vitæ Eberhardi cap. 3. (b) Author. Comment. Admont. apud Caniſium Tom. 6. pag 1247. Chronicon. Reicherſperg. & Hanſ. pag. 279. (c) Exulem conſolatur quidam Archidiaconus in epiſt. quam recitat Pezius Tom. 2. Anect. (d) Hanſit. pag. 467 477. 480. (e) Vid. author. vitæ S. Ruperti in lucem datus à Caniſio Tom. 2. Antiq. lect. pag. 248. (f) pag. 108.

datione & rectione quatuor Epiſcopatuum, ſuperfluum duximus ea hic repetere. Duo præcipue Monaſteria ſunt celebriora, quæ liberalitati, & Munificentiæ Archipræſulum Salisburgenſium ſuos debent vel Natales, vel incrementa, ſuos debet Natales florentiſſimum Monaſterium Admontenſe in Styria à Gebhardo cira an. 1704. fundatum, & abundantiſſime dotatum. Incrementa celeberrimum Monaſterium Salemitanum in Suevia, cui auxiliatrices manus porrexit Eberhardus. II. prout ipſi Salemitani profitentur. Sed de his ſatis.

§. XXI.

NOn poſſumus non de Synodis Salisburgenſibus brevem mentionem facere, ut inde appareat, quantus fuerit zelus Archipræſulum Salisburgenſium pro conſervanda puritate & unitate fidei, & Religionis, pro diſciplina Eccleſiaſtica tum reformanda, tum retinenda, pro bono Eccleſiæ augendo, & promovendo. Recenſebimus eas ſimpliciter eo ordine, quo à viro ſolertiſſimo ſunt collectæ, nobisque communicatæ: neque enim ea, quæ in Synodis fuere acta, decreta, & ſtabilita, recenſere pagellarum, temporumque anguſtiæ permittunt. Imo ne quidem de eo cavere audemus, quod præter Synodos à nobis recenſitas non fuerint aliæ celebratæ: itaque eas duntaxat recenſebimus, quas tum propria tum aliena induſtria conquirere potuit.

ELENCHUS
CONCILIORUM SEU SYNODORUM
PROVINCIÆ SALISBURGENSIS.

I. SUb Arnone in oppido Risbach Diœceſis Ratisbonenſis habitum an. 799. d. 20. Januar. ejusdem meminit Codex Traditionum Friſingenſium. Jordanus Cancellarius Archiep. in Chronico Salisb. ad annum 1560. perducto, qui & XII. Sanctiones hujus Concilii refert add. Chron. Dücker. Hanſ. T. 2. 110.

II. Sub eodem Arnone in Metropoli Salisburgenſi congregatum an. 807. quæ ibidem geſta, paucis attingit, Codex Friſing. n. 286. quem Brunerus dudum lib. 6. Rerum Bojar. deſcripſit. Hanſ. T. 2. f. 119.

III. Sub Pilgrimo primo Altheimii an. 916. 12. Kal. Oct. Hanſ. 145.

IV. Sub Archiep. Udalberto Dingolfingæ celebratum anno 932. Aventinus Annal. Boj. ad eund. an. & vetus M. S. Sæculi XI. laudatum ab Hanſ. T. 2. p. 146.

V. Sub Eberhardo I. Archiep. apud Salzburch habitum anno 1150. teſte Chronographo Salisb. quid ibi actum, non conſtat. Hanſ. fol. 252. Sed alia Synodus & quidem

VI. Ratisbonæ coacta eod. an. de qua Joannes Craftus in Chronico ad hunc annum 1150. Hanſ. eod.

VII. Sub eodem Archiflamine Eberh. I. Friſaci an. 1161. hujus Capitul. memorat Gerhohus Reichersbergenſts in libr. de gloria & honore Filii hominis cap. 17. Hanſ. p. 263.

VIII. Sub Chunrado 3. Archiep. in Hochenau Epiſcopatus Salisb. an. 1178. Chronicon Reichersberg. Adlzreitter. Hanſ. f. 298.

* Synodus parva & potius Diœeſana habita per Arch. Albertum II. in Leibniz an. 1187. Ind. 5. 18. Kal. Januar. Cod. Admont. Diplom. ſub Num. 42. Hanſ. f. 305.

* Capitulum aliud ſolenne ab eodem Alberto habitum apud Lauffen an. 1195. præſentibus omnibus Diœceſis Prælatis, Præpoſitis, ac Abbatibus. vid. Hund. Metrop. T. 3. in rebus Monaſterii S. Zenonis.

XI. Sub Eberhardo 2. Archiep. Salisb. an. 1219. quam author veteris Catalogi vocat, ſecundam celebratam in majori Eccleſia Sancti Ruodberti. Hanſ. f. 324.

X. Sub eod. Eberh. 2. Concilium Epiſcoporum, & prout pergit Honor. in Chron. M. S. ad an. 1239. à Duce Bavariæ curia pro reformanda pace terræ indicta: Hanſ. f. 340.

XI. Per Fridericum 2. convocatum Salisburgi an. 1274. Menſ. Novemb. conſtitit articulis 24. quos inſertos vides collectioni Conciliorum Labbei & Harduini. Hanſ. 378.

XII. Ab eodem Friderico coacta alia provincialis Synodus Salisb. an. 1281. extant in prædicta Collectione Labbei & Harduini.

XIII. Sub Rudolpho Salisburgi an. 1288. Hanſ. T. 2. f. 403.

XIV. Sub Conrado 4. Salisburgi an. 1292. hoc in lucem primo protulit Gretſerus, deinde Dinnius, noviſſime Harduinus Syntagmati Concil. inſeruit.

XV. Sub Conrado 4. Salisburgi an. 1310. in Quadrageſima ita Codex Bibliothec& Cæſareæ ab Hanſizio adductus. T. 2. f. 442.

XVI. Sub Piligrino 2. circa Feſtum S. Jacobi an. 1380. Chronicon quoddam relatum ab Hanſ. T. 2. p. 460.

XVII.

XVII. Sub eod. Piligrino Salisburgi an. 1386. inſertum Collectioni Harduini T. 7. Concit. p. 1899. continens 15. capitula.

XVIII. Sub Eberhardo 3. Salisburgi an. 1418. cujus ſtatuta proſtant in Corpore Concil. ad an. 1420. Hanſ. Tom. 2. f. 468. 469.

XIX. Eod. an. 1420. circa Feſtum S. Auguſtini alia celebrata Synodus provincialis Salisburgi, præſidente Joanne Præpoſito Salisb. cujus Sanctiones viſuntur in Syntagmate Conciliorum ſtatutis prioribus ſubjectæ. Hanſ. f. 471.

XX. Sub Joanne 2. Salisb. an. 1440. d. 25. Jan. vid. Hanſ. p. 476.

XXI. Sub Archiep. Frideric. 4. Salisb. an. 1451. menſe Febr. cui authoritate Nicolai 5. præſediſſe fertur Nicolaus Cuſanus Tit. S. Petri ad Vincula Presbyter Cardinalis legatus Apoſt. Hanſ. T. 2. p. 483.

XXII Sub Sigismundo 1. Salisburg. 1456. notari merentur adviſamenta ſacro huic Concilio provinciali à diverſis Epiſcopis ac Prælatis porrecta, relata à Hanſ. T. 2. p. 495.

XXIII. Sub Friderico 5. Mülldorffii an. 1409. cujus 50. Decreta videre eſt in Spicilegio Eccleſiaſtico Lunigii Continuat. III. p. 768. Hanſ. p. 768.

XXIV. Sub Erneſto Archiep. Salisb. an. 1544.

XXV. Sub eodem Erneſto Salisb. an. 1549. ad 18. Febr. eos, qui huic ſubſcripſerunt Siſtit Gewoldus. in addit. Salisb. ad Hund. T. 1. p. 88.

XXVI. Sub Joanne Jacobo Salisb. an. 1562. quo potiſſimum de ratione frequentandi Concil. Trident. actum. Hanſ. 626.

XXVII. Sub eod. Joanne Jacobo celebrata Syndus an. 1569. à die 14. Mart. usque 28. ejusd. non immerito de ejus collectione prodit. Hanſiz. T. 2. p. 628. opus ſane abſolutiſſimum, ac veluti Corpus Juris ſacri provinciæ Salisb. omnium ſuperiorum Archi-Præſulum ſtatuta complectens, dilucidans, extendens, atque ubi opus attemperans, ad Religionis præcipue Catholicæ conſervationem, hæreſum extirpationem directum, ac veluti aurea regula & amuſſis vitæ tum Clericolis, tum Paſtoralis, tum & Regularis.

§. XXII.

QUum provincia Salisburgenſis labente hoc ſæculo ſpectaculum ſit factum univerſæ non modo Germaniæ, ſed ferme toti Europæ ob famigeratiſſimam emigrationem tot millium ſubditorum,

qui, quod religionem Proteſtanticam in alpibus contra ſtatum anni normalis, introducere vellent, ſolum purgare juſſi ſunt, operæ pretium nos facturos exiſtimamus, ſi de origine & fatis ſectæ Proteſtanticæ, aliarumque per alpes graſſantium aliqua pro aliquali notitia diceremus: Immortali enim id cedit gloriæ Archipræſulibus Salisburgenſibus, quod maluerint notabiliſſimam proventuum ſuorum partem veluti diſſipare, quam religioni cuicunque ab avita religione Catholica diverſæ diverſorium dare. Quod ſi de origine inviſibilis illius Eccleſiæ, uti eam vocat author der vollkommenen Emigrations-Geſchichte Sectæ Lutheranæ in Alpibus Salisburgenſibus loquamur, ipſi DD. Proteſtantici celeberrimus ille Moshemius, Heroldus, & author der vollkommenen Emigrations-Geſchichte omnem operam impenderunt, ut in originem hujus rei venirent, & primos fontes religionis Proteſtanticæ detegerent. Aliqui exiſtimant, quod jam ſæc. 15. Waldenſes incoluerint Alpes, & inde argumentum depromunt, quod quum ſectarii illi non modo per Galliam, Italiam, Hiſpaniam, Bulgariam, Dalmatiam, Flandriam, Poloniam, Calabriam, ſed etiam Germaniam fuerint graſſati, & vicinas etiam Salisburgo provincias Auſtriacas infecerint, facile fieri potuerit, imo certo certius factum ſit, ut in Alpes Salisburgenſes tranſirent: quoniam vero nemo ſcriptorum, qui res geſtas Waldenſium quam accuratiſſime conſcripſerunt, & omnes provincias, in quibus ſuam ſectam propagarunt, quam accuratiſſime recenſent, hujus rei mentionem facit, plures hanc opinionem velut ſufficienti fundamento deſtitutam rejiciunt, & ideo primos Natales ab Huſſitis derivant, quos in Alpes Salisburgenſes penetraſſe tanto eſt certius, quanto evidentius conſtat, quod doctrina Huſſitarum in quamplurimis capitibus doctrinæ Proteſtanticæ per omnia ſit conformis. Evidentioribus longe argumentis id ex eo evincitur, quod Archi-Epiſcopi Salisburgenſes Eberhardus III. Joannes II. plures, easque ſeveriſſimas ordinationes contra Huſſitas fecerint, & in Synodo à ſe celebrata confirmaverint, quin & igne & ferro eos è ſuis Alpibus proſcripſerint (a). Has ſynodales ordinationes Philippus Labbeus inſeruit ſuæ collectioni Conciliorum (b), & ex eo deſcripſit præfatus Author der Emigrations-Geſchichte, quæ omnino legi merentur: verum quis credat, quod omnes Huſitæ ex Alpibus fuerint præſcripti, ejecti, & extirpati: quare facile fieri potuit, ut, quum

(a) P. Mezger pag. 486. de Joanne II. Peichenſpergenſi dicto ſic habet: contra efferatos Huſſitas Bohemos ferro & incendiis graſſatos arma induit, eosque feliciter profligavit.

(b) Tom. 12.

quum religio Proteſtantica in plures Germaniæ provincias ſe extenderet, etiam ipſas Alpes penetraverit, & ab Huſſitis ibi deliteſcentibus tanto majori cum alacritate fuerit adoptata, quanto erat conformior religioni Huſſitarum. En! primam originem Religionis Proteſtanticæ in Alpibus Salisburgenſibus. Qua vero arte Religio Proteſtantica per ditiones, & maxime Alpes Salisburgenſes fuerit promota, & dilatata tum per ſubornationem librorum, tum per DD. Proteſtanticos, quorum ingentem catalogum recenſet laudatus Author der Emigrations-Geſchichte, paucis dici nequit. Quid jam dicamus de Zelo illo incomparabili Archiepiſcoporum Mathæi Langii, Diotmari, Marci Sittici, Gandolphi, & noviſſime Leopoldi Antonii, quo pro conſervanda religione Catholica, & extirpandis ſectis aliis quibuscunque viriliter decertarunt, remque Catholicam ita defenderunt, ut maluerint ultra 20. millia hominum cum ingenti proventuum Eccleſiaſticorum diſpendio forte intra unius ſæculi decurſum non amplius reparando è ſua provincia dimittere, quam rem Catholicam ulteriori periculo exponere. En! ortum & progreſſum Religionis Proteſtanticæ. Innumera adhuc dicenda forent de rebus ad hiſtoriam Salisburgenſem pertinentibus. Verum anguſtiſſimæ temporum circumſtantiæ curſum ſiſtere jubent. Quare lectores noſtros ad Hiſtoricos remittimus. Nos vero Superis habemus immortales gratias, quod etiam his laboribus ſua aſſiſtrici gratia adfuerint, cæterum ardentiſſimis votis id unice exoptantes, ut

IN OMNIBUS GLORIFICETUR DEUS.

POSITIONES
EX
JURE ECCLESIASTICO
Tam Publico, quam Privato.

1. *JUs Canonicum quoad omnes ſuas partes authenticas in corpore juris clauſas (inter authenticas numeramus etiam Decretum Gratiani, non modo, in quantum correſpondet ſuis fontibus, ſed etiam in quantum uſu & praxi eſſe receptum probari poteſt) in Germania habet vim legis, ita tamen, ut ſuam interpretationem ex concordatis, aliisque legibus publicis, conſuetudinibus, & obſervantiis recipiat.*

2. *Inter authentica non computamus Canones Apoſtolicos, & Epiſtolas antiquorum Pontificum, usque ad Siricium.*

3. *Datur in Eccleſia Status & Hierarchia, ac inde fluens poteſtas regendi, ferendi leges, jus dicendi, cum aliis annexis &c.*

4. *Regimen in hoc Statu Hierarchico eſt Monarchicum Ariſtocratica ex ipſo Jure Divino temperatum.*

5. *Triplicem Primatum Honoris, Authoritatis, & juriſdictionis in ea tenet Romanus Pontifex, quem ſequuntur cæteri Prælati Eccleſiaſtici ſecundum gradus ſuæ dignitatis Patriarchalis, Primatialis, Archiepiſcopalis, & Epiſcopalis.*

6. *Hos inter ſolus gradus Dignitatis Epiſcopalis, quoad ſuam Superioritatem, Poteſtatem Ordinis non tantum, ſed etiam juriſdictionis, & legis Diœceſanæ, & huic annexa jura, inter quæ etiam jus conferendi beneficia pro ſuis Diœceſibus, eſt Juris Divini immediate à Chriſto inſtitutus. Cæteri gradus prærogativæ & præeminentiæ Juri Eccleſiaſtico, tam ſcripto, quam non ſcripto, conſuetudinibus nempe & obſervantiis ſuam debent originem.*

7. *Leges Pontificiæ ex antiquiori, & noviori praxi & conſuetudine in Germania habent ſuam vim obligandi ex promulgatione, & acceptione Epiſcoporum.*

8. *Ad leges Eccleſiaſticas Germaniæ antiquiores pertinent Capitularia Francorum, Concilia Nationalia Germanica, & Pactum initum inter Calliſtum II. & Henricum V. ad noviores vero Concordata Germaniæ, Transactio Paſſavienſis, Pax Religioſa, & Weſtphalica.*

9. Ad has leges volumus referre Can. 22. & 23. diſt. 63. in quibus Carola M. Ottoni I. & illius Succeſſoribus jus ordinandi ſedem Pontificiam ac inveſtiendi Epiſcopos conceſſum legitur, licet negari nequeat, quod Imperatores jam antea Epiſcopos inveſtiverint.

10. Pactum inter Calliſtum II. & Henricum V. valide fuit initum ſecus, ac volunt Proteſtantes, & per illud inveſtituræ per annulum & baculum jure abrogatæ.

11. Idem dicendum de de Renunciatione Juris Regaliæ ab Otione IV. Friderico I. & Rudolpho I. facta, quidquid ſit de abuſiva praxi Regum Galliæ, qui jus Regaliæ ultra ſuos limites nimium quantum ad provincias etiam huic juri quondam non obnoxias, quales erant illæ, quæ feuda tardius admiſerunt, & jure potius communi civili & ſcripto, quam conſuetudinario ſe regi petiebantur, contra probibitionem Concilii Lugdunenſis II. Item ad Decimas, ad collationem beneficiorum etiam curatorum, præbendarum, & Canonicatuum, quorum collatio alias ad Capitula pertinebat, ita, ut ea, vel una cum Epiſcopo, vel alternis vicibus, vel per turnum conferrent, & demum Sæculo primum elapſo ad Eccleſias ferme omnes non obſtante contradictione Pontificum, & ipſorum Epiſcoporum Gallic. extenderunt.

12. Concordata Germaniæ habent vim pacti reſpectu Pontificis & Imperatorum, legis vero reſpectu Nationis Germanicæ, & obligant omnes Proceres Germaniæ, qui intra fines Imperii Germanici continentur, niſi contrarium evidenter oſtendant, exceptio tamen eſt, quoad alternativam menſium. In aliis tamen Germaniæ provinciis nihil commune cum Imperio habentibus, ad quas facta fuit extenſio, potius vim privilegii habent, quam pacti & contractus publici.

13. Proteſtantes in Pace Weſtphalica à concordatis Germaniæ ſe exemerunt, ac menſes Papales in Eccleſiis ſibi ſubjectis ſuſtulerunt: num vero Principes illorum menſes Papales recte ſibi vendicent, merito dubitatur.

14. Pontifices non poſſunt Concordatis Germaniæ per novas reſervationes, Bullas, & Regulas Cancellariæ derogare, quæ in Germania aliter non obligant, niſi in quantum concordatis ſunt conformes, aut uſu receptæ.

15. Valet tamen contra illa præſcriptio maxime quoad collationes beneficiorum in menſibus Papalibus vacantium.

16. Annatæ, quæ ſuam originem potiſſimum debent Joanni XXII. & Bonifacio IX. non fuerunt abrogatæ in Concilio Conſtantienſi ac Baſileenſi, ſed ſuam moderationem ac normam in Concordatis Germaniæ acceperunt, juxta quam ſi petantur, juſte exiguntur.

17. Preces primariæ habentur communius pro reliquiis ex antiquis inveſtituris per annulum & baculum profluentibus, & ſoli imperatori, non item Vicariis Imperii ſede vacante, partim ex conſuetudine, ab Eccleſia expreſſe vel tacite approbata, partim ex Indulto Pontificio in Eccleſiis tam immediatis, quam mediatis competunt cum hoc diſcrimine, quod in mediatis reſtrictæ ſint ad annum

normalem, & Diem 1. Januar. 1624. ita tamen. ut potius ad ipſam illas exercendi facultatem, quam actuale exercitium eſſe attendendum exiſtimemus.

18. *Authentica Concordatorum interpretatio cumulative ad Pontificem, Imperatorem, aliosque Principes Imperii pertinet, quin tamen per hoc plenitudini poteſtatis Pontificiæ, ſed non niſi pro caſu extraordinariæ neceſſitatis, ac evidentis utilitatis uſum habenti vel in minimo derogatum velimus.*

19. *Judicialis vero, & particularis illorum interpretatio competit Rotæ, & Curiæ Romanæ; ita tamen, ut ſtylus ex iteratis deciſionibus ibidem introductus vim authenticam univerſalem & tantam, quantam habet in aliis Conſtitutionibus Pontificis explicandis, non habeat.*

20. *In dubio ad quem pertineat collatio beneficiorum in Germania, in favorem Ordinariorum pronuntiandum eſſe cenſemus, quippe quibus Jus diſpenſandi Beneficia in ſuis Diœceſibus ex Jure Divino, & longiſſima, imperturbata, ac ultra 10. Sæcula continuata poſſeſſione competit, cui primum Sæc. 12. & ſequentibus per gratias exſpectativas, & reſervationes Pontificis fuit derogatum, quas Concilia Baſileenſe, Conſtantienſe, & Tridentinum jure tum reſtrinxerunt, tum abrogarunt.*

21. *Ex eadem ferme cauſa in dubio pronuntiandum pro Jure & libertate liberæ & Canonicæ Electionis Epiſcoporum, quod ab initio naſcentis Eccleſiæ per plura Sæcula reſedit penes Epiſcopos, Clerum, & populum, & poſtea ad capitula Jure conſuetudinario tranſlatum fuit.*

22. *Valor Pacis Weſtphalicæ recte à multis DD. Catholicis, ex aliis tamen longe principiis, quam à Proteſtantibus defenditur, cui non obſtant contradictiones Pontificum, quæ ſaltem id operantur, ne uſus facti Jurium Pontificiorum, quem in iis rerum circumſtantiis cedere ſuprema neceſſitatis lex imperavit, ex tacito Pontificis conſenſu aut præſcriptione in uſum Juris convaleſcat.*

23. *Jus reformandi, Statibus Imperii etiam ſæcularibus in Pace Weſtphalica conceſſum, eſt jus Novitium & nullo modo antiquum, in facto potius, quam in Jure, nempe in communi hactenus per Imperium uſitata praxi, ſicut notanter loquitur inſtrumentum P. W. art. 5. §. 30. fundatum, dum econtra illud jam antiquitus ex Jure Divino, primigenia Eccleſiæ praxi, & perpetua traditione ad Epiſcopos pertinuit.*

24. *Hoc ipſum Jus reformandi habet ſe per modum regulæ reſpectu ſtatuum, quæ ex ſola pace religioſa & Weſtphalica (quod idem dicendum de communi illo axiomate à Proteſtantibus tunc temporis adoptato:* cujus eſt Regio, illius eſt Religio*) ſuam menſuram accipit, & ideo ſubditis contra illud excipientibus onus probandi ſuam exceptionem incumbit.*

25. *Inde fluit Jus ſimultanei innoxii, ſeu introducendi coexercitium Religionis, quæ in anno regulativo 1624. non viguit, dummodo ſubditi in ſuo Religionis exercitio anno 1624. habito non impediantur.*

26. *Contra hiſtoriam, & literam Pacis Weſtphalicæ ſcribunt illi Proteſtantes, qui jurisdictionem Epiſcopalem non modo in ea ſuſpenſam, ſed quoad effectum*

om-

omnino ſublatam volunt, eamque Statibus Imperii etiam in petitorio velut propriam vindicant, utpote quibus alius Titulus præter praxin communem hactenus in Imperio uſitatam, & jam lege publica nixam non ſuffragatur, ut adeo Epiſcopis Catholicis ſuum Jus in petitorio ſalvum maneat, & integrum.

27. *Haud ſecus Paci Weſtphalicæ minus conformiter ſcribunt, qui jurisdictionem Epiſcoporum intra ſolos ſui territorii fines eſſe concluſam docent, quippe quæ ſe in certis caſibus extendit etiam ad Catholicos ſuæ Diœceſeos, etſi in alieno territorio Status Proteſtantici exiſtant, & quidem primo ſi Epiſcopus eam in anno normali quacunque anni parte exercuerit. Secundo ſi contingat Principem Proteſtantem ad Caſtra Catholica redire, aut Catholicum illi in ſuo territorio ſuccedere; cum enim juxta principia Catholica Principes ſæculares exercendæ Jurisdictionis Epiſcopalis ſint incapaces, hæc poſtliminio tam in Principem Catholicum, quam Catholicos in illius territorio exiſtentes remoto obice ad Epiſcopum aliunde jus quæſitum hic & nunc tamen ſuſpenſum habentem revertitur.*

28. *Imo non obſtante hac ſuſpenſione jurisdictionis Epiſcopalis dantur aliqui caſus art. 5. P. W. §. 48. expreſſi, in quibus Epiſcopi ſuam jurisdictionem Epiſcopalem etiam in Satus provinciales, & ſubditos proteſtantes in Statuum Catholicorum territoriis exiſtentes quoad cauſas Confeſſionem Auguſtanam, Conſcientiam, & Religionem non concernentes (quinam autem ſint hi caſus, difficillime poteſt definiri) exercent, dummodo eam aliqua anni normalis parte (non 1. die Januarii) exercuerint.*

29. *Huc reducimus etiam diſputatiſſimum caſum, quando Princeps ex Evangelico fit Catholicus, vel Proteſtantico ſuccedit, vel alio jure jus territoriale obtinet.*

30. *Sententia de infallibilitate Pontificis & illius vicariatu & ſucceſſione in Cathedra Petri, quo ad hunc numero Pontificem neutiquam inſtar dogmatum fidei particularium, qualia dari omnino negamus, recenſeri debet, & nec prior, nec poſterior ex ſcriptura & traditione evidenter oſtendi poteſt.*

31. *Quod convocatio conciliorum generalium ad Imperatores & Principes ex jure ipſis proprio pertineat, ne ipſi quidem Proteſtantes ex ſuis principiis, abſtrahendo à praxi obſervantia & indulgentia Eccleſiæ probare poſſunt, qui ſi illa convocarunt, id non fecerunt jure ſibi proprio, ſed ex conniventia, conceſſione, vel œconomia Eccleſiæ.*

32. *Utrum præſidentia in conciliis ex jure divino competens præter directionem, relationem & votum informativum adhuc aliquid juris involvat, id nos latere profitemur.*

33. *Pariformiter, an confirmatio conciliorum Pontifici competens ſingulare ſuperaddat robur deciſionibus conciliaribus, in ſuſpenſo relinquimus.*

34. *Electionem pro omni hypotheſi eſſe modum optimum perveniendi ad Prælaturas Eccleſiaſticas negamus, & hinc ne ipſam quidem Electionem Pontificis eſſe juris divini affirmare audemus.*

35. *Utrum Clerus & populus in electione Epiſcoporum habuerit votum deciſivum vel mere conſultivum ex Scriptoribus Eccleſiaſticis tam clare colligi nequit,*

probabilius tamen ſaltem ut plurimum habuit votum mere conſultivum, & hinc populus jure ab electionibus fuit excluſus.

36. In concurſu electionis cum poſtulatione ad poſtulationem requiruntur duæ tertiæ, ad electionem vero ſufficit una tertia cum voto ſupra, hic tamen concurſus non contingit, niſi vel poſtulatio electionem, vel electio poſtulationem effective impugnet.

37. Utrum Innoc. III. in cap. 40. de elect. voluerit ſtatuere regulam univerſalem pro omni concurſu electionis, & poſtulationis non immerito dubitatur, interim ſaltem ex ſtylo curiæ & praxi eidem erit inſiſtendum.

38. Acceſſus prout communiter explicari ſolet, in electionibus excepta electione Pontificis locum non habet.

38. Confirmatio Epiſcoporum de iure communi in corpore juris clauſo ad Metropolitas pertinet.

40. Translatio Epiſcoporum eſt juris mere Eccleſiaſtici, ſi loquamur de popoteſtate trensferendi.

41. Ex aliquali ignorantia diſciplinæ Eccleſiaſticæ factum eſt, quod plures interpretes Juris Canonici ex cap. 12. de temp. ordin. eruerint, quod ille, qui ordinatus eſt à Pontifice, amplius ſine diſpenſatione ordinari non poſſit à ſuo Epiſcopo.

42. Minus conformiter hiſtoriæ & menti Pontificis ſcribunt auctores, qui inter jurisdictionem Epiſcopalem & legem Diœceſanam diſcrimen in eo ponunt, quod illa in dando hæc in recipiendo conſiſtat.

43. Remedium poſſeſſorium ex cap. 3. cauſ. 3. quæſt. 1. depromptum & in praxi receptum non habet ullum fundamentum in citato cap. ſed omnem ſuam auctoritatem & uſum habet ex ſiniſtro intellectu & interpretatione gloſſatorum.

44. Jus appellationum ad ſummum Pontificem velut appendicem primatus pontificii reveremur, illius tamen uſus in cauſis diſciplinaribus ex Eccleſiaſtia diſciplina, conſuetudinibus, juribus particularibus Eccleſiarum eſt menſurandus, & hinc ſubjacet reſtrictioni.

45. Quare Patres Affricani jure contradixerunt appellationibus transmarinis.

46. Similiter illarum uſus merito reſtrictus fuit in Concil. Trident. Seſſ. 24. de Reform. cap. 20. quanquam illa reſtrictio paucos habeat effectus.

47. Utrum in Concilio Sardicenſi Pontifici fuerit ſtabilitum jus appellandi, vel potius retractandi jure optimo dubitatur.

48. Diſcrimen inter Clericos & Laicos eſt juris divini.

49. Jus beneficiale, quale datur hodie, primum circa ſæc. 9. invaluit, & proxime accedit ad feudum.

50. Diſtinctio inter beneficia incompatibilia 1mi & 2di generis non fuit ſublata in Concil. Trident.

51. Jus conferendi beneficia in Diœceſibus velut appendix ex Jure Divino cohæret jurisdictioni Epiſcopali & hinc.

52. *Jure contradixerunt ferme omnium nationum Epiſcopi & Principes gratiis exſpectativis & reſervationibus Pontificiis, & ſicut priores ſublatæ, ita poſteriores jure fuerunt reſtrictæ, quo non obſtante jus conferendi Canonicatus vacantes in Eccleſiis Cathedralibus recte fuit translatum ad Capitula, & ideo*

53. *In Capitulis Cathedralibus ſive pure proteſtanticis, ſive mixtis collationem Canonicatuum proteſtanticorum quomodocunque vacantium, nec Epiſcopi Catholici, ſi qui illis præſunt, etiamſi indulto Pontificio ſint inſtructi, nec Principes territoriales etiam ex ſuis propriis principiis ſibi vindicare poſſunt, ſed potius hoc jus poſtliminio ad ipſa Capitula fuiſſe reverſum, dicendum erit. Interim*

54. *Licet jura jurisdictionis Epiſcopalis & legis Diœceſanæ ſede vacante ad Capitula tranſeant, non tamen jus conferendi beneficia. quorum collatio ad Epiſcopum pertinet.*

55. *Contra ſpiritum tamen Eccleſiæ ſcribunt, & illius bono non bene conſulunt illi, qui hujus rationem ex eo repetunt, quod collatio beneficiorum inter fructus Epiſcopales novo Epiſcopo reſervandos ſit computanda.*

EX JURE NATURALI.

1. *PRincipium Juris naturalis unice in DEO, & Idæis Divinis eſt quærendum.*

2. *Datur Jus naturale gentium & aliud ſeparatum à Jure naturali.*

3. *Pacta publica metu gravi injuſte incuſſò inita de jure naturali ſunt valida, non tamen privata.*

EX JURE PUBLICO GERMANO.

1. *FOrma Imperii Romano-Germanici eſt Monarchica, per Ariſtocratiam temperata & declinat ad formam Syſtematicam.*

2. *Nota characteriſtica ſtatuum Imperii eſt ſeſſio ſuffragium in comitiis.*

3. *Ex inſtrumento Pacis Weſtphalicæ non recte deducitur capacitas Proteſtantium pro electione paſſiva in Imperatorem.*

EX JURE CIVILI ROMANO.

1. *PRæſcriptio non eſt Juris naturalis, valet tamen pro foro interno.*

2. *Factio teſtamenti eſt creatura Juris Civilis.*

3. *Juramentum contractui de Jure Civili nullo appoſitum convalidat contractum non modo de Jure Canonico, ſed etiam Civili, ſi tamen vera eſt Hiſtoria de authentica Friderici, pro cujus veritate tamdiu ſtat præſumptio, quamdiu non probatur contrarium.*

4. *Sponſalia ante Septennium, licet malitia ſuppleat ætatem, contracta nulla ſunt.*

5. *Sicut & matrimonium cum voto perpetuæ caſtitatis nullum eſt.*

EX JURE FEUDALI.

1. ORigo feudorum haud inepte deducitur ab ipſis Romanis, hodiernorum vero ab ipſis Germanis

2. Feuda Eccleſiaſtica in dubio habenda ſunt pro datis.

3. Feuda, quæ habent Principes Eccleſiaſtici, potius dici debent Eccleſiaſtica quam ſæcularia.

4. In dubio potius eſt inſiſtendum Juri feudali Longobardico, quam legibus ſalicis, aut ſpeculo Saxonico vel Suevico, niſi aliud conſuetudine obtineat.

FINIS.

13428. HEcclG.
Z.
Author Zallwein, Gregor.
Title De statu ecclesiæ.
DATE.
NAME OF BORROWER.

UNIVERSITY OF TORONTO
LIBRARY

Do not remove the card from this Pocket.

Acme Library Card Pocket
Under Pat. "Ref. Index File."
Made by LIBRARY BUREAU